HISTORIA
CONSTITUTIONIS EPIDEMICÆ VERMINOSÆ,
quæ Annis 1760, 1761, 1762 & initio 1763.

PER INSULAM

OVERFLACQUÉ ET CONTIGUAM GOEDEREEDE GRASSATA FUIT,

CUM

PERPETUIS FERE COMMENTARIIS IN PRÆCIPUOS VERMINANTIUM MORBOS,

AC

LOCUPLETISSIMO CAPITUM ET SECTIONUM ELENCHO.

AUCTORE

I. J. VAN DEN BOSCH,
MEDICO HAGANO.

Quid enim humanius vel homine etiam Christiano dignius, quam aliorum malis commoveri, perinde ac si sua essent?

MEAD.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUEL. ET JOH. LUCHTMANS,
M D C C L X I X.

Τῶν γαστέρων αἱ εὐφορίαι ταραχὴν φέρουσιν οἷαι Ποσουδωνίῃ· καὶ τὰ θηρία οἷα ἐνεποίει ἐν τῷ λεπτυσμῷ ἡ περίστασις πρὸ τῆς τελευτῆς.

HIPPOCRATES.

VIRO

FAMA MERITIS AC *TITULIS*

OMNIBUS EXIMIO

HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MED. DOCT. EJUSDEM AC CHEMIÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI IN UNIVERSITATE BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORI CELEBERRIMO,

SERENISSIMI

PRINCIPIS AURIACI,

HEREDITARII FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS

ARCHIATRO.

ACA-

ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ,

NEC NON SOCIETATUM REGIÆ ANGLICANÆ

ATQUE HARLEMO HOLLANDICÆ MEMBRO.

S. P. D.

I. J. VAN DEN BOSCH.



uas *Tuis* incitamentis, VIR EXIMIE! conſcribere aggreſſus ſum, tandemque ad finem perduxi Obſervationes Epidemicas, ea, qua par eſt, reverentia, Nomini *Tuo* facere ſacras æquum eſt.

eſt. Perſpectâ enim Epidemiæ vi, ejusdemque in miſeros perſeverantiâ, ſtimulos quidem iteratos addidiſti, quibus ſuſpenſam mentem, propter materiæ gravitatem, ſcribendique deſuetudinem fulcires, atque inſuper inſtructiſſimam Bibliothecam *Tuam* non modo ſponte *Tua* mihi obtuliſti, verum ex eadem prætioſiſſima Principum Auctorum monumenta ſuppeditaſti: cui immeritæ in me benevolentiæ gratias cumulate refero. Nihilo tamen minus ab incepto ſæpius deſtitiſſem labore, cum animadverterem difficultates fere inſuperabiles ob praxeos late admodum diffuſæ frequentiam, & naturam ejusmodi morborum implicitam, non ita facile ad normam redigendam: nam ad ſcopum (§. IX.) obtinendum, quoties illud ſaxum volverem, duas potiſſimum ſuperandas eſſe difficultates videbam. Primum enim quum deeſſent, quibus cum fructu uti poſſem, in ſingulis ſcilicet morbis, ſignorum præcepta, ipſe ego hunc mihi laborem impoſui, ut de concinnandis determinati morbi ſignis cum cura cogitarem, & præter ea

quæ in propriis ægrotis meis obſervaveram, præcipua, quæ chartis paſſim mandaverat Vetuſtas, indicia ad ſuos titulos colligerem. Deinde, quum ea, horis tantum ſubſecivis, calamo excipienda, ac deinceps ex adverſariis meis ſuo quæque loco eſſent ſubjungenda, id & operoſius, & cum magno temporis diſpendio conjunctum eſſe deprehendi. Memini quidem *Te*, VIR CELEBERRIME ſemel atque iterum me a ſpiſſo illo opere dehortatum fuiſſe: aſt recognoſcens quantum gravatus ſim in miſere vermibus affectis tractandis, vix Medicinæ Scholis egreſſus, non potui non ea, quæ in proprios uſus collegeram, in uſum Tironum Medicinæ ſingularibus Epidemicis Obſervationibus ſubnectere; ut habeant quaſi germanum exemplar, novis lucubrationibus ulterius perficiendum, quo in tantis tenebris apud optima fide dignos auctores ipſis via monſtraretur. Inter enim vaſtiſſima Medicinæ Dogmata, probe noſti, minime abſolutum eſt caput illud *de Potentia Morbifica Animata*, pertimeſcenda interea adeo, ut primarii Medicinæ Patroni hanc

hanc *Malum Dæmoniacum*, & *Res portentotissimas, quarum propemodum majores excogitari nequeunt*, vocaverint. Sed præterea multas Verminantium Historias pervolvendo, pulcherrima quidem aliorum observata hinc & inde offendi, plerumque latebris suis recondita, inter quæ prodigiosa Parentis Medicinæ loca nequaquam ex postremis existimavi. Enimvero ex accuratissimis ejus de multiplici mucoso vitio, deque ejus cum vermibus affinitate, quod mirabili connubio ac suo laconismo consentaneo per nomen *τῶν θηρίων* expressisse videtur, apertissimum fit, solum HIPPOCRATEM, naturali tantum systemati affixum, præ omnibus reliquis maxime de abdita illius potentiæ indole meritum fuisse. Cumque & observationes inveniantur, quibusdam forsan minus apertæ, hinc haud abs re visum fuit, vel Epicrisin, vel Scholion, vel ambo simul iisdem adjungere; ut tum meam, tum aliorum mentem iisdem aperirem; ne vel invitus deprehenderem, alios præter opinionem meam male eas interpretatos esse. Perplacuit etiam

Magnorum Virorum mos, per Scholia nempe in proprias enarrationes commentari. Quibus tamen operam navando sententiæ istius memor esse studui (*), *sapientis esse paucis philosophari, nihilque cum contentione & pervicaci studio tueri, conjecturas aliorum modeste perpendere, suas, ne indoctior videatur, si lyra in symposio oblata canere nesciat, absque arrogantia & ambitione proponere, neque demonstrationes promittere, ubi intra conjecturas rei ipsius indoles imperat.* Quapropter difficilem meum laborem æqui bonique consulas spero atque voveo.

Superest de ipsis Morborum Historiis verbo monere. Legibus tantum naturalibus obstrictus, individuorum symptomata, quanta colligere integrum dabatur, exhibui: nam omnia & singula dare non licuit, quoniam sero aliquando nimis ad ægrotos sum vocatus, nec quotidianis visitationibus, propter ægrotantium

tium

(*) F. Hoffmann. *de Animalibus H. C. infestis hospitibus* in Præfatione.

tium diſtantiam vacare valebam. Cognitionem præprimis morbi cujusdam in genere ſupponens, peculiare tantum & Epidemicum, maxime vero criticas perturbationes adtendi, novaque morbi ſpecie ſemet manifeſtante, in ſingulis illud oſtendi. Has & ordine quodam ſyſtematico digeſſi, indeque morbi Genus ſeu Hiſtoriam generalem condidi, cui tot diſcrepantes ſpecies addidi, quot apparerent neceſſariæ ad datam hiſtoriam illuſtrandam; hiſce deinceps Theoremata Practica, quæ vel ſtabili norma vera atque indubitata prehenſa fuerunt, ſubjunxi.

Gaudeant & ſuis delineationibus magni & accurati Viri Roederer & Wagler! quorum obſervationes ſi noſtris adplicantur, ac viciſſim noſtræ illorum, ſuos Lectori non denegabunt fructus. In hoc tamen mihi congratulari haud erubeſco, noſtras & illorum obſervationes ſe quaſi congenere amicitia invicem recipere, quoad morborum metaſchematismos, tranſitus in alios morbos, tandemque in Variolas finientes, idque uno eodemque tempore: & quod ſpeciales Mor-

bos attinet, crises quoque malas, Aphthas copiosas, Scabiem, Ulcera, Intertriginem, multiplices Inflammationes secundarias, Gangrænas, Erysipelas, utrisque similiter ac mihi observata esse. Palam tamen fateri cogor, egregias illas Observationes vertente anno demum ad manus meas pervenisse.

Aptissimam etiam occasionem præbent Morbi Epidemici ad mirandum illud *το θειον* in morbis agnoscendum, cujus attentâ consideratione imbecillæ humanæ mentes ad modum revocantur, ingenii petulantia coërcetur, ac systematum fabrica, utut firmis indubitatisque fulcris innixa, sæpissime valde truncata & debilis existit; dum individuorum in singulis contemplatione ad veram simplicitatem nobis via panditur.

Horum, utpote *Tuis* de fontibus petitorum, atque veris *Tuis* Pathologiæ præceptis superstructorum, in neminem magis quam in Te convenit calculum subducere, penes quem momenta maxima innotescunt, cujus sub favore tutissima sunt. Nec quidquam justius, quam, veluti flumina in mare redeunt, cui

de-

debent originem, ita etiam primitias has laboris mei practici pervenire ad TE, ut primam scaturiginem.

Accipe igitur, VIR SUMME! ea, qua soles, benevolentia munusculum hocce, tanquam verum in TE Pietatis ac Verecundiæ meæ multorumque Benefactorum, quibus me accumulasti, monumentum, maxime in gravi, quem perpessus sum, morbo, quo non solum nunquam non votis meis paratus, verum etiam ut Amicus & Pater acerbitatis meæ particeps fuisti. Fateor quidem serò nimis, nec tam expedite me in hoc opere *Tuis* satisfecisse votis, quam *Tu* TE facilem meis præbuisti. Amborum tamen non eadem est ratio. Memor *Tui*, *sat cito*, *si sat bene*, lente festinandum existimavi: cum nihil facilius sit, sed etiam difficilius nihil, quam conscribere Observationes. Quare id mihi in votis est, ut expectationi Tuæ magis quam mihimet ipsi satisfaciat hicce observationum Fasciculus.

Superest subnixe petam ut eandem mihi Benignitatem & Benevolentiam, quibus TE Præceptorem, Fautorem atque Amicum semper


per expertus ſum, in poſterum etiam conce- das. Faxit SUMMUM NUMEN ut in inclytæ Academiæ Batavæ ſingulare Decus, inque Reipublicæ litterariæ Emolumentum, ſalute & incolumitate quam diutiſſime ſuperſtes ſis!

Dabam Hagæ Comitum
Calend. Januar.
MDCCLXIX.

CON-



CONTENTORUM CAPITUM ET SECTIONUM ELENCHUS.



INTRODUCTIO.

Con-

Initio

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

In-

Et

** Om-

SECTIO SECUNDA.

Epi-

SECTIO TERTIA.

Ægro-

SECTIO QUARTA.

SCHO-

CAPUT QUARTUM.

SECTIO PRIMA.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

VENTRICULI CRUDITATES NAUSEA RUCTUS ET VOMITUS.

SECTIO TERTIA.

ALVI FLUXUS VERMINANTIUM.

SECTIO QUARTA.

SEQUELÆ EX PRIMARUM VIARUM MORBOSA CONDITIONE.

SECTIO QUINTA.

URINA VERMINANTIUM.

SECTIO SEXTA.

STRANGURIA VERMINANTIUM.

SEC-

SECTIO SEPTIMA.

AMAUROSIS SUBITANEA ET PUPILLARUM MAJOR JUSTO DILATATIO.

SECTIO OCTAVA.

DE CETERIS VERMINANTIUM SYMPTOMATIBUS.

CAPUT QUINTUM.

ANIMADVERSIONES QUASDAM IN MEDICAMENTA ANTHELMINTICA DICTA SISTENS.

Qui-

CAPUT SEXTUM.

QUORUNDAM VERMINANTIUM SYMPTOMATUM RATIONEM EXPONENS.

*** XIV.

CAPUT SEPTIMUM.

DE QUIBUSDAM CIRCA VERMINANTIUM DIAGNOSIN MOMENTIS.



HISTORIA CONSTITUTIONIS EPIDEMICÆ VERMINOSÆ,

ANNO 1760, 1761, 1762 & *INITIO* 1763.

PER INSULAM

OVERFLACQUE ET CONTIGUAM GOEDEREEDE GRASSATÆ.



INTRODUCTIO.

§. I.

Priusquam Conſtitutionis Hiſtoriam tradere aggredior, quædam in genere, paucis quidem, præfari, haud alienum ab inſtituto meo viſum eſt. Series nempe Obſervationum etiamſi gravia & utilia, accurate & copioſe, a priſcis ad noſtra usque tempora exhibuerit, *Potentiam* tamen *Morbificam animatam* nondum adeo exhauſit, ut omnibus abſoluta appareat numeris ejus doctrina: quin contrarium potius conce-

 dunt

dunt longe clariſſimi auctores. Quum vero noſtrum haud ſit, omnia, quæ huc ſpectant, repetere, quasdam modo animadverſiones adjiciemus.

§. II.

Multis *Pathologia Animata*, terribilium adeo lethaliumque tot morborum & ſymptomatum ferax, ſupervacuus in Medicina locus eſſe videtur, ut vix animum nonnulli advertant, quæ tempora anni, qualia temperamenta, quænam partes ſint ætatis, aliaque vermibus affinia. *Non quod non omni tempeſtatum genere*, ut ait CELSUS (*a*), *omnis habitus homines per omnia genera morborum & ægrotent & moriantur, ſed quod frequentius tamen quædam eveniant. Ideo utile eſt ſcire unumquemque, quid, & quando maxime caveat.* Igitur hi parum Medicinæ huic, ægrisque ſuis conſulunt. Aliis dein abſoluta habentur, quæ ab AËTIO AMIDENO (*b*), PAULO ÆGINETA (*c*), AVICENNA (*d*), ALEXANDRO TRALLIANO (*e*), aliisque, quamvis egregia quidem, priſcis monumentis mandata ſunt poſteritati; adeo ut plurimi auctores hos verbotenus interpoſuerint ſyſtematibus ſuis nihil ferme adjicientes, niſi quod acceperant; cum tamen perpauci vermes in conſpiratione cum aliis morbis propoſuerint. —— Contra alii, viſa potentiſſima in miſeros Lumbricorum vi, omnium fere morborum, vermes atque lumbricos habuerunt cauſſam; quod de putridis malignis, peſtilentialibus, morbisque cutaneis, multis,

(*a*) Lib. II. *præfat.* pag. 42. ed. Leid. 1746.

(*b*) *Tetrabibl.* III. Serm. I. cap. XXXIX. pag. 529.

(*c*) *De Re Medica*, Lib. IV. cap. LVII. pag. 241. Argentor. 1542.

(*d*) Lib. III. Ten. XVI. Tract. V. cap. II. pag. 351 & 352. ed. Ven. 1502.

(*e*) *In Epiſtola de Vermibus.*

tis, ita factum esse, vel Medicina parum imbutis notum est (*f*).

§. III.

Verum præter hanc (§. II.) minus adaptatam profitendi viam, supersunt difficultates multæ, ipsis rebus, hactenus nondum penitus detectis, tribuendæ, quæ respectu Historiæ Naturalis generationem maxime istorum spectant animalium: adeo, ut diversa variorum systemata, quorum alterum univocæ, æquivocæ verò alterum magis favens generationi, nondum ad veram simplicitatem perducta sint. Taceo diversas, nondum omnes cognitas, vermium species; vel eorundem cum ipso homine coævam genituram. Hæc quidem & plura alia cum magis ad theoriam pertineant, quam ad praxin Medicinalem, vel maxime naturæ curiosis inquirenda relingui possunt, neque adeo nos morari debent. Majoris momenti est inveterata illa in Semeioticis querela, vix inter alios morbos cognosci posse infestos hostes; quoniam fere nullum datur morbosum symptoma, quod non oriri possit & observatum fuerit a Lumbricis & Vermibus (*g*). Unde strenui morborum verminosorum observatores expulsionem eorum foras, optimum in ægrotis salutarunt indicium (*h*).

§. IV.

(*f*) Confer. Jo. BAPTISTÆ MOREALI *systema theoretico-practicum febrium malignarum & contagiosarum*, vel *comment. de rebus in scientia naturali & Medicina gestis*, Vol. I. pag. 239. ANDRY *de la generation des vers dans le corps de l'homme*, Paris 1741, Tom. I. pag. 341. & Cel. VAN DOEVEREN, *de vermibus intest. homin.* pag. 7.

(*g*) VAN DOEVEREN, *Lib. cit.* pag. 64.

(*h*) Ex pluribus pervolvi possunt HOLLERIUS, *de morbis internis.* cap. 54. pag. mihi 568. ed. 1611. FORESTUS, *in*

 observ.

§. IV.

Attamen, re propius perpensa, videntur hæc (§. III.) egisse altas nimis radices, & nimis confidenter aut dicta aut ab aliis credita fuisse, ut ideo firmiori diagnosi quodammodo fuerint impedimento & ab acriori scrutinio absterruerint. Apparet certe etiam in valde abditis casibus attentos Medicos aliquid lucis invenisse, unde dignotionem haurirent. Quin etiam ab ipso Medicinæ Dogmaticæ ortu, præclara Signorum Pathognomonicorum dictorum prostant testimonia, quibus discernere valuerunt animatam potentiam, aliis intermistam pathematibus. Salutaris artis Princeps HIPPOCRATES pulcerrima auro cariora nobis reliquit (*i*). CÆLIUS AURELIANUS ex variis proposuit determinata in singulis phænomena (*k*). Ne tamen longa nimis recensione Lectori molestus sim, unum alterumve ex recentiore ævo proferam exemplum. Illustre suppeditat MUSA BRASSAVOLUS (*l*), qui ex halitu putrido vermes cognovit in acute decumbente, fereque mortuo 82 annorum sene, quem atris faucibus eripuit, apto remedio, ex Scordio nimirum & Corallina, plures 500 educendo. Plura memorantur apud FORESTUM, & quidem inter alia, in quartanaria, cum tussi sicca

observ. & curation. Medicinal. Lib. XXI. obs. XXVIII. p. m. 351. edit. Francof 1623. F. HOFFMANNI *Med. Rat. System.* ed. in folio, Tom. III. pag. 491.

(*i*) Potissimum in *Coacis Prænotionibus*, & *Libris Epidemicis*, ut infra suo loco patebit.

(*k*) *De Morbis Acutis & Chronicis*, ex editione J. C. AMMANNI, Lib. IV. cap. VIII. p. 533. & seqq.

(*l*) *Commentar. ad Aphorism.* 26. Lib. III. HIPPOCRATIS, vel apud HOLLERIUM, *de Morb. intern.* cap. 54. schol. pag. 562.

ca (*m*). Eodemque auctore disci potest, in puero novem annos nato, jam per tres quatuorve menses lecto adfixo, vermes intus inhospitantes, obscuro, ne effatu quidem digno dolore proditos fuisse (*n*). Ut autem in hisce casibus, sic etiam in aliis illi, qui familiaritatem quandam cum morbis verminosis contraxerant, æque felices in facienda diagnosi fuerunt: quemadmodum præter alios non mediocres viros, plurima ex RIVERIO, BONETO, F. HOFFMANNO, ANDRYOque, aliisque pluribus, perspicere licet. —— Ergo etiam Signa conspicua, sub aliis morbis, ediderunt vermes. Neque rei consentaneum videretur, Potentiam Morbificam Animatam fore destitutam prærogativis, quibus morbus gaudet unusquisque, etiamsi minimus existat, aut parum vigeat.

§. V.

Severo enim scrutinio apparet symptomata non promiscue subesse morbis. *Cum & sua morbus quilibet habeat symptomata, sibi propria, necessaria, semper eadem, quæ & præsentem declarant, & cum ex natura ejus profluant, inque diversis ideo diversa sint, ab omni alio distinguunt.* Quemadmodum nervose & veritati congruenter inculcare semper adnititur Cel. GAUBIUS (*o*) *Pathologiæ Medicinalis egregius promotor.* Nec certe aliquo fundamento regeri potest, quod vermes persæpe sistant symptomata, quæ respectu doloris, aliusve apparitionis,

(*m*) *Lib. citat. de Symptomatibus febrilibus*, Lib. VII. obs. XXXVI. pag. 233.

(*n*) *Eodem libro*, obs. XXIX. Lib. XXI. pag. 352.

(*o*) *Institution. Patholog. Medicinal.* §. 835.

nis, aliorum potius morborum, qui tanquam idiopathici in conſpectum prodire ſolent, effectus atque indices eſſe videantur. Quum nemo non percipiat, eujsmodi phænomena, etiamſi ſub alia facie prodeuntia in ſcenam, ſemper aliquid ſpecifici & individui præ ſe ferre, quo ab exercitato ab aliis cauſſis internoſcuntur. Quod vel probe obſervavit Hippocrates (*p*), ubi Exanthematum a feris alvinis oriundorum mentionem fecit: perinde ac Cælius Aurelianus in Epilepſia, Catalepſi, aliisque morbis animadvertit (*q*); verumque capitis a vermibus dolorem Valesius de Taranta (*r*). Amauroſin verminoſam, cœcitatem, linguæ aphoniam multaque de genere ſpasmodico-convulſivorum a Lumbricis obſervarunt alii. Pleuritidem ab eadem cauſſa excitatam, jamdudum animadvertit Gabucinus (*s*). Cardialgias, dolores colicos, diarrhœas, dyſenterias, plurimaque in abdomine pathemata, veluti hæmorrhagias ſpontaneas, ſtranguriam, calculo dolores æmulos, quorum non minus luculenta proſtant exempla, mihique ipſi ſæpius obſervare datum eſt. Sic nuper malignas febres eſſentiali ſtipatas differentia publici fecit juris Doctiſſ. Bianchini (*t*). Quemad-

(*p*) *Coacarum prænotion.* n°. 467. Foësii, & Dureti pag. 336. ed. 1737.

(*q*) Lib. citato, pag. 535.

(*r*) *Philonium dictum*, Lib. I. fol. 2. verſo, vel apud Ballonium, *oper. omn.* Tom. III. pag. 423. ed. Venet. 1737.

(*s*) Apud Bonetum, *Sepulchret. Anatom.* Tom. I. obſ. XXXVII. Lib. II. ſect. IV. p. 637.

(*t*) *Lettere Medico pratiche intorno all' indole delle febbri maligne e de' loro principali rimedi, colla ſtoria de vermi del corpo umano e dell' uſo del mercurio*, Venezia 1750. vel *Com-*

admodum insolita quoque, inter quæ minime transeundem, Erysipelas bullatum in facie, atrocissimos dolores ischiadicos, salivationes horrendas in variolis, papulis jam deciduis, observare hacce in constitutione mihi contigit.

§. VI.

Nec aliter res quoad universam Aitiologiam comparata est. Nam quemadmodum symptomata morbis promiscue non eveniunt (§. V.), ita etiam minime indiscriminatim sese produnt. Quotiescunque hinc ad producendum augendumve morbum concurrunt potentiæ singulares, alienæ, insolitæ, toties necessum est etiam in morbi effectibus i. e. symptomatibus aliquid novi, alieni, inusitati comparere, ex quo attentus Medicus subolfaciat complicationem aliquam subesse. Magnum hinc, proh dolor! sanæ Pathologiæ adfertur detrimentum, inque damnum misere decumbentium, ex nonnullorum Medicorum cacoëthe; qua audito uno alterove cardinali, ut ita dicam, symptomate, statim & præmature nimis *Nomina* morbis imponant, totamque nomini superstruant *Morbi* indicationem. Veri e contra Medici est, ad morbi adæquatam comparandam ideam, ex phænomenis omnibus ad caussam ratiocinari; neque quærere nomen tantum morbi, sed quid caussam expediat: qua via sub vera facie in conspectum prodire solent abditæ caussæ; adeo, ut specifica præbeatur diagnosis, quæ alias trunca & debilis existit. Quæ quidem methodus si in universum ubique est adhibenda, quidni etiam in Morbis verminosis? Nonne igitur

Comment. de rebus in scientia naturali & Medicina gestis, &c. Vol. I. pag. 240.

igitur hoc duce, in multis difficulter nunc dijudicandis verminantium ærumnis, clarior exſurgeret Diagnoſis & huic congrua Indicatio? Utique ſic mihi viſum eſt, cum hac via ſequentes collegerim obſervationes, quæ ſatis firmum mihi in medendo ſuppeditarunt fundamentum. Quoque ſimul apparuit, Diagnoſin animatam, haud adeo ſemper intricatam exiſtere, quam vulgo & generaliter nimis ſtatuitur. — Et quanquam complicationes vermium cum morbis idiopathicis ſatis exiſterent magnæ; raro tamen contigit, quin ſerius ocius in ſcenam prodierint vermes, ſuis ſignis conſpicui.

§. VII.

Ex hactenus recenſitis, ut vela contraham, apparere cuilibet poteſt, quod multa quidem circa potentias morbificas animatas adhuc lateant longéque abſit, quo minus ad eam, quæ deſiderari posſit, perfectionem iſta materiès deducta ſit; at minime tamen omnem hujus rei culpam, in ipſa ſemper & ubivis abdita rerum indole, imo & ex parte in minus adæquata medendi via quærere fas ſit. Conſtatque præterea in minus evidentibus caſibus cognoſci potuiſſe ingratos hoſpites, recognitis omnibus; immo ſpecifica ejusmodi pariter ac reliquis morbis ineſſe phænomena, diſtincta ab aliis, ad quæ dignoſcenda ſevera utendum ſit indagine: adeoque in pluribus, determinatam Diagnoſin acquiri poſſe, ex dictis ſatis colligere licet.

§. VIII.

Utinam ergo tandem interaneorum animalculorum pathemata, ad ſuos titulos revocata, ſuisque cir-

cum

cumſcripta limitibus cernere, integrum foret! Unica in hiſce adhuc ſupereſt via, quæ ſola vera, eaque naturalis & Hippocratica: ut quidquid ad ægrotantium lectos, quoad hanc materiam ſenſibus ſeſe offerat, obſervando, colligendo, & ordinando ſedulo proferatur in medium: quo pacto deſperandum non eſſet, quin iterato & ſevero ſcrutinio, firma non minus, quam in Acutis ſternerentur fundamenta, & etiam hæc Medicinæ pars, perinde & æque certo, ſanitatem ægris, quam reliqua Medicina, promittteret.

§. IX.

Habet autem ætas noſtra cur ſibi gratuletur, quod in tanta verminoſorum morborum frequentia non pauci egregii Viri, eo etiam titulo de Medicina optime meriti, ſuas ſuper hac materie obſervationes in publicum evulgarint. Optandumque ut aſſiduo labore ſuperſtites hiatus adimplere ſtudeant. Quare & ego communi inſerviturus utilitati abſtinere nolui, quominus ea, quæ in verminatione hujus regionis, in qua hucusque Medicinam feci, per triennium & ultra graſſata, collegi, in publicum edam. In quibus pertractandis quidem hanc operam dare ſtudui, ut, quoad fieri licuit, quid proprie in verminantium Morbis accidiſſet; quasnam mutationes iisdem induxerint; quibusnam auxiliis ad ſanitatem perducti ſint; & utrum manifeſta ſymptomata, tanquam ſigna certiora ad veram eruendam diagnoſin, & ubinam, acquiri poſſint, exponerem. Quod anne adſecutus ſim, æquus dijudicet rerum arbiter. —— Cum denique inſtituti hujus ratio poſtularet, ut aliorum Medicorum Ob-

ſervationes ſæpenumero meis ſubnecterem; interdum, ſi ſanæ rationi repugnarent, lapſus monſtrarem; id ea, qua ipſe meos reprehendi vel emendari errores æquitate velim, ſemper facere conatus ſum.

§. X.

Hiſce propoſitis, viſum eſt:

I. In genere præmittere *Verminoſæ Conſtitutionis Hiſtoriam*; ita etiam

II. Quædam circa *Regionem*, *Incolarum vitæ genus*, *Atmoſphæræ conditionem* (u), & pauca *quædam circa vermium in corpore humano generationem*;

III. *Morbos ipſos tum epidemice, tum ſporadice, cum vermibus* obſervatos ſingulatim tradere;

IV. *Symptomata* nonnulla, promiſcue varios hujus conſtitutionis morbos comitantia exponere, ac

V. Quædam circa *Medicamenta* adhibita:

VI. In rationem plurimorum *Phænomenûn* inquirere, ex quibus tandem

VII. Quædam *Diagnoſin* ſpectantia ſequuntur.

(u) Ita enim præcepit Medicinæ Parens *de Aëre, Locis & Aquis*, Foësii Sect. III. pag. 230. ed. 1657. Et reſpectu verminoſorum ſymptomatum, modo laudatus Bianchini obſervare juſſit, an moderate aut crapuloſe vixerint ægri & dulceamentis ſeſe ingurgitare conſueverint; perinde locorum, ſeu regionis, ubi graſſatus fuit morbus, naturam paludoſam ſæpe; ventorumque humidorum & tempeſtatis diuturnæ pluvioſæ conſiderationem præcepit, *Lib. citat.* pag. 201.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

EXHIBENS

HISTORIAM CONSTITUTIONIS EPIDEMICÆ IN GENERE.

§. XI.

Casum unum alterumve varius anni 1760 terminus suppeditaverat, abditioris consueto naturæ; serinus vero autumnus (*v*) plurimos ejusmodi cum vermibus exhibuit, quibus maxime abundarunt anni 1761 & 1762. adeo, ut vermes, qui familiares sunt genti nostræ, multo fuerint copiosiores; & vix prodiret morbus, quin Lumbricos, puta teretes (*w*), socios sibi adscisceret. In-

(*v*) Hippocrat. *de morbis vulgaribus*, Lib. II. sect. III. pag. 996. & Lib. VI. sect. I. no. 13 & 14. pag. 1165.

(*w*) Plerique vermes fuerunt generis teretium, in paucis animadvertebantur Ascarides; unicum modo ægrotum, Tænia articulos dimittente, tractavi obsessum.

Lumbricos teretes cum visceribus prolapsis aliquando exire de corpore, qualem exhibuit Doct. M. Houttuyn, *Uytgesogte Verhandelingen*, V^de Deel, pag. 207. Tab. XXXI. Fig. 1. non raró contingit; adeo, ut nihil peculiare præ se ferat. Huic quidem demortuo vasa seminalia albicantia, dehiscente cylindro, per rimam (fig. 3. K.) propenderunt; quod calcato verme accidere solet, teste Ill. van Zwieten, *Commentar. in H. Boerhaave Aphorism. de cogn. & cur. morb.* §. 1363. Tom. IV. pag. 702. cujus egregia in vermes com-

Insueta perquam animadvertebantur Symptomata, quæ ordinariæ medendi methodo minus æquo paruerunt; etiamsi ex nomine & singulari morborum specie deducta secundum artis normam adhiberetur. Quæque primo adspectu mitescere cœperunt, insurrexerunt postea ita, ut continuas ab iisdem perpaterentur recidivas ægroti. Instituto examine quædam vermium detexi signa, ipsosque, exploratis excrementis, infestos hostes. Quibus recognitis, egregie in pluribus compescebantur turbæ; directa jam in animatam potentiam medendi methodo. Unde misere affecti citius liberati sunt, vel morbus aptius ad crisin perducebatur. Quod frequentissime expertus, non possum non verbo mo-

commentaria, lectu dignissima, unicuique commendari debent. Qui rimam hancce ad tertiam circiter totius longitudinis a capite distantiam, in vermibus rotundis humanis, (in vitulinis vero capiti propinquiorem) adesse ibidem docet. Plures ejusmodi Lumbricos ex ægrotis comparavi; unumque & alterum Nob. A. VOSMAAR, qui magnam vermium copiam, ad species detegendas diversas, in Thesauro incomparabili rerum naturalium SERENISSIMI PRINCIPIS BELGII FOEDERATI GUBERNATORIS, collegit, tradidi. Vasa hæcce albicantia, quæ veluti juniora animalcula per integumenta apparent, intestinorum in modum, mirisque contorsionibus, convoluta, in dissecto verme longe amœniori spectaculo sese prodeunt; quod nunquam, nisi summa admiratione, de mirifico artificio, quo summus rerum Conditor vasa ista animalibus illis fabrefecit, conspexi. Unde aliquomodo colligi potest, quam stupenda eorundem sit propagatio! nam cum liquor, præter dubium, genitalis, dictis in vasculis albicantibus contentus, (quorum si enodari possent, immensa pro animalis magnitudine longitudo est,) optimis lentibus lustretur, totus quantus ex globulis ellipticis, ovula prorsus referentibus, constare videtur. Vasa hæcce seminalia in dissecto lumbrico tereti tabula ænea repræsentavit, Doct. M. VAN PHELSUM, *Verhan-*

monere, minus tutam iſtorum Medicorum mihi apparere viam, qui Lumbricos & copioſe quidem in Epidemicis Conſtitutionibus obſervarint, quamvis ſpecialia iisdem adverſa in uſum non vocarint pharmaca. Contra ego fateri quidem cogor, quod raro ejusmodi morbos depulerim, quin aliquomodo adtemperanda eſſet medela iisdem: præſertim in urgentibus ſymptomatibus, privam omnino ſibi poſtulantibus. Recte interim præcepit ANDRY; ut ex eo tempore, quo adeo copioſe obſervare contigit vermes, verum reperi; (x), ubi inquit, *On n'examine pas aſſez, s'il y a des Vers dans les Malades; delà vient que pluſieurs perſonnes tombent quelquefois en langueur, & meurent, ſans qu'on en ſçache la veritable cauſe.*

§. XII.

handeling over de Wormen, Tab. IV. Fig. VI. Plures in hacce tabula, inque opere memorato, inveniuntur teretium ſpecies; quorum ſecundæ ſpeciei, T. V. & pag. 163. *cum cingulo excavato* teretem ſemel deprehendere mihi contigit; quemque etiam ſupra memorato Theſauri præfecto conceſſi. Tertiam ſpeciem, *bicaudatum* dictam, nondum reperire mihi contigit. Ceterum num Teretes Aſcarides gignant, (confer. Ill. VAN ZWIETEN *Comm. Tom. IV. pag.* 710.) Dies doceat! Attamen vero frequenter hodie in ventriculo, ibidemque peſſimas Cardialgias & exitialia ſymptomata creantes, animadvertuntur: quin diverſæ magnitudinis a duobus ad 10 & 11. pollices longos, cum aliis, eosdem obſervavi. Hinc optandum, ſi denuo occaſio ſeſe offerat, cujus meminerunt AMAT. LUSITANUS *Curat. Medicin.* Cent. V. nº. 46. vel SCHENKIUS *Obſervat. Medicin. rarior.* pag. 355. & ZAMPONI *comm. de reb.* Vol. IV. pag. 647. vide & VAN DOEVEREN, pag. 52. ut accurate perveſtigentur, in quantum cum Aſcaridibus conveniant, vel ab iisdem recedeant.

(x) *De la Generation des vers*, Tom. I. pag. 339.

§. XII.

Phænomena hæc (§. XI.) jam aliquomodo animadvertebantur menſe Martio & Majo 1760. Sub autumnum vero prima incepit regularis invaſio, qua Putridis febribus refertis vermibus, prehenſi ſunt omnes fere ægroti. Et adeo univerſalis perſtitit, ut vermes omnibus fere morbis, qui in varium anni tempus incidere hic ſolent, ſubfuerint, perque totum ſubſequentis anni tractum admodum feraces ſe oſtenderint. Hyeme vero peſſimæ Peripneumoniæ, complicatæ admodum, ut & Pleuritides, unum & alterum invadebant.

§. XIII.

Vernalibus anni 1761 Febribus, ſemet in nonnullis inmiſcuerunt vermes. Catarrhales bilioſæ, Diarrhœæ aquoſæ, atrocibus junctæ torminibus; quædamque Dyſenteriæ, gravia quibusdam tunc temporis ciebant pathemata. Per reliquum anni decurſum eadem perſeveravit lues: autumno enim ſucceſſerunt febres Bilioſæ, Hepatitidem mentientes. In nonnullis, perinde ac anno ſuperiore, animadvertebantur Synochi diris ſtipatæ anxietatibus; maxime labente Auguſto, perque Septembrim atque Octobrim. Hyeme rurſus contigerunt Peripneumoniæ nothæ.

§. XIV.

Inchoato vix anno 1762, Peripneumoniæ nothæ, putridæ, ſubcomatoſæ, immo & ſuppuratoriæ, admodumque graves in pluribus oriebantur. Tempeſtate vero ſereniore, aëreque conſtanti & cœlo,

cœlo, plerisque his (§. XII-XIV.) vacavit Aestas: quæ tamen Sporadice magis evenientibus morbis, in teneriori ætate adjecit Aphoniam, Catarrhosos affectus, una cum paralysi, convulsiones, mentisque alienationes, & id genus alia. Omnia tamen ante solstitium æstivum. In ipso autem Augusti limine, eadem, ac ante, vi urgebat verminosa Epidemia. Multi quippe febre afficiebantur biliosa, tertianarum generis, & subicterica; quæ eodem modo, quam anno præterito, quoad infestos hospites erat comparata. Mense tamen Octobri Rheumaticis affectibus pertinacibus, ut & stranguriâ verminosâ nonnulli torquebantur. Pleuritides, vertente anno paucæ, ast lethales; perinde ac Peripneumoniæ nothæ, sub intenso brumæ frigore, pressos interemêre; maxime in vicino pago, ubi triplo consueto plures occubuerunt homines.

§. XV.

Initio 1763 adhucdum vexarunt Pleuritides & Peripneumoniæ. Attamen pauciores sub anni finem animadvertebantur vermes. Variolæ potius in uno & altero pago prodierunt, animata in quibusdam intermista potentia morbosa. Quod simili contigit modo anno 1764, quo tempore malignæ confluentes & crystallinæ, vehementibus cum præcordiorum anxietatibus, grassatæ sunt in aliquos verminantes. Itaque magis inflammatoriæ quam verminosæ indolis tunc temporis exstiterunt Morbi Epidemici.

§. XVI.

Quemadmodum autem non eodem tenore per-

rexit

rexit Epidemia noſtra; ita etiam aliter prehendit diverſi habitûs homines. Ingruens enim Incolarum modo adflixit tenuiſſimos & mediæ conditionis, deinceps etiam altioris ſortis; nec intacti manſerunt ſupremæ conditionis homines. Mirandum etiam, quod viri, incipiente verminatione, paſſi ſint præ feminis; poſtea vero hæ magis afficiebantur potiore ſexu. Anno autem 1763 tenerior ætas & ſexus ſequior; pauci e maſculo. Attamen ſenes æque laborarunt, ac adoleſcentes, inferiorque ætas: manifeſto indicio, ætatem, neque hominum conditionem, reſpexiſſe vermes. Hyeme tandem 1763, pauci evaſerunt è maribus, aliquæ vero e mulieribus redierunt.

§. XVII.

Ex quibus (§. XI-XVI.) apparet, vim ſuam maxime in ægrotos exſeruiſſe vermes, cum conditiones quædam faventes in alios præ aliis homines inciderunt. Unde Animatam potentiam haud adeo ſingulorum morborum ſemper proximam, quam quidem plurimorum ſymptomatum, haberi velim cauſſam. In multis tamen caſibus προηγουμένης titulum tuëri videntur; quippe *conditio quævis corpori inhærens, quâ illud aptum eſt natâ occaſione morbum ſuſcipere* (y) huc pertinet. Quemadmodum vero vermes externâ cauſſâ agitati ſymbolam ſuam morbis attulerunt; ita etiam vice ſuâ ab iisdem actu ciebantur. Quod recte quidem expreſſiſſe videtur Trincavellius (z): *Interdum*, inquit, *plurimum lædunt*,

(y) Cel. Gaubii, *Inſtit. Patholog.* §. 59.

(z) *Enchirid. Medic. ſtudio* Andreæ Christiani, Lib. VI. Sect. III. pag. 731. conf. & Hieron. Merc. *de intern. Pueror. Morb.* Lib. III. cap. II. pag. 353. ed. 1644.

dunt, non quidem primo, ſed per aliud quodpiam medium: ſicuti quando febres magnas & malignas accendunt, ſuſcitatis putridis vaporibus, atque iisdem cordi per venas arteriasque communicatis, vel iisdem ad os ventriculi adſcendentibus, ac deinceps malâ ſuâ qualitate cor afficientibus. Arcto igitur vinculo, agitati, cum morbo cohærent, quem ita mutare valent, ut prorſus aliùs naturæ appareat. Quò quidem reſpectu demum facit animata potentia tantum ad proximam cauſſam plurimorum ſymptomatum, ut non rarò hoc reſpectu *cauſſa continens* dici mereatur (*a*). Quod etiam faſſus eſt Cel. PRINGLE, etiamſi vermes quoque non ut cauſſam conſideraverit morborum. *Lorsque l'Epidemie étoit au plus haut periode de malignité, pluſieurs*, inquit, *rendoient des vers ronds. Ces vers n'étoient point la cauſe des ces fièvres, comme on l'a obſervé ci-deſſus; mais ils concouroient avec d'autres circonſtances à rendre la cure plus difficile* (*b*).

§. XVIII.

Interim nequaquam inficias ivero, ſi quis ex diverſâ morborum naturâ, cum æque fuerit Endemica quam Epidemica, ad Pandemicum retulerit genus Conſtitutionem noſtram; quippe ex communi cauſſa per populum graſſati ſunt vermes & regioni huic plus minus perpetua eſt verminoſa lues: quæ nunc ad tempus magis ſe exſeruit (*c*). Sufficit tamen ad verminoſæ Epidemiæ ideam, vermes fuiſſe copioſiores conſueto, perque tempus ali-

(*a*) Cel. GAUB. *Inſt. Pathol.* §. 60.

(*b*) *Maladies des Armées*, Vol. I. part. III. Chap. IV. §. II. pag. 273, 274. ed. de Paris.

(*c*) Cel. GAUB. *Inſt. Path.* §. 847. huc confer.

aliquod præter modum irritaſſe; quod ſufficienter demonſtravit Cel. VAN DOEVEREN (*d*). Neque alio hodie accipitur ſenſu Epidemiæ vocabulum quam modo dicto, quo & verminoſæ conſtitutiones comprehenduntur. Cujus quidem ſemper, quemadmodum olim, ita hodie magna fuit frequentia.

Præter deſcriptas autem verminoſarum Epidemiarum HIPPOCRATIS (*e*), aliorumque veterum, proprias verminoſas Conſtitutiones ſatis abundeque ſuppeditarunt ſecula recentiora.

Cel. VAN DOEVEREN quaſdam ad ſcopum ſuum facientes recenſuit (*f*). Quarum majorem numerum collegit Ill. HALLERUS (*g*). FORESTUS ſæpius eaſdem commemoravit (*h*). Aliam rurſus BALLONIUS (*i*). Quin ſæpius in Peſte Vermium fecit mentionem DIEMERBROEKIUS (*k*). Quam ingentem ſtragem ab iiſdem inductam adnotavit BONETUS (*l*), qua LX millia hominum corripiebantur! Similem retulit MANGETUS (*m*), apud Seguſianos, tantam, ut Burghi, metropoli urbe, plusquam ſexcenti menſtruo ſpatio interierint; & in quâ omnes ad unum ægrotum lumbricos, eosque vivos egererent.

Nec

(*d*) *Lib. citato*, pag. 27.

(*e*) *Lib. Epidemicorum*, variis in locis.

(*f*) *Lib. citato, loco citato.*

(*g*) *Ad Method. Stud. Med.* BOERHAV. ad partem IX. &c.

(*h*) *Lib. citat.* Lib. VI. Obſ. II. IV. VII. variisque aliis in locis.

(*i*) *Epidem.* Lib. I. Conſtit. IV. *Oper. omn.* Tom. I. pag. 22.

(*k*) *De Peſte*, Lib. III. Cap. XI. & Hiſt. XLVIII. LII. LXX. Lib. IV.

(*l*) *Sepulchret. Anatom.* Tom. III. Lib. IV. ſect. I. Obſ. LVIII. pag. 227.

(*m*) *Ibidem loci* in not.

Nec minus ætate noſtrâ frequentiſſimæ fuerunt verminationes. In *Gallia*, GEOFFROY (*n*), BOUILLET (*o*), VIEUSSENS (*p*), NAVIER (*q*), RAULIN (*r*), DARLUC (*s*), MARCHAND, DE HENNE, DE CYSSAU, & DE BERGE (*t*), easdem obſervarunt & communicarunt.

Similes in *Italia* adminiſtrarunt & publici fecerunt juris MOREALI (*u*), JO. BAPTISTA BURSERIUS (*v*), JOSEPHUS BENVENUTUS (*w*), ne ſupra laudatum BIANCHINI ſilentio tranſeam.

Abundant verminantium publice graſſantium obſervationibus *Diaria Germanica*, quas ſuis adauxit Magnus WERLHOFFIUS (*x*).

No-

(*n*) *Hiſtoire de l'Acad. R. des Sc.* 1715. pag. 14. 4o.

(*o*) *Eodem libro*, 1730. pag. 42. 4o.

(*p*) *Obſervations ſur la Maladie Vermineuſe de Bergerac*, *en* 1731.

(*q*) *Diſſertation en forme de lettre*, *ſur pluſieurs maladies populaires, qui ont regné à Chalons ſur Marne*, *ab anno* 1744. *ad* 1750.

(*r*) *Maladies occaſionnées par les promptes & frequentes variations de l'air*, &c. à Paris 1752. pag. 157. & 158 & *Obſervations de Medicine*, &c. ibid. 1754. ſect. II. pag. 296. & ſeqq.

(*s*) *Recueil Periodique d'Obſervations de Medicine*, &c. à Paris, Tom. VII. pag. 55. & ſuivantes.

(*t*) *Le même livre*, *le même tome*, pag. 134. 207 & 372.

(*u*) *Syſtema Theoretico-practicum Febrium malign. & contagioſarum.*

(*v*) *Epiſtola ad* PETRUM BALANTERIUM, *de Argenti vivi facultate anthelminticâ*, *Faventiæ* 1753. vel *Comment. de reb.* &c. Vol. V. pag. 416.

(*w*) *Diſſertatio Hiſtorico-epiſtolaris ad virum Cl.* JACOBUM BECCARIUM, &c. a JOSEPHO BENVENUTO, Lucæ 1754. vel *Commentar de rebus*, &c. Vol. V. pag. 666.

(*x*) *Obſervation. de Febribus*, pag. 9.

Notiſſimæ tandem ſunt Conſtitutiones verminoſæ *Batavorum*, quarum altera ſeſe immiſcuit Dyſenteriæ Contagioſo-bilioſæ Neomagenſium (*y*), Culemburgenſium Febribus malignis altera (*z*); a duobus magnis viris D. D. DEGNERO & KLOEKHOFF communicatæ.

Quibus denique addere liceat, quas æſtimatiſſimi Amici litteris ſuis, ſemper mecum gratiſſimis, communicarunt. Cel. nempe VAN DOEVEREN retulit lumbricos nunquam frequentiores, in aliis morbis, quam anno 1759, in Variolis Groningæ a ſe viſos fuiſſe; ſeque obſervaſſe Conſtitutionem Epidemicam verminoſam adeo generalem, ut vix ægrotos tractaverit, qui lumbricis non afficerentur, eosdemque excreverint, perpeſſi prius omnis generis ſymptomata ex eorum præſentiâ oriunda. Nob. dein A. VOSMAER, *incomparabilis* SERENISS. PRINCIPIS AURIACI, &c. *Theſauri rerum naturalium Præfectus*, ex Drenthina regione anno ſuperiore 1764, reſcripſit, acute decubuiſſe, apud virum nobilem, primarium ibidem loci, infantes tres; quorum alteri duo febre tenebantur acutâ, cum exanthematibus, vomituque continuo; ut Medicus arceſſitus Groninganus, febrem miliarem ſalutaret morbum; alterius infantis quatuor quinqueve annos nati, tuſſim ſiccam, ex facie degeneratâ macilentâque, pro hecticâ habens. Dato vero Cortice Peruviano, lumbricis aliquot ſurſum deorſumque excretis, convaluerunt: omnes infantes totius regionis tuſſi hâc malignâ tum laborabant, quâ, eodem modo, emiſſis lumbricis, liberati ſunt.

(*y*) *Hiſtoria Medica DyſenteriæÄhlioſo-Contagioſæ Neomagenſium*, ed. 1754. pag. 27. &c.

(*z*) *Hiſtoria febris epidemicæ Culemburgenſium*, anni 1741.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM,

DE

REGIONE, INCOLARUM VITÆ GENERE, DEQUE ATMOSPHÆRÆ CONSTITUTIONE, ETC.

§. XIX.

Per totam insulam, vernaculâ *Overflacqué* dictam, & proxime contiguam *Goedereede;* utramque situ atque constitutione, quippe ad ostium inferius Mosæ, tam exteris quam nostratibus notissimam, grassata fuit Epidemia nostra (§. XI - XVII.). Communis harum cum ceteris Rei-publicæ paludosis plagis conditio est, ut propter depressum solum sæpius abundent aquis; & hyemales aquæ per cataractas ægre ducantur, si quando flumina (ostium scilicet Mosæ inferioris, *het Haringvliet* dictum; quod etiam pro parte se conjungit cum supremo brachio Scaldis Orientalis; & ambo simul nomine *Grevelingen* insigniuntur) aquarum agmine, aut nive, ineunte æstate, ad montes ipsos ceu fluviorum ortum, soluta, incitantur, ventisque impediuntur adversis, quo minus expedite aquas suas in mare demittant.

§. XX.

Accolæ piſcoſi litoris inquilini, terramque inhabitantes ditiſſimam, captura piſcium atque aratro copioſe aluntur: Maxima vero pars terræ munere, agros colendo, veſcuntur; & qui labore aſpero æſtatem terunt, vitam agunt otioſam tempore brumali. *Victus* vero *ratio* eſt, ut plurimum lacticinia, farinoſa, pultacea, ſolanaque tuberoſa eſculenta, carnesque & lardum ſalitas (*a*) in cibum recipiant. Piſces tamen non admodum familiariter navibus vivos advehunt piſcatores, cum potius eosdem mercatoribus tradant, qui coëmptos piſces foris Hollandicis Brabanticisque exponunt: quandoque tamen contingit, ut magna copia, non admodum recentes, usque quaque, mortuos piſces ruſticis divendant; qui avide, minus delicati palati, in cibum eosdem vertunt. Quo & recenſito cibi genere ventriculum & primas vias, ad gluten producendum ſpontaneum (*b*), indeque oriundam putredinem, admodum diſponunt. Peſſimus inſuper invaluit mos, ut cibis vix deglutitis, calidâ potione Theæ mox inundent aſſumta; quâ etiamſi putreſcibilis ingeſtorum indoles ſupprimi poſſe videatur, vim tamen ventriculi coctricem, & inteſtinorum in ingeſta, valde debilitant, bilemque enervant, ſeſeque ad verminationes valdopere aptos reddunt.

§. XXI.

(*a*) Conf. Ill. VAN ZWIETEN, *Comment.* Tom. IV. §. 1368. pag. 720.

(*b*) Cel. BOERHAAVE *Aphorism. de cognoſc. & curand. morb.* §. 69.

§. XXI.

Acceſſit his (§. XIX. XX.) *Atmoſphæræ conſtitutio.* Sub autumnum anni 1760, imbrem ſatis largum demiſit cœlum, quo lacunæ, elices atque foſſæ, brevi redundabant in vias publicas; quædamque loca depreſſiora ſubmergebantur aquis. Per totam fere hyemem, quæ mitis erat admodum, absque gelu, ſpiraverunt Favonii; quibus aqua fluviatilis (§. XIX.) aucta jamdum, impediebatur magis; neque minus rurali impoſuit obicem. Plusquam menſes tres præterlapſi ſunt, antequam ad conſuetam altitudinem redierint aquæ. Humidam hanc tempeſtatem excepit æſtas ſatis & mature calida: & quamvis ſequentes hyemes non adeo fuerint pluvioſæ, fuerunt tamen clementes ſine glacie. Fatendum etiam eſt, nunquam tantam contigiſſe ſtragem, quantam ſæviſſimâ hyeme 1763, quâ triplo ſolito plures ægri (§. XIV.) Pleuritide fuere perempti. Utrum vero Conſtitutioni verminoſæ ſoli illud tribuendum fuerit, an vero perverſæ medendi methodo Aſtrologi cujusdam barbitonſoris, qui ſtatim dolores pungentes, omiſſâ curâ antiphlogiſticâ, vermibusve oppoſitâ, protracto Diaſcordii Fracaſtorii uſu, compeſcebat; quo nonmodo dolores, verum etiam ſalutaria naturæ molimina, animaque cohibebatur ipſa; non adeo abſtruſum eſt determinare. Etenim nullibi tot hominum numerus occubuit, quot in ſolo illo pago, ubi iſte nugis famam adquiſiverat apud vulgus credulum. Ceterum jam conſtitit (§. XV.) extremâ hyeme, multum imminutam eſſe Conſtitutionem verminoſam, paucioresque viſos fuiſſe lumbricos: ingruente rurſus perhumida tempeſtate, omnes fere queſti de iisdem ſunt.

§. XXII.

Humidam tempestatem ad putridas febres producendas aptam existere, uberrime annotavit HIPPOCRATES: *in pluviosis autem plerumque morbi fieri & febres longæ* (c). Quin *vere pluvioso & australi*, *æstate febres acutæ fieri*, *necesse* pronunciavit (d). Immo & magnum calorem multo cum imbre malignas febres & pestilentiales præcessisse observavit (e). Nec opus est verborum ambitu hoc demonstrare, unicum tantum GALENUM in medium revocare sufficiat (f); cum hoc thema seorsim pro dignitate expenderint viri præclarâ eruditione insignes D. SENNERTUS (g), F. HOFFMANNUS (h), LANCISIUS (i), MEAD (k) aliique. Lumbricos denique & vermes iisdem de fontibus ortum trahere, ex recentioribus WERLHOFFIUS (l), BOUILLET (m), KLOEKHOFF (n), RAU-

(c) *Aphorism.* Lib. III. Aphor. 16.
(d) *Ibidem*, Aphor. 11.
(e) *De Morb. Vulgaribus*, Lib. I. Stat. III. Lib. II. sect. III. statim ab initio & Lib. III. Stat. III. pestilent.
(f) *De Temperamentis*, Lib. I. cap 4. Sext. Juntarum edit. Classe tertia, fol. 10 & 11.
(g) Lib. IV. part. III. cap. II. p. 222. Lugd. 1676.
(h) *De temporibus anni insalubribus*, §. V-XIV. Oper. omn. Tom. V. pag. 64. cum cap. IV. part. II. Tom. I. *De venenis in aëre contentis epidemicorum morborum caussis*, præsertim. §. XI. XIII & XIV. pag. 209 & 210.
(i) *De nocivis paludum effluviis.*
(k) *De venenosis halitibus*, ed. Leid. pag. 145.
(l) *Lib. citat.* pag. 9.
(m) *Histoire de l'Acad. R. des Sc.* loco citato.
(n) *Lib. citat.* pag. 2.

RAULIN (o), DARLUC (p), JOSEPHUS BENVENUTUS (q) & C. A. DE BERGEN (r) etiam obſervarunt. Idem rectiſſime adnotavit Doct. VAN PHELSUM (s), memor, peculiarem obſervationem haud deſtruere, quod iterata experientia in ſtabilem naturæ legem redegit. Pleraque enim teſtimonia egregie in eo conſentiunt, quod certa determinataque conditio præceſſerit verminoſam epidemiam, unde potiſſimum præ reliquis, quosdam tunc adfecit. Hinc ſimul intelligitur, cur vermes malignis febribus, immo & peſtilentialibus ſæpiſſime ſubſint. Cum nempe cauſſæ peſti vermibusque faventes non raro proveniant eodem ex gremio; quod certe magis credibile, quam ipſos peſtilentiæ cauſſam ſubminiſtrare; quemadmodum nonnulli perverſe illud autumantes a veritate deſcivére (†).

Vi-

(o) *Des maladies occaſionées*, pag. 157. Neraci inque ejus confiniis anno 1748. & 1749. & ſub finem 1750, morbis epidemicis præceſſit tempeſtas admodum pluvioſa, quam æſtuoſi calores exceperunt.

(p) Eandem cauſſam aliis in Galliæ partibus recenſuit, quam ſequebatur febris eryſipelatoſa, referta aſcaridibus, *Lib. citato.*

(q) Aeſtiva tempeſtate anni 1752, in maritimis quibusdam locis, præſertim vero Orbitellanis, ſtagnantibus & putreſcentibus propter imum eorum ſitum ſcatentibus, exortam fuiſſe Epidemiam cum vermibus, perſpici ibidem licet, *Lib. citato, loco cito.*

(r) *Nov. Act. Phyſ. Med.* Vol. I. obſ. LXXXIII. pag. 338.

(s) *Hiſtoria Phyſiologica Aſcaridum* pag. 88. ubi invenitur, quod plerique ſeniores Bolswerdiæ cives ipſi narraveſint, ſe nunquam de tot hominibus Aſcaridum copia laborantibus audiviſſe, quam quidem in ſubſequente anno 1756, poſt hyemem anni 1755 mitiſſimam.

(†) Confer. J. B. BIANCHI *de naturali in H. C. vitioſâ morboſâque generatione Hiſt.* Part. III. pag. 380.

Videtur etiam hic aliquid contulisse vitæ genus ac regio; quippe eadem Atmosphæræ constitutio per totum obtinuit Belgium, ubi tamen non adeo vexasse vermes videntur, saltem, quantum hucusque publice constitit.

§. XXIII.

Ulterior recensio tanto minus placet, quo majorem industriam hac in re præstitit Cel. VAN DOEVEREN (*t*); nec hujus loci est accepta hactenus dogmata hypothesibus incertis falsisque obfuscare. Dum facta quærit Practicus, sufficiat scire, conditiones prægressas plus minus nocuisse, caussamque subpeditasse aptam, qua foris corpus humanum ingressi, vel in illud jam delati lætius propagati sint vermes atque lumbrici. —— *Quod ipsa* (autem) *natura dictavit systema, non illico turbandum, si qua forsan parte ob cognitionis humanæ defectum hiat* (*u*). Quantum enim non stringunt humanam imbecillitatem varia cum vermibus terrestribus & intestinalibus de industria instituta experimenta, vel casu detecta observata (*v*). Quin fri-

(*t*) *De Vermib. intestin.* pag. 53. & seqq.

(*u*) Cel. GAUBII, *Institut. Patholog. Medic.* §. 587.

(*v*) Evidenter demonstravit REDI adversus MOUFETUM, cui eadem quam J. T. KLEINIO fuit sententia, (lumbricos nempe terrestres in aqua haud diu vivere posse, ita etiam aquaticos in arida positos cito interire,) lumbricos terrestres sexdecim, octodecim & viginti dies in aqua communi detentos, postea aqua eductos inque terram immissos, denuo comedisse, albos factos in aqua pristinum colorem recuperasse, nullum mortis signum præferentes. *Opusc.* Tom. III. pag. 156. edit. Leid. 1729. Omnes intestinales lumbrici, quos mihi de ægrotis potui comparare vivos, frigidæ immissi, cito vitam amiserunt. ANDRY contra retulit observationem ver-

frigidorum animalium, utpote Ranarum, Gyrinorum, Bufonum, Lacertarum numerofæ apud fide dignos auctores obfervationes fufficienter evincunt, ejusmodi animalium naturâ frigidorum genus, eorumve ovula, extra hominem veluti in ftagnis, vel alio quovis modo exiftentia, inter alimenta & potulenta hominum inteftina intrare; ibidemque folitam vitam agere, fpeciemque propagare poffe (*w*): immo *Lumbricus Gordius* LINNÆI

vermium prægrandium quinque emifforum, quos parthenonis cuftos fub dio aquæ immiferat, in qua per menfem fuperftites vitaque prædicti fuerunt. *De la Generation des Vers*. Tom. I. pag. 331. Quæque cum Oleo, Theriaca, Aqua communi & Aloëtica, multisque aliis pharmacis RHEDI inftituit experimenta, pauca vermes enecarunt. *Opufc.* Tom. III. pag. 147—193. cum *præfatione* comparanda. Neque in hifce BROUZET RHEDIO felicior: vermes enim vivos & bene nutritos aceto, vino, Abfynthii decocto, aquæ atque oleo indidit, quorum bina ultima eos tantum debilitare, reliqua vero longe vivaciores eosdem reddere potius videbantur. *Sur l'Education Medicinale des Enfans*, Paris 1754. pag. 48. & feqq. Confer. & BAGLIVII *Op. omn. Prax.* Lib. I. cap. *de Lumbricis* pag. mihi 62. 8°. Blandiffimis vero humani corporis humoribus, falivæ fcilicet & fanguini a BIANCHINO immiffi lumbrici mox perierunt. *Libro citato*, vel *Comm. de rebus.* Vol. III. pag. 493. Quid captu tandem fuperius quam Tæniam vivam inter pifces coctos menfæ impofitam reperiffe, quod unâ cum feptem oculatis teftibus animadvertit Cl. ROSEEN. Der Kön. Schwed. Acad. der Wiffenfchaft. abh. auf das Jahr. 1760. pag. 161. vel *Comm. de reb.* Vol. XI. part. II. pag. 202.

(*w*) Stupenda quæ collegit SCHENKIUS *Obf. Med. rarior.* Lib. III. *Monftr. in Ventriculo*, pag. 321. 324. non fine probabili auctoritate illud afferi poffe, fatis abundeque demonftrant. Neque legere pœnitebit quæ graphice de ejusmodi præter naturam in homine exiftentibus animalibus fcripfit, JOH. BAPTIST. BIAN-

NÆI eadem ratione moleſtias adfert epotus, quam per cutim ingreſſus (*x*). Quin & *faſciolas*, quæ etiam familiares ſunt hominibus, ex aquis evidenter originem ducere, certum eſt, easque in hominum & ruminantium ſyſtemate biliario viſis ſimillimas, quæ in aquis vulgo reperiuntur, obſervatas fuiſſe (*y*). Quibus ſimul nervoſe reſpondetur egregiorum Hiſtoriæ Naturalis Patronorum & Cultorum, *indefeſſi* nempe SWAMMERDAMMI (*z*), & nuper defuncti *Gedanenſ. ab actis* J. T. KLEINII (*a*) dubiis. Verum tædet prolixius dicere de his animalculis, quæ aliam longe, quam nos, vitæ rationem agunt. Videantur, qui hoc thema tractarunt, ſcriptores (*b*). Sed hæc hactenus, quum frequentia verminoſarum Conſtitutionum ſatis conſtiterit & Lumbrici teretes humanis ſimillimi in aliorum animalium interaneis reperti dicantur (*c*).

BIANCHI, *in Hiſtoria generationis*, &c. part. III. pag. 297. & ſeqq.

(*x*) *Syſt. Naturæ* X. pag. 647. cum ALDROVANDI Lib. VII. *de Inſectis*, pag. 721. ed. Bonon. 1638. & P. S. PALLAS *Diſſert. de infeſtis viventibus intra viventia*, pag. 11.

(*y*) P. S. PALLAS, *Diſſert. citat.* pag. 5 & 28.

(*z*) *Biblia Naturæ*, pag. 709 & 710.

(*a*) *Dubia ad Obſ. D. Unzeri*, &c. Dub. II. pag. 70, 71. ad calcem *Tentaminis herpetologiæ.*

(*b*) Inſpici poſſunt, AMATUS LUSITANUS, ALDROVANDUS, PAREUS, FORESTUS, HILDANUS, SENNERTUS, SCHENKIUS, BONETUS, ANDRYUS, F. HOFFMANNUS, quorum plurima collegerunt VAN DOEVEREN & PALLAS, multique alii.

(*c*) Suilli Lumbrici humanis ſimillimi, pallide griſei, lineis lateralibus ſubochreis; longiores in vitulis lactantibus & tenuiores hiſce; aliorum quoque animalium, etiam piſcium teretes ſpecie, ab humanis minime diverſi afferuntur, P. S. PALLAS. *Diſſ. cit.* pag. 14 & 16. & Ill. VAN ZWIETEN *Comm.* Tom. IV. pag. 701.

CAPUT



CAPUT TERTIUM.

MORBI VERMINOSI.

§. XXIV.

Præmissis quæ ad Pathologiam animatam illustrandam e re fore adduci mihi videbantur; proximum est, ut de Morbis ipsis, & primo quidem de Febribus putridis dicam. In quibus pertractandis ita intelligi velim, ut non omnes & singulos cum vermibus morbos, ab ingratis intus hospitantibus animalculis oriundos crediderim; ast eodem ac supra (§. XVII.) sensu dictum est, ut vel tanquam caussa vel ipsius morbi effectu adficiant ægrotos, unde etiam *modo primariam*, *modo*, ut ipsissimis G. W. Wedelii (*a*) verbis utar, *secundariam largiuntur indicationem.* Ob metaschematismos vero, quos morbis inducunt, propriam semper desiderant anidmadversionem: quo in sensu recte dixit Andry (*b*), *je n'examinerai point ici si ce sont les fièvres malignes qui donnent occasion à la generation des vers, ou si ce sont les vers qui causent les fièvres malignes; je dirai seulement que dans les dernieres qui concoururent, je ne trouvai pas de meilleur moyen, pour guerir les malades que je traitois, que de les gouverner par raport aux vers, je leur en faisois rendre un grand nombre, après quoi ils guerissoient par l'usage de quelques cordiaux.*

(*a*) *Patholog. Medicin. Dogmatic.* sect. II. cap. V. §. 5, pag. 239.

(*b*) *De la generation des vers*, pag. 95. ed. d'Amst. 1701.

SECTIO



SECTIO PRIMA.

FEBRES CONTINUÆ PUTRIDÆ CUM VERMIBUS.

§. XXV.

Putrida continua facie febris, referta vermibus, prehendit multos 1760 & 1761. (§. XII. & XIII.) Quosdam aſt paucos invaſit regularis. Sub ingreſſu percipiebatur horror & frigus; mox calor gradu varius, urens & ſiccus in rigidis, qui vehementer ægrotarunt; roriferus in laxioribus, brevi poſt febrilem acceſſionem, per totam corporis peripheriam ſudoribus perfuſis. Pauci ab horrore & frigore vacarunt, quamvis etiam copioſis ſudoribus cierentur. Haud tamen ex æquo promanavit ſudor, quum extremitatibus frigerent multi; paucis quoque fuit criticus, contra plerumque noxius animadvertebatur: uni modo & item alteri ſalutiferus, præſertim ſi quando ſimul urina evaſerit hypoſtatica (*c*).

§. XXVI.

(*c*) Confer infra §. XXIX. In memorata epidemia in urbe *Cailan* dicta, evaſerunt hi, quibus ſudor fœtidus & viſcidus exiit. Similiter contigit in illa quam obſervavit Cel. KLOEKHOFF, in qua plures ſudoribus judicati ſunt; & ubi ſudores quos frigidos cœpiſſe obſervaverat, ſatis cito & durante etiamnum frigore, levamen tulerint, neque eventu minus ſalutares, pag. 8. Sed non omnibus idem eve-

§. XXVI.

Febribus hiſce, ut & verminoſis aliis, aderat atrox & aliquando intolerabilis capitis dolor, ſupraorbitalis, radicem naſi & partes fronti vicinas occupans; & ſi levior, cum pupillæ majori conſueto dilatatione (*d*), narium pruritu, aurium ſuſurru; quod lentâ verminoſâ detentis fere ſemper accidit; non ita acute admodum decumbentibus, utpote in ſoporoſos adfectus magis pronis. —— Lumborum & artuum dolor magnus; ſimul & laterum, ſterni, aut partem abdominis quandam occupans, haud tamen inflammatorius, quod vel ſanguis de vena in quibusdam emiſſus docuit. —— Præcordiorum angor vehemens, potentiæ extus prementi non abſimilis, ut immaniter de illo queſti ſint nonnulli. —— In his citius, tardius in aliis, ſequebantur alvinæ dejectiones liquidæ, ſubbilioſæ atro-putridæ, plurimumque torminoſæ; ramentoſæ quoque ſeu vermium putridorum cadaveribus, membranarum ad inſtar refertæ pluribus, vermibusque frequenter commiſtæ. —— Vomitus

evenit, quippe febricitantium illis, quibus in duas vel tres ſeptimanas durabat morbus, raro aut nunquam per ſudores præcipue, ſed per urinam ille terminabatur. Quæ in hoc caſu, ad finem febris, prodibat multa, ſaturata flavedine, cito in vaſe turbata, mox ad fundum hujus depoſitura ſedimentum largiſſimum ex albo flavum, ſpiſſum, inæqualis, abruptæ divulſæ ſuperficiei, fere quidem noſtris ſimilis, excepto quod non tanta flavedine eſſent tinctæ. Egregia annotatio de ſudoribus cum locis citatis pervolvi quidem meretur, ibid. pag. 9. a.

(*d*) In acutis nam in lentis frequentiſſime cum capitis dolore dilatatam animadverti pupillam.

mitus hic, quam in describendis autumnalibus biliosis, rarior. —— Pulsus arteriarum nunc durus & celer; nunc irregularis intermittens, vacillans, vel debilis: unde & encephali perturbatio & respiratio in multis oppressa. —— Lingua, primis diebus sanæ similis, versus apicem in pluribus contracta, iisque brevi arida, fissa, crustâque obvelata fuscâ, nigrescensque paulatim, tandem in rimas evasit sulcata. —— Appetitus prostratus. Sitis in nonnullis ingens, in aliis tolerabilis. —— Urina, initio naturalis & sanæ similis, citrei coloris, mansit in plerisque tenuis, aut cum enæoremate tantum suspenso; pauci saturatam rubicundam urinam reddiderunt; quæ etiam tarde sedimentum deposuit aut turbata est. Expulsis vero lumbricis & magmate putrido, alvoque fere naturali, in quibusdam animadvertebatur hypostatica, mucosæ indolis, sensim albescente sedimento & ex crudo in coctum mutato: in paucis, quam primum alvus turbata est, ejusmodi sedimentum deposuit; ut incertum judicium tulerit plerumque; quibusdam enim quarto decimo die, aliis vero decimo septimo, quibusdam rursus vicesimo; denique prorsus deficiebat aliis, natura per alvum perque cutim hic moliente. —— Colli & artuum inferiorum & superiorum rigiditas, quæ in lentis febribus observari quoque assolet. —— Manuum poplitumque stupor, dolore plurimum stipatus. Vigiliæ pertinaces. Visûs quandoque hebetudo, quæ cum memorato aurium tinnitu & surditate, nonnunquam erant instantis delirii, aut comatis, tum vigilis, tum somnolenti, prænuncii.

§. XXVII.

§. XXVII.

Talis erat naturalis morbi ſtatus, ſi ægri ſibi relicti, vel ab empyricis perverſe non tractabantur: tunc enim acrius urgebant nonnulla ſymptomata; quippe capitis magis adflixit dolor, dum vigiliæ fuerunt pertinaciores, frequentioresque materiei putridæ ad pulmones & caput metaſtaſes; unde deliria atrocia, comata, peſſimæque ſui generis peripneumoniæ putridæ; aut recidivas paſſi ſunt ægroti, vel febres mali moris, in lentas demum langueſcentes, raroque ſanitatem ſic affecti recuperarunt, niſi denuo integram abſolviſſent medelam.

§. XXVIII.

Secretio alvina, recedens admodum a naturali, quæ atra, putrida, ramentoſaque fuerat; lingua pelle fuſca, ſubpingui nigra obſeſſa; capitisque atrox dolor, latentem intus putredinem manifeſtabant; maxime vero excretis lumbricis clarior morbi naſcebatur idea; unde & in vermes & putridum magna tendebat potiſſimum indicatio, alvo nimirum, quantum vires & ſtatus morbi reſpectu criſeos, ſi qua forte contingeret, permittebant, proſpiciebatur; nam ubique non exſpectabatur aut eam exſpectando terebatur tempus fruſta, ubi conſtans erat ferarum indicium (*e*): nec eventus fe-

(*e*) „ Dans la plûpart des maladies de vers — il „ faut ſouvent avoir moins d'egard aux vers mêmes, qu'à „ la matiere vermineuſe, parce que cette matiere eſt la „ principale cauſe du mal." ANDRY pag. 553. Tom. II.

fefellit ſpem. Ægroti enim hac methodo adminiſtrati commodius morbum tulerunt, amiſſamque citius recuperarunt ſanitatem: minus vero liberatis primis viis, mala (§. XXVII.) modo recenſita peſſimas luſerunt tragœdias, multisque ultimum vitæ poſuerunt terminum (*f*).

§. XXIX.

Indicationes igitur erant, proxima de ſtatione averruncare morbum; putredini ſive in ſanguine, ſeu ipſis in inteſtinis reſiſtere; urgentiaque compeſcere ſymptomata.

Ingrediente itaque morbo, alvus Rheo & Sale polychreſto, Electuario diapruno, ſimilive eccoprotico leniter ducebatur: quibus vero admodum turgebat in ventriculo heterogenea materies, ſurſum educebatur Ipecacuanhâ. Morbo vero jam paullo provectiore, non ita facile erat, eo pergere tenore (*g*); Clysmata antiſeptica, alvumque ſimiliter lene ducentia vocabantur tunc in uſum.

Potum diluentem ex Hordeo, Avena, Rad. aperientibus, cum Salibus mediis, Melle, Syr. officinalibus, Succo Citri, vel pauxillo Vini Rhenani, ægris non delirantibus, eumque appetentibus, copioſe haurire jubebantur (*h*). Pauperiores lacte ute-

(*f*) Confer. ANDRY *Lib. citato*, pag. 557. & F. HOFFMANNI *Diſſert. de diarrhœa in febrib. malignis*. Oper. Supplem. II. part. II. pag. 49. & ſeqq.

(*g*) Secundum HIPPOCRATEM „ Incipientibus morbis, ſi „ quid movendum videtur, move: vigentibus autem quieſcere melius eſt." *Aphor. Lib. II.* 29.

(*h*) Commendavit Rad. Apii cum Melle & Aceto ALEXANDER TRALLIANUS; & merito, ut ſudores nempe & urinam promoveret, *Epiſt. de Vermibus*.

utebantur ebutyrato ſolo, vel cum Hordeo, poſtea per ſubſidentiam depurato, incocto, aut Acetoſa hortenſi, addito Saccharo. Julapia ſimilia, cum Salibus mediis, Syr. Acet. Citri, Rob Sambuci, Ribeſiorum, Pulpa Tamarindorum, Melle; Spiritibus acidis mineralibus; Aquis analepticis cardiacis Naphæ, Cinnamomi, Meliſſæ, Roſarum, crebri erant uſus: & ſtatim ac cruſta linguæ dorſo inſidens abiret in nigritiem, Cortex Peruvianus dabatur per ſe (*i*); vel in liquidiore alvo, cum Gummi Arabico, inque quibusdam Cornu Cervi uſto admiſto, tardiore vero alvo Rheo, tanto cum ſucceſſu, ut criſis ſub Corticis uſu nonnunquam egregie perficeretur, abducendo cruſtam a lingua recenſitam, vermesque putridi magmatis forma plerumque expellendo. Raro tamen urina ſubſidebat, niſi jam maxima pro parte ſublata cruſta eſſet; vel nido vermium ſubito deſtructo, idque in morbi initio: per alvum potius & aliquando per ſudores (§. XXV.) criſin perficere conata eſt me-

(*i*) Per totum quidem decurſum, nec anxie reſpiciendo febris ἀκμὴν aut ἀπυρεξίαν exſpectando, quamvis ceterum majus inde non ceperit augmentum. Semel quoque Corticis extracto opus fuit, ubi tantam, quantâ febris indigere videbatur vehementia, non poteram ingerere quantitatem. Alias enim longe citius videbatur ſordibus pulvere, quam quidem extracto, liberata lingua: cujus ea mihi videtur ratio, quod ſimplex cortex redactus in pulverem, majorem poſſideat roborandi vim, quam extractum. Dabatur pulvis ad pondus drachmæ mediæ omni trihorio, immo in ſumma putredine omni bihorio. Aut decocti ejusdem cum memoratis antiſepticis, quantum aſſumere vellent; quo pacto duas vel tres uncias, & unus & alter quatuor Corticis uncias per viginti quatuor horas, ſummo cum fructu ingeſſerunt: dum eodem medicamento confecta clysmata ſimul immittebantur.

medicatrix Natura. Sudores vero, qui copiosissime acritice perstabant, quamvis sub usu Corticis (ut fere semper contingit) primo quidem adparerent aucti, sensim tollebantur, superata putredine (*k*). Lenioribus dein amaricantibus atque car-

(*k*) Comprobant hæc igitur, corticem Peruvianum in continuis, inque continuo remittentibus fuisse adhibitum utiliter; adeoque absolvunt quæ 1763. problematice posuerat *Cel Viennensis Professor* A. DE HAAN, *Rat. Medendi* Part. VIII. Cap. II. pag. 100. Vienn. ubi inquit, „An vero „ etiam in continuis remittentibus, si malignitatem redole- „ rent, non dedimus sæpius summo cum effectu Corticem, „ utique daturus fuissem, *nisi bonæ eousque & naturales uri-* „ *næ* circa tertiam matutinam, mox instante 11°. die in „ veras hypostaticas pulcre mutatæ, jussissent paulisper ex- „ pectare eventum morbi," & pag. 102. „ Nunquid simili „ casu denuo se offerente, *cortex Peruvianus non foret audacter* „ *ab initio exhibendus, tanquam antispasmodicorum princeps?* " De Natura Febrium hic non disputo, quædam hujus argumenti ad Scholia subnexa pertinent: quare paucis absolvam quæ corticem Peruvianum spectant. Iterata autem ab anno 1760., in præsens usque tempus experimenta confirmarunt, Divino nimirum dono in medendi usum nobis concessum corticem Peruvianum, in omnibus febribus, naturâ putridis, verminosis, spasticisque, immo dicam malignis, cum lingua tremula, contracta, nigra; floccorum collectione; tendinumque subsultu; aliisque malignitatis indiciis, omne punctum absolvisse; modo usus protractus sit, urgentiaque symptomata adtendantur: & quod si vesicantibus adjuvetur, effrenes pulsus egregie sedantur & ad modulum revocari facillimo negotio se patiuntur. Contigit, inquam, sæpissime sub ejus usu non modo crisis, sed persæpe ita perficiebatur, ut sudores inconstantes emendarentur, pariter ac motus præternaturales spasmodici, qui crisi semper sunt noxii, eandemque perturbare valent. Ubi vero non dabatur, & solis diluentibus ac resolventibus ex vulgari methodo antisepticis cura tentabatur, gravius diutiusque multo laborarunt ægroti.

cardiacis reſtituebatur tonus viſcerum, re ita exigente.

§. XXX.

Hac methodo, facta Medicina, ſalutem egregie recuperarunt plurimi: in aliis vero, acrius morbo prehenſis, ſive minus congrua adhibita methodo, ſeu nimis diu aptæ medelæ adverſantibus, minus commode ceſſerunt ſymptomata; quod præ ceteris præcordiorum anxietate & pectoris oppreſſione, aut inſigni abdominis capitisve dolore adfectis, evenit: qui adfectus & tunc tanquam ſymptomata propria tractari poſtularunt. Fortioribus quoque purgantibus indiguerunt delirantes una & Comate vigili ſomnolentoque prehenſi. In quibus vero pulmones erant præter modum obſeſſi, aut vel conſenſu adfecti, veſicantia larga manu, quatuor quinqueve ſimul plagis, (parum alias attulerunt utilitatis) imponebantur; quorum irritatione arteriarum pulſus egregie refrenabatur (*l*). Summi quoque uſus fuerunt Clysmata, & nullo magis remedio alienum hacce in terra vulgus, indulgebat nunc iisdem. Vix tamen levamen adferebant debiliora Enemata ex emollientibus reſolventibusque Vegetabilibus atque Nitroſis: contra potentiora ex Oxymelle Scillitico, Spiritu Vitrioli ad debitam quantitatem; Tinct. Aſæ fœtidæ; decoctisque ſummitatum Abſynthii, Scordii herba, florum Centaurei minoris, cortice Peruviano, ſimilibusque, ma-

(*l*) Conf. pulcerrimas R. WHYTT Obſervationes, *Philoſ. Transact.* Vol. L. part. II. for. 1758. *of Uitgezogte Verhandelingen*, *by* F. HOUTTUYN, Amſt. 17 ſtuk, pag. 77. &c.

magnam inducebant mutationem. Fomenta vero & cataplasmata resolventia, pungente lateris dolore; aut oppresso pectore, alvus lubrica.

Præcordiorum demum in nostris anxietas nullo magis auscultavit medicamento, quam Acidis mineralibus correctis.

Venam, fateor, aperire non jussi, cum primis potissimum viis prospicerem, nec adeo sanguini phlogistico: urina præsertim & pulsu nihil inflammatorii indicantibus. Et qui sponte sua, vel a Chirurgis rem Medicam plurimum hic exercentibus, venam sibi pertundi curaverant, non minus quam reliqui ægrotarunt; neque sanguinem de vena emissum crusta, inflammatoria dicta, obsessum animadverti. Non negaverim, phlebotomiam, tantæ utilitatis apud Cel. KLOEKHOFF (*m*), quem tunc temporis manibus nondum pervolveram, proferre potuisse, præsertim in summis anxietatibus & ubi pressio ingens aderat pectori; sed iterata me docuit observatio, hisce nihil par ipsi Elixiri Vitrioli præstitisse: postea quoque perspexi venæ sectiones ab aliis in similibus casibus institutas, neque angoris, neque aggravationis, sive præcordiis, seu pectori, aut capiti, ab ipsa peccante morbifica materie, vermibusque, inducta symptomata sustulisse; quod præ ceteris constitit in fraterculo meo (*n*), in quo post sanguinis missiones iteratas, existente etiamnum in cruore antiphlogistica crusta, omnia intendebantur symptomata, quæ Acidorum mineralium debito usu quam egregie compescebantur.

§. XXXI.

(*m*) *Lib. citato*, pag. 21.
(*n*) Cap. IV. sect. IV.

§. XXXI.

Hac denique via (§. XXIX. XXX.) prudenter ſervata, periiſſe ſcio neminem, niſi accedentem ſero nimis, vel, nulla lumbricorum habita ratione, perverſe tractatum. —— Quoniam vero non niſi intenſiori ſymptomatum gradu a ſe invicem diſcreparunt, ſupervacuum eſt omnium & ſingulorum ægrotantium caſus huicce hiſtoriolæ ſubnectere. Non poſſum tamen quin hic loci enarrem ex parvis principiis gravem & malignum morbum, qui ratione phænomenorum, quamvis extra conſtitutionem epidemicam obſervatus fuerit, multum cum verminoſis deſcriptis convenit.

OBSERVATIO.

Pauperrimus homo, cum nuper viduus factus eſſet, mœſtusque adeo, ut mente quaſi captus per plateas hinc & inde vagaretur, obſcuro prehenſus eſt dolore, in abdomine, inſequente nauſea, quò domi ſe continere cogeretur; brevique poſt magnam vermium copiam (numeraverunt viginti & plures) vomitu rejecit. Soliciti admodum petierunt conſanguinei, ut ipſi egeno ſuccurrerem ego, cui petitioni, cum deeſſe noluerim, adfui miſero. Pulſus arteriarum attactu percipiebatur debilis, intermittens, deficiens: extremæ manus, & totum fere corpus naturali quaſi deficiebant calore; contra frigido ſudore madebant; facies pallida Hippocratica; oculi concavi, excavati, lingua parum a naturali deviá, humida, ad dorſum pingui ſubfuſco quodammodo velamine tecta; loquela aliquomodo impedita. Hæc diagnoſis. Ex quibus

 tam

tam parvis incrementis ſævus adeo naſcebatur morbus. —— In præſenti rerum ſtatu ab Emeticis abſtinere malui, cum in ſyncopen forſan lethalem prolabi homo mihi videretur. Quam ob rem Mixtura cum pulvere anthelmintico ex aqua Meliſſæ fermentata & pauxillo tinct. Aſæ fœtidæ ipſi dabatur; quo vires parum quidem refocillatæ ſunt, pulſusque evaſit vividior, & copioſius irrorans ſudor promanavit; at morbus pleno adeo tetendit gradu, ut altero die tantam indicarit lingua putredinem, quâ jam nigra evaſiſſet: Urina tamen tenuis, coloris citrei. Julapium ex Sale tart. Vitriolato, Rob. Ribium & Aqua Meliſſæ cum Spiritu Nitri dulci Glauberi propinabatur. Et quamvis, tam alvi proſpexiſſem lævitati, quam materiei correctioni, metaſtaſis ad caput jam contigit tertio a principio vocationis die. Veſicantibus admotis tibiis, pulverumque ex anthelmintico & terrestri medicamento, omni bihorio aſſumſit unum, quorum, interpoſito Julapio, ingeſſit numero ſedecim. Alvo nunc continuo fuſa, dum grata interrupte accepit Acida ſaponacea, multumque lactis ebutyrati (§. XXIX.) manente tamen lingua arida, nigerrima & fiſſa ad dorſum, & ad apicem contracta, commendavit ſeſe ex more Cortex Peruvianus: dabatur huic cum Cornu Cervi uſto, ad partes æquales; quorum mediam drachmam aſſumſit omni trihorio, & V°. VI°. & VII°. memoratorum uſum continuavit. Nec pejus ſe habuit noſter. Febris naturâ continuo remittens, ſub veſperam novum induebat paroxyſmum, quamvis nonnunquam irregulares de die animadverterentur ingreſſus. Septimo tamen veſpertino tempore exacerbata ſunt omnia: ingens enim anxietas noſtrum præhendit. Alvus in preſenti die renuens,

&

& cutis quam ante aridior, ſuadebant iterum luctanti cum morbo auxilium ferre Naturæ. Mixturam præſcripſi ex Aq. Meliſſæ, Sp. Mindereri, pulv. Anthelmintico & Syr. Taraxaci cum Rheo, qua & minuta anxietas eſt, & alvus, ut ante, ducebatur atra putrida, & invita ægroto. Manſit interim noſter, perinde ac præcedentibus diebus, nimirum tertio ab initio, comate prehenſus vigili ſubdeliroſo, cum lingua, hiante ore, tremula, totiusque fere corporis tremore univerſali, floccos colligens & paleas carpens. Quumque ex alvo fuſiore, putridâ ſemper atmoſphærâ, quæ ſudoribus copioſe promanantibus magis adhuc inquinabatur, continuo circumfunderetur noſter, major Corticis quantitas ex uſu apparuit; tanto quidem ſucceſſu, ut vigente ſumma putredine, decimo quarto ſedimentum urina depoſuerit; crudum tamen aliquantulum & minus coctum Hippocratis: unde nec plane judicatus, etiamſi ſudores nonnihil critici, nec alvus ſteterit; mente autem levatus quidem, non vero præcordiis. Et materies cum denuo turgeret, & magis quam antea ſurſum, Rhei doſis ipſi devoranda dabatur: votis tamen minime paruit; dum omnia iterum intendebantur magis ac magis: etenim capitis affectio major, febris intenſior, & aucta adeo debilitas eſt, ut ipſius vitæ timerem. Summam adtendens ego virium prolapſionem, minime apte præſenti morbi genio congruentem, ſedulo in omnia inquiſivi; rebusque diligenter recognitis, intellexi, Gangrænam, quæ jam incœperat a parvo principio die ſeptimo, ſatis ingentem occupaſſe ſedem. Chirurgo arceſſito, huic externam adminiſtrationem commendavi; dum aptiſſimis internis auxiliis utramque indicationem in me ſuſcepi. —— Mixtura cardiaca cum extracto

corticis Peruviani, quod præ pulvere nunc seligebatur, exhibita, melius se habuit altero die, a principio decimo octavo; urinâ jam sedimentum deponente copiosius, adhucdum tamen crudum. Eadem reiterabatur Mixtura, & cum alvus nondum evasisset naturalis, altera Rhei dosis dabatur. Neque aucta nunc, ut ante; fuerunt mala, cum mitissime alvum deposuerit noster & commode sese haberet. In memoratorum usu persistendo, separata brevi crusta mortua est; dum Corticis nimirum ope egregie perficiebatur suppuratio, quæ respectu plagæ magnitudinis (nam ulceris diameter latitudinem sex pollicum facile adæquavit) haud immodicam quantitatem fudit puris albidi, spissi nec ichorosi. Nihilo tamen minus caro omnis ad usque os sacrum & ilium ea, qua parte ipsi jungitur, subque latis ibidem loci aponeurosibus depascebatur, ut pugnus infantis adultioris facillimo negotio ulceris cavitati immitti potuisset, quo fœda caries ossibus sacro & ilio inducebantur; & similis postea ossi calcaneo, præviis abscessu & ulcere maligno. Cardiacorum autem una cum corticis Peruviani usu continuo, aptorumque externorum protractâ applicatione, egregie processit exfoliatia, tum incarnatio & consolidatio. Minime autem prætereundum; ut lucidissime appareat, quam potens sit animata caussa, quidque non, & quam diu innocue ferat; quod accedens ego ipsi, trigesimo sexto (in vicino enim habitabat pago,) valdopere miratus fuerim, videns aliquid male habere illum, tristi nunc supercilio, qui remissa fronte gratum se præbuerat antea; & roganti mihi, quidnam sibi vellet, narravit, simulque ostendit manum dextram evasisse paralyticam; seque reformidare, ne nunc, tanto vix ereptus periculo, mani-

manibus in posterum sustentaret familiam. Omnibus rite perpensis, vermes iterum hujus symptomatis caussam habui: dolores enim circa umbilicum, indeque sursum pervagantes, & oculi renitentes, id mihi satis manifestare videbantur; neque fefellit me opinio mea. Datis autem purgantibus per aliquot dies continuos, anthelminticisque incidentibus, una cum stimulantibus aromaticis, respectu paralyseos, lumbrici teretes aliquot subputridi, ramentaque similia, excreti rursus sunt. Et sublata paralysi ex gravi illo morbo firmus adeo convaluit intra quatuordecim dierum spatium, ut die a morbi initio quinquagesimo ultimum assumserit medicamentum, tonicum roborans. In præsens usque tempus non interrupta usus est sanitate, rebusque agrestibus vacat.

EPICRISIS.

Suspectas cum vermibus habendas esse febres, ex nostri historia apparet. Sæpe enim ita incurrere solent ejusmodi febres, ut, quæ nihil simile ab initio indicabant, & lentarum adinstar ingrediebantur, maligne admodum processerint. Quæ quidem ratio videtur, FORESTUM similes Febres, quæ Anno 1553. Alcmariæ grassabantur, propter malignitatem *quasi pestilentes* vocasse (*o*): nam passim ægrotos depopulabantur, valdeque erant malignæ & contagiosæ; dum initio tantum lentarum more prehendere videbantur (*p*). Senex cete-

(*o*) Lib. VI. obs. IV. Schol. pag. 154.
(*p*) *De Morb. Vulgar.* Lib. IV. FOESII Sect. VII. pag. 1121. & seqq.

ceterum, apud HIPPOCRATEM (*q*), qui deceſſit & una cum uxore ſua ægrotabat, multa ſymptomata noſtri ſimilia exhibuit, manifeſte vermibus comitata. Duo tantum, ſupereſt, addam; veſicantium ſcilicet, & Cornu Cervi uſti in putrida uſum. Proceres quidem Medicos, ubi humores diſſoluti acres ſunt, damnare veſicantia probe noſco: bonâ tamen fide aſſerere audeo, me in putridis verminoſis ſummo cum effectu eadem adhibuiſſe, neque asſentientes non minus eandem veritatem reperiſſe auctores gratulor. MERCURIALIS inter alia auxilia, veſicantia in peſte, ut præſtantiſſima commendat, & GERARDUS COLUMBA & WALDSCHMIDIUS ea brachiis adplicata in retroceſſione morbillorum & variolarum magni faciunt; quin hic in malignis ſummopere collaudat eadem (*r*), & quod mirum, pulſuum ſcilicet moderamen pulcre ante WHYTTIUM obſervavit WALDSCHMIDIUS, cujus ultima verba ſuper hac re tantum recenſere juvabit. *Qua de cauſſa ab eorum* (ſc. veſicantium) *applicatione*, *pulſus*, inquit, *ante depreſſi ſeſe attollunt*, *parvi majores fiunt* (*s*). Idque illud proprie in verminoſis deſideratur propter continuas crebrasque ac repente afficientes ſpaſticas affectiones, ut majus propemodum medicamentum excogitari nequeat. Et Cornu Cervi uſtum, vix vel nihil Acidis mutationem inferens, tanti fecerunt principes de vermibus

(*q*) Quod attinet malignitatis notionem pervolvant Tirones Medici egregiam Diſſertationem *de Febribus Malignis*, quam ſub præſidio Cl. P. F. GMELIN 1759. defendit Tubingæ J. F. CONSBRUCH.

(*r*) Apud F. HOFFMANN. *M. R. S.* Tom. I. part. II. cap. VIII. § V. Schol. pag. 225.

(*s*) *Ibidem* §. VI. in Schol.

bus auctores, ut FORESTUS, quod multiplici experientia ego quidem affirmare poſſum, illud in virium defectu, cardiaci loco adhibuerit (*t*). Plurima de his infra.

SCHOLIA AD HISTORIAM FEBRIUM PUTRIDARUM CUM VERMIBUS.

Perquam familiares occurrunt & in praxi clinica & apud auctores *Febres putridæ;* nihilo tamen minus videtur, quod parum accurate easdem ab aliis, nimirum inflammatoriis ardentibusque diſtinxerint nonnulli ex primariis Medicinæ ſcriptoribus; & omnium forſan frequentiſſima putrida febris, accuratam quidem reſpectu decurſus ſortita ſit diviſionem, non vero eandem ratione cauſſæ materialis ſeu proximæ. Quam ob rem haud abs re viſum fuit, ſimplici apparatu expedire, quid veteres Medici, quidve hodierni Putridarum nomine intelligant.

I. Omnium Febrium originem ex bile, plus minus vitioſa & meraca deducens Medicinæ Parens, *nullam Synocharum fecit mentionem, ſed febres fere omnes continuas, inflammatorias, item ſynochas, tam ſimplices, quam compoſitas, putridas quoque & malignas ardentes appellavit* (*u*). GALENUS autem ex HE-

(*t*) Lib. VI. obſ. IV. in Schol. pag. 154.

(*u*) Confer. F. HOFFM. *M. R. S.* Tom. II. Sect. II. Cap. II. §. 1. pag. 111. cum HIPPOCRAT. *de Natura hominis*, FOES. Sect. III. pag. 231. &. T. GLASS. *de Feb.* Comm. prim.

Herophili & Archigenis de pulsuum doctrina, quam ulterius perfecit, majorem arteriarum diastoles nactus scientiam (v), Febres intra arctiores limites circumscripsit; & *Synochum* divisit in *simplicem & putridam.* Magnæ vero ortæ sunt difficultates, utrum febris sanguinea aliqua esset, de qua certarunt Arabes cum Græcis; veluti etiam magna inter egregios Medicinæ restauratores fuit dissensio (w) de *Natura Synochi putridæ*, num scilicet sanguis putrescat, vel ex eo fiat Synocha biliosa? Ad quorum lites componendas; meo quidem judicio apparet, quod non satis distinxerint inter *Synochum & Synocham*, utrumque Febrium continuarum ge-

prim. Ast ita hoc accipiendum non est, ac si nullam Febrium distinctionem Hippocrates admisisset. Contrarium autem abunde liquet ex *Morbor. Vulg.* Lib. I. Sect III. pag. 961. cum Foesii commentariis Sect. VII. pag. 962. & Galeni Comm. III. in Lib. I. *Hippocr. de Morb. Vulgar.* text. 2. Sexta juntarum 3a. Classe fol. 118. ubi veterum ante Galenum de Febribus dogmata perspicere licet. Adde *Aphorismor.* Lib. III. aph. 21. &c. —— Scire quoque necesse est, *Ardentes Febres* non ad morbos inflammatorios, (quibus potissimum a sede nomen imposuit) sed potius ad febres biliosas & morbos æstatis retulisse Hippocratem; febremque a se πυρετὸν, ab *igne* dictam, teste Galeno, majori aliqua significatione, sc. *prehendit eum*, vel *ipsum habebat*, magnam semper & validissimam febrem significare, quorum vel exempla luculenta in Epidemicis exhibuit. Tandem, eodem teste Galeno, *continuam febrem*, usu hodie & tunc recepto, nunquam nominasse σύνοχον Hippocratem, scire oportet. conf. in *Lib. Hipp. de Natura Humana comm.* II. 22. Sect. Juntar. 6a. 185. H.

(*v*) T. Glass. *ibidem.*

(*w*) Conf. P. Foresti Lib. I. obs. XIV. in Schol. pag. 15 & 16 & J. Heurnii *op. omn.* Tom. II. cap. IX. pag. 17. quorum repetitæ lectionis neminem pœnitebit.

genus: & quanquam Synochum & Synocham promiſcue pro continente (*x*) GALENUS habuit, ac utramque febrem ex diariis ratione decurſus in *homotonon* ſeu *acmaſticam*, *anabaticam* ſeu *epacmaſticam* & *paracmaſticam* diviſit (*y*); notabilem tamen inter *Synochum ſanguineam* & *Synocham bilioſam* fecit diſtinctionem, prolixam nimis, quam ut omnium recenſum hic agam. Ad *Synochos* igitur veniam. *Synochum* autem duplicem dixit, *Simplicem* ſcilicet & *putridam*. *Quædam namque*, inquit, *earum manifeſtam habent notam putredinis: quædamque prorſus non habent, quas nimirum ex diariarum febrium genere eſſe diximus* (*z*). *Simplicem* itaque definit: *Atque unum quidem hoc* (*ſive genus*, *ſive ſpeciem*, *ſeu quodvis aliud appellare libet*) σύνοχων, *id eſt*, *continentium febrium eſt*, *quodque ex eadem cum diariis natura conſtat*. *Putridam* vero: *Alterum eſt ubi in omnibus vaſis ac potiſſimum maximis ſucci æquabiliter putreſcunt*. Addit, *ejusmodi febrium in gracili & frigido corpore neutra conſiſtere ſolet: ſed plurimum in iis, qui ſanguine abundent, & corpulentis gigni cernuntur* (*a*). Et quoniam unusquisque ſuorum verborum optimus interpres eſt, graphice deſcripſit GALENUS, quodnam genus putredinis in Synochis intellexerit. *Humorum autem putredo*, *quæ in vaſis fit*, *ſimilis*, inquit, *eſt ei*, *quæ in inflammationibus atque abſceſſibus accidit*, *aliisque collectionibus*,

(*x*) *Method. Medend.* Lib. XI. cap. 6. Juntar. 7ª. 69. C. ibidem Lib. IX. cap. 2. 56. A. *De different. Febr.* Lib. II. cap 11. Sexta Juntar. 3ª. 40. E.

(*y*) *De Criſib.* Lib. II. cap. 6. Sext. Juntar. 4ª. 135. G. Comm I. in VI. HIPPOCR. *de Morb. Vulg.* Junt. 3ª. 29. text. 160. A. *de Diff. Febr.* cap. 2. 36. F.

(*z*) *Med. Method.* Lib. IX. cap. 2. Junt. 7ª. 56. A.

(*a*) *Ibidem* cap. 3. 56. C. D.

bus, duplex quidem ſecundum genus. —— Alterum quidem ſuperante natura, alterum vero ſuperata. Et ſuperante quidem, ſicut in inflammationibus & ſimili collectione tumoribus omnibus, pus: in humoribus autem qui in venis atque arteriis continentur, quoddam, quod puri proportione reſpondet, ſubſidens in urinis. At talis quidem putredo ſimpliciter non exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis: nam adhuc vi coquendi vaſorum remanente, quod interim putreſit humor ad talem pervenit alterationem. Sed & alterum genus eſt putredinis, cum ea vis, cui coquendi officium eſt demandatum, adeo imbecillis facta eſt, ut nullam amplius facere poſſit in putreſcente ſuperfluitate ad optimam transmutationem: &c. (*b*). *Continuæ* vero *Synochæ*, quæ ex flava bile fit, *duplex*, inquit, eſt *ſpecies. Altera earum, quæ (a continuo fervore) Synochæ appellantur, quarum univerſum tempus in una conſumitur acceſſione, quæ a principio ad finem pertingit: altera earum, quæ idem cum igne nomen ſortiuntur & continuæ appellantur, atque in pluribus particularibus circuitibus continentur* (*c*). Quin *ſanguineam* a *billioſa* etiam ab invicem diſtinxit. *Ex omnibus vero,* inquit, *quæ ſuperſunt, nulla eſſet contemplatio præſtantior quam illa, in qua quæri poſſit, numquid quemadmodum ex utraque bile & pituita fiunt quædam febrium ſpecies ita & in ſanguine putrefacto ſoleant accidere febres* (*d*). Cum vero pro variorum hu-

(*b*) *De Febr. Differ.* Lib. I. cap. 6. Juntar. 3ª. 33. B. *Simplicem Synochum* quoad cauſas, differentias & curationem perſequitur, *Med. Meth.* Lib. IX. cap. 4 & 5. *Putridam* ibidem Lib. XI. Cap. 5, 6, 7, 8, 9 & 10. in hoc purgantia &c. in illo venæ ſectiones æſtusque temperantia commendat.

(*c*) *Feb. different.* Lib. II. cap. 2. Juntar. 3ª. 36. F.

(*d*) *Feb. different.* Lib. I. cap. 9. Juntar. 3ª. 40. A.

humorum indole, quos invadebat putredo, peculiaris & sui generis existimabatur (*e*), ita etiam pro vario tumorum genere varias febres habuit. *Quotcunque vero in abscessibus*, inquit, *putredinis sunt differentiæ, totidem & in febribus, quæ ex putredine accenduntur, sunt eorum, quæ in urinis apparent, formæ* (*f*). Immò & *singulas putridas febres proprias sibi ipsis caussas determinare*, *neque a singula caussa*, *nimirum bile flavâ*, *fieri omnes posse* ostendit (*g*). Quemadmodum *communes differentias febrium simplicium putridarum* (*h*), & *quotidianæ febris*, *quæ ex pituita putredinosa ortum habet* (*i*), & *quæ ex sanguinis putredine fit* (*k*), distincte docuit, perinde *ac pestilens febris a putrescibili evaporatione* (*l*), mirum sane videtur, ut tot nominibus insignis putrida febris tot difficultates offenderit.

Etenim post datam differentiam febrium communem

(*e*) Scilicet Græcorum, GALENI & AVICENNÆ de putridis sententia erat, „ quod succi putrescerent in vasis, vel „ extra vasa. Si in vasis, vel amplioribus, aut exiguis. „ Si amplioribus, nascerentur continuæ febres nihil remit„ tentes: si exiguis fierent continuæ remittentes. Si extra „ vasa cuncta tumorum genera putrescentium: & febres in„ termittentes, si in exiguis carnium venis putrescere in„ ceperint humores. " J. HEURNII, *op. omn.* Tom. II. cap. IX. pag. 17. Verum quidem est, quod dolendum! GALENUM nimis inhærere Peripateticorum principiis atque humoribus cardinalibus, veluti hic loci: cum distinctiones ejus de Synochis quotidiana praxi verissimæ deprehendantur.

(*f*) *De differ. febr.* Lib. I. cap. 6. Juntar. 3a. fol. 33. C.

(*g*) *Ibidem*, Lib. II. cap. 1. fol. 36. C.

(*h*) *Ibidem*, cap. 2. F.

(*i*) *Ibidem*, cap. 4. 37. A.

(*k*) *Ibidem*, Lib I. cap. 4. fol. 33. ut supra jam constitit.

(*l*) *Ibidem*, cap. 4. 32. Conferri ulterius possunt FORESTUS & HEURNIUS in locis supra citatis.

munem VICTOR TRINCAVELLUS concisis JOHANNIS FREDERICI WERDENBERGII verbis docuit, *quod Synochus vocetur, quæ postea mutato nomine Synoches biliosa dicita est, eo quod sanguinis portio tenuis putrescendo, abeat in bilem flavam* (*m*). Neque ab hoc discrepavit NICOLAUS PISO, qui *an vero febris aliqua putris sit in sanguine, magna*, inquit, *est inter proceres Medicinæ contentio. Quia quæ est putrefacto sanguine jam dici potest biliosa. Sed revera quod dixit Galenus cum sanguis putresit, cholera fit, manet tamen sanguis, ita accipiendum est, manere quidem sanguinem, sed sanguinem biliosum, seu in quo flava bilis abundat* (*n*). Unde etiam suo jam tempore Clarus ALEXANDER TRALLIANUS a putredinis nomine abhorrens, ex sola phlogosi oriri ejusmodi febres, neque GALENUM alias febres, quam pestiferas, proprie putridas appellasse, voluit (*o*).

II. Ex recentioribus *Synocham putridam* omnimodam etiam *Inflammatoriam* habuit Cel. F. HOFFMANNUS, *Synocha igitur sive sanguinea febris*, inquit, *est acuta, continua, suscitata a sanguine in partibus maxime nervoso membranosis nimium congesto, qui nisi opportune naturæ & artis beneficio discutiatur, inflammationem inducit lethalem* (*p*). Quam quidem in *simplicem* & *putridam*, sive *malignam* distinxit; & *epidemicam* addidit plerumque cum *catarrhali* junctam, quæ maxime homines sanguine & humoribus plenos adoritur (*q*). —— Quin etiam *Synocham biliosam* recensuit, *sine præcedente sin-*

(*m*) *Enchiridion Medicum*, pag. 122.

(*n*) *De Febribus*. Cap. IV. pag. 417.

(*o*) Lib. XII. Cap. 2. vel apud J. HEURNIUM. *Lib. de Febribus* Cap. IX. pag. 17. cum Ill. VAN ZWIETEN *Comment.* ad §. 730. Tom. II. pag. 419.

(*p*) *M. R. S.* Tom. II. Sect. II. Cap. I. §. III. pag. 105.

(*q*) *Ibidem* §. VI. p. 106.

singulari horrore ac rigore, cum magno ardore, siti, vigilia, anxietate & inquietudine, in corporibus sanguinolentis cholericis, copia sanguinis calidi & biliosi refertis, oriundam, & diebus imparibus, seu criticis, antecedente rigore quodam terminantem in salutem vel mortem. Hanc cum Ardente Epid. Lib. I. com. 2. HIPPOCRATIS comparavit (†). Immò *immortalis* BOERHAAVE *Synochum, seu febrem continuam putridam, caussis inflammatione simplici majoribus, viscerum obstructioni, cutis opilationi & capillarium fere omnium, & acrimoniæ acutiori sæpe prorsus singulari deberi statuit* (*r*): ex traditis autem morbi signis ejusdemque curatione (*s*), facile colligi posse videtur, summum Virum sanguineam febrem maxime intellexisse: quemadmodum *ardentem* καῦσον, inflammatoriam magis etiam, quam biliosam, consideravisse, apparet. Illustris vero magni Viri Commentator probe distinxit inter inflammatoriam Synochum & aliud febrium genus, *in quo non deprehenditur tanta mutatio in crassioribus humoribus*, medendi ratione admodum a se invicem diversum (*t*). —— Non immerito igitur post æstivam A°. D. 1575. constitutionem *magnus in Medicina Vir* G. BALLONIUS animadvertit, alias febres esse venosas, alias esse gastricas; *id est* ut ipse inquit, *quædam phlogosin sequuntur potius venosi generis, quam vitium humorum in præcordiis contentorum. Quæ venosi sunt generis, hæ primo quoque tempore per phlebotomiam cessant, quæ alius sunt generis non facile phlebotomia solvuntur, contra potius catartico*

(†) *M. R. S.* Tom. II. Sect. II. cap. II. §. V. 112.
(*r*) *Aphorismi. de Cognosc. & Curand. Morb.* §. 730.
(*s*) *Ibidem* §. 731, 734. & 736.
(*t*) *Comment.* ad §. 736. Tom. II. pag. 441.

tico egent; ut non mirum sit, si quasdam febres, veluti miraculo tollat phlebotomia, aliæ potius exacerbentur (*u*). Quod ingentis utilitatis in praxi est. Universa autem medendi methodus exclamitat in putridis, evacuantibus ἄνω ϗ κάτω, Antisepticis acidis Corticique Peruviano præcedere nihil, quæ non ferunt inflammatoriæ tantum febres.

Unde multiplex quidem putridæ febris ratio est; nam præter memoratas Synochos, & malignam epidemicam & pestilentialem, datur etiam a bile, & quidem pro ejusdem intensiori depravationis gradu, acerbior putrida febris; quin a pituitoso fomite, a cibis crassis & glutinosis, quam etiam memoravit GALENUS (*v*), vermibusque denique, sive per se, seu comitate afficientibus, oriundæ. In quibus producendis, externam perspirationem plerumque cohiberi constat (*w*); dum, aucto interno calore, uliginoso magisve æstuante cœlo, pravæ indolis humoribus inquilinis, bili puta utrique, succo pancreatico, gastrico & enterico, vermiumque progeniei mutatio induci cernitur, ut spontanea corruptela promptissime sequatur; & depravatæ indolis chylus ex primis in secundas vias delatus, tenerrima encephali & nervorum stamina, vel ipsorum notabiles conjugationes afficiendo, teterrima symptomata inducere consuevit: eritque pro variorum humorum indole, tempestatum constitutione, vel etiam majori fibrarum tensione, malignior, & pessima, sæpeque referta petechiis putrida

(*u*) *Oper. omn.* Tom. I. *Epidem. & Ephemerid.* Lib. II. pag. 78.

(*v*) *De Differ. febr.* Lib. I. Cap. 3. 32. A.

(*w*) Quod semper indicavit GALENUS, una pro omnibus sufficiat allegatio sc. *Meth. Medend.* Lib. XI. Cap. 4. Juntar. 7a. 68. H. Confer. Cel. DE GORTER *de perspiratione insensibili* Cap. XI. §. XLVI. pag. 133.

putrida febris. Quare secundum varias ex putredine natas febres, tum a communi ipsarum genere, tum vero a cujusque propria differentia desumpta, indicatio institui debeat, necesse est (x). Quibus si adduntur quæ vel egregii viri, Cel. nempe BIANCHINI (y) & DE MONCHY (z) super hac re cum orbo litterato communicaverunt, succincta non modo, sed & integra putridarum febrium habebitur Historia, & distincta sanguinearum notio.

Simplices itaque, quas enarravi, febres putridas fuisse, ex putrida in prima officina nata cacochylia, vermiumque muco & cadaveribus, aliisque caussis proëgumenis oriundas, petechiis immunes, neque contagiosas, attentus quilibet facile percipiet. Acute tamen plurimos prehendisse, ex multiplice functionum læsione, etiam liquet. Quin & animatam potentiam in plerisque symptomatibus aggravandis symbolam quoque suam non minus attulisse. Quare nonnihil & quibusdam recensitis phænomenis *Libri primi Morborum Vulgarium* HIPPOCRATIS videntur analogæ, quoad febrium naturam; insultus circa dies criticos; rigores incompositos & errabundos; sudores inconstantes, nunc allevantes, nunc noxam afferentes; extremorum refrictionem; alvos conturbatas; urinas tenues decolores, & crudas conturbatas instar subjugalium & in summa pessimas fere omnes. Huc quoque spectant capitis & cervicis dolores, præcordiorum elevationes, orisque ventriculi dolores, vigiliæ pertinaces: encephali tandem perturbatio multifaria.

(x) GALENUS, *Meth. medendi* Lib. XI. cap. 6. Juntar. 7ª. 69. C.

(y) *Lettere medico pratiche*, &c.

(z) *Hollandsche Maatschappy der Wetenschappen*, 6e. Deels, 1e. stuk, §. XVI. & seqq.

ria. Ex ægrotis quidem ſæpe ſæpius animo dubius hæſi in *Philini uxore*, cui ex memoratis multa, quæ in putrida verminoſa evenire ſolent, acciderunt (*a*), quæque plus ſimplici vice tanquam ovum ovo ſimilia in puerperis verminantibus animadvertere mihi contigit. Cardiogmus autem ibidem una cum urina alba craſſa, vel colore & craſſitie ſubjugalium, quæ raro in Bilioſis affectis cernitur, ubi rubicunda & flammea provecto jam morbo emittitur, plerumque intus latentium ferarum indicium præbent. Similis in *Dromeadæ uxore* (*b*) apparuit, in qua ferme eadem pathemata obvia ſunt: pari ratione quam in *Epicratis uxore*, octogeſimo tandem die prorſus judicata (*c*). Quales urinas, quæ crudorum craſſorumque humorum plerumque habentur & putrida laborantibus familiares, HIPPOCRATES in genere peſſimas habuit, *cum ex iis & delirium, convulſiones & palpitationes & capitis dolores graviſſimi contingant* (*d*). Sed *oris ventriculi dolorem* frequenter lumbricorum ſymptomatibus interponit, ita *autumnum ſua feritate & malignitate interaneorum animalia gignere, oriſque ventriculi dolorem*, dixit (*e*). *Eumenis conjux autumno bilem atram, vomitione rejecit. Quin & odores id declarabant, & febres horroris ſenſu inſignes vexabant, & oris ventriculi dolores. Bilioſa pauca vomuit & lumbricum.* Et paullo inferius, *in quibus ægri cibum averſabantur,* ac

(*a*) *Aegrotus quartus* Lib. I. FOES. Sect. VII. 976.
(*b*) *Aegrotus undecimus.* Lib. I. FOES. Sect. VII. 987.
(*c*) *Aegrotus quintus.* Lib. I, FOES. Sect. VII. 979.
(*d*) *Prorrhet.* Lib. I. 29. cum FOESII explicatione ad ægr. IV. Lib. I. *Morb. Vulg.* Sect. VII. pag. 978. H. & GALENI *comm.* in 1. *Pror.* HIPPOCRATIS, ubi genuinum hujus textus ſenſum exhaurias. ſexta Juntar. 4ª. 167. D.
(*e*) *Morb. Vulgar.* Lib. II. FOESII Sect. VII. pag. 995. & Lib. VI. Sect. I. 13. pag. 1165.

ac veluti excocti erant, corporis incontinentia, & oris ventriculi dolore vexabantur. Lumbricis conflictabantur circa judicationes, rigoreque erant affecti ac biliosi (f). Unde nemini, cui ferocissima infestorum symptomata innotescunt, Divi senis cum præceptis non conveniet, quod *febres ex præcordiorum dolore malignæ* sint (*g*); & *oris ventriculi dolor cum præcordiorum contentione, atque etiam capitis dolor, malignum quidpiam & suspiriosam quandam affectionem indicet (h).* Verum quidem est, Ægrotum duodecimum *cum lumbricis irritata liquida & turbulenta deposuisse, cui per initia crassæ, rubræque fuerunt urinæ, quæ in matula depositæ non subsidebant*: ast nosse quoque oportet, quod *incalescens quidem cœnaverit, biberitque largius, nocte omnibus vomitu refusis febris acuta prehenderit cum hypochondrii dextri dolore, inflammatio subinanis ad interna vergeret, & nox molesta & difficilis fuerit (i).* Neque præterea negaverim similia symptomata, qualia *Epicratis* & *Philini* uxoribus acciderunt, a biliosa, aliave materie heterogenea induci potuisse; sed raro tunc firmum adeo manifestabunt in urinis indicium, quod tanquam signum verminantium pathognomicon, optimi de vermibus agnoverunt scriptores; quod vel postea quam clarissime patebit. Omnium insuper caussarum lochiis cohibendis, alvoque inducendæ laxæ aptissima existere interaneorum animalcula, norunt hi, qui vel semel puerperam, lumbricis intus inhospitantibus, administrarunt; neque quemquam familiariter ejusmodi ægrotis medicinam fecisse crediderim, illud de

(*f*) *Morb. Vulgar.* Lib. IV. Foesii Sect. VII. pag. 1125.
(*g*) *Prorrhet.* Lib. I. n°. 56. Foesii Sect. II. pag. 122.
(*h*) *Ibidem* n°. 72. pag. 72.
(*i*) Lib. I. *Morb. Vulg.* Foesii Sect. VII. pag. 988. & seqq.

de hac re exploratum non habiturum, de qua diu multumque dubitabunt, qui nunquam hisce interfuerunt. Attamen vero sæpe quoque accidit, ut lumbrici in scenam non prodeant; quippe frequentius observare nihil est, quam in verminosa constitutione videre eosdem excretos, in aliis vero sub putrido magmate exitum habere; quod vel mea vice, minus apposite arguentibus absolvet F. HOFFMANNUS (*k*), *Plerumque tamen vermes non excernuntur, si febris*, inquit, *juncta est, quia æstu febrili dissolvuntur in putridum magma.* —— Pulcerrimas etiam quantum ad hæc communicavit observationes felix ille pathologiæ animatæ propagator, sæpius laudatus BIANCHINI (*l*), quæ latine reddita, hisce inserta reperisse, nemini displicere possunt. *In Monacho* 40. *annorum*, sic sonant, *gravi putrida febre, cum erumpentibus etiam petechiis, tantus sursum deorsumque Ascaridum numerus, a leniente catartico ex cassia cum mercurio remixta, morbi quinto die exhibito, ut porracei & phlegmatici vomitus æque ac quæ per alvum secesserat materies mucosa, acris, fœtida, tota vermibus scatere videretur. Vermiculi utpote minutissimi non statim apparuerunt; armato vero oculo per fluidum sese moventes conspiciebantur, & multi* 24. *horas supervixere.* —— Similiter animadvertit in altero ægroto. *Haud ita pridem*, sic pergit noster, *in nosocomium nostrum delatus est juvenis rusticus carnosi habitus, quem febris maligna petechizans adflixerat per novem dies & fregerat, quemque medicastri inscitia pessime tum habere dolebamus. Quarto decimo lethargicus factus periit. Aperto ejus abdomine, ne unicus quidem per totum intestinorum tractum lumbricus appa-*

(*k*) *M. R. S.* Tom. II. Sect. II. cap. XIV. *de feb. symptomaticis* p. 187.

(*l*) *Lettre medico pratiche*, &c. pag. 206.

apparuit, quamquam toto morbi decursu verminosa symptomata manifestissima apparuissent, brevique ante mortem binos vivos vomitu ejecisset æger Lumbricos. Interna ventriculi vero superficies, attentiori cura consideranti, exhibuit mali sedem, minutis ubique conspersis maculis nigris, Petechiarum simillimis, variisque locis tota obsita innumeris Ascaridibus, quarum majores inter rugas delitescebant, minutæ villis sese interserebant, &c. (*m*). Hinc monet medicos, ut in febre verminosæ indolis, ubi lumbrici non comparent, excrementa mucida attente considerent, vomituque ejectas corruptas sordes, ubi tunc minutissimarum ascaridum myriades sese prodant, vel motu quodam materiæ intestino, vel bullulis vorticibusque, quos motu suo in superficie materiæ suscitant. Anatomicosque in secessibus plicisque primarum viarum eas quærere jubet, muco immersas.

Ad suos igitur, in singulis, revocare titulos, Febres putridas, cum nullus detur morbus in genere, Medici permagni interest.

SCHOLIUM SECUNDUM.

Neque susque deque ferendum, utrum vermes putridis aliisque acutis Morbis subsint nec ne? Cum e contrario operæ quidem pretium est adæquatam animatæ potentiæ intelligentiam habere; primum quoniam ad *rectam Medendi methodum* ex HIPPOCRATIS effato illud præcipue requiritur: *in acutis morbis raro & in principiis medicamentis purgantibus utendum est, idque diligente antea adhibita circumspectione faciendum* (*n*). Nec licet adeo promiscue turbare salutaria Naturæ molimina, alvi continuo rationem habendo: ubi vero intestinorum

(*m*) *Ibidem loci* pag. 207 & 208.

(*n*) HIPPOCRAT. *Aphorism.* 24. Sect. I.

rum feræ adſunt, unâ cum easdem comitante magna pituitæ copia, quæ accedente calore febrili ab indole ſua cruda inerte depravatur, inque putredinem proclivis fit; præcipuus inde irruentium ſymptomatum fomes neceſſario ſuppeditatur, & ambæ ſimul tanquam primaria cauſſa debellandæ ſunt. Deinde ob *Reginem criticum*, quippe tempus terendo dum in præcipiti eſt ægrotus fruſtra expectamus criſin, etiamſi ad optimam medendi normam indicationem dirigamus, atque omnia, non exciſo malo infeſto, ſiniſtre evenire comperimus. Quod non diffiteor mihi, omiſſa debita in animatam potentiam attentione, vel periculis de induſtria ad naturam criticarum perturbationem eruendam factis, aliquando accidiſſe, quemadmodum & illa paſſim infra indicavi. Ob eandem rationem ſimiliter videtur male ſucceſſiſſe Synochi Verminoſæ curatio Viro in Arte Machaonia primario, inque Diſciplina Hippocratica conſummatiſſimo, Cel. nempe Viennenſium Profeſſori A. DE HAEN, tanta cum laude atque aſſiduitate critica molimina ad ægrotantium lectos Tironibus Medicis præcipienti, eorumque perturbationes non minus docte quam eleganter tradenti. Quare bona cum Viri Celeberrimi venia, eo tantum conſilio, ut ſalutiferæ Medicorum Scientiæ ſtudeam, præcipuam ægroti iſtius hiſtoriam (*o*) meis cum animadverſionibus heic inſerere, mihi liceat. Etenim ut in Phyſicis experimentorum fallaces eventus aliquando plus lucis afferunt, quum exſpectati ſucceſſus; ita Magnorum in arte noſtra Virorum minus proſperæ curationes, majorem novitiis in praxi Medicinali utilitatem præſtare nonnunquam valent, quam feliciſſime profligatorum morborum hiſto-

(*o*) *Ration. Medendi* Tom. VIII. pag. 4—6.

hiſtoriæ: hæ nimirum alias exempla præbent vix imitanda, aut in expertos in temeritatem præcipitant; illæ contra prudentiam inculcant, cum innoteſcit etiam Veteranos conſummatosque Practicos non usque quaque ſibi ab allucinatione cavere poſſe. Ignoſcet itaque Vir Clariſſimus, ſi cum honoris præfatione, absque vel ambitione, vel acerbitate, verum quæſiturus, quem ipſi placuit evulgando publicæ judicationi ſubmittere caſum, ad normam doctrinæ Hippocraticæ meæque experientiæ diſcuſſero. Precabor ego veniam, ſi erravero: ſin ipſe, non pudeat errorem candide fateri, ad exemplum Principum in arte Virorum.

,, Femina 26. annorum, febre continua acuta, ,, una cum repentibus ſæpe doloribus capitis atque ,, pectoris decubuit referta petechiis." Cui quidem ,, ſeptimo die contigit ſudor criticus, calidus, ,, univerſus ſex horarum ſpatio, tam inſigni cum ,, morbi levamine, ut poſt placidam noctem *ſola* ,, *ſupereſſet capitis gravitas* febre prorſus cum cæte- ,, ris exulante ſymptomatibus. —— Quærebatur ,, eſſetne judicata ægra διὰ τέλεος?

,, Utique dies criticus erat, & qui pro criſi ſudor ,, optimus, Aphor. 4-36. Morbi autem, inquit, ,, conditio hæc erat: *Cruditatis ſigna urina habebat*, ,, *alvusque usque ad initium ſudoris*: interim ipſa fe- ,, bris poſt ultimam miſſionem ſanguinis cujusdam ,, coctionis ſigna tulerat, perque illud ipſum re- ,, miſſionis tempus *ſomnus inquietior*, *ſubdelirium*, ,, *levis nauſea*, criticam quandam perturbationem ,, ſubinſinuare poterant, maxime cum brevi poſt ,, ſudor tantus, tantoque cum levamine ſequeretur.

,, Verum defuerat rigor ante ſudorem. Rigo- ,, rem autem ſudores criticos præcedere oportere, ,, HIPPOCRATES —— nos docuit." Exempla ex

HIP-

HIPPOCRATE ibidem laudata apud auctorem inspici possunt. Ex quibus noster (*p*).

„ Igitur toties horum omnium exempla Auditori-
„ bus in Nosocomio demonstrata, in pronuncian-
„ da sententia *cunctari omnino jubebant.* Docuitque
„ eventus haud inanem fuisse cautelam. Ægra
„ nostra die 8, 9, 10 calido balneo crurum insi-
„ dens, vomuit. Urinam hypostaticam die nono
„ miserat. Die undecimo alvum coctam biliosam.
„ Die 13. vix vestigia macularum. Die 14. optime
„ ac blande purgabatur ab unciis quatuor Aq. Lax.
„ Vienn. noctemque dato paregorico transegit tran-
„ quillissimam. At vero die 15. febre invadebatur
„ tanti caloris, ut 104. gradum Therm. Fahrenh.
„ æquaret. Die 16. mane calor 106. vespere 109.
„ gradus notabat. *Vomitus interea, dura alvus, uri-*
„ *na jumentosa.* Die 17. *febris cum cephalalgia, vo-*
„ *mitu flavo, flava alvo*, ac pultacea quater missa."
Unde Cel. Auctor ad quæstionem, „ *An tandem*
„ *vomitu judicata alvoque?* respondet: *Fere quidem;*
„ *integre autem nondum.*" Nec immerito. „ Etenim
„ diebus insequentibus cum urina hypostatica vires
„ rediere, pulcreque restitutæ sunt functiones; *ca-*
„ *put autem vertiginosum mansit & hebes & grave.*
„ Unde purgans cum paregorico repetitum: nihilo-
„ minus a die 23. *vagi observabantur colici dolores,*
„ *noctu quam diu graviores, vomitusque frequentes.*
„ Et hinc, & quod *oculorum album id innueret, &*
„ *quod brevi ante ægritudinem vermes bis ore expulis-*
„ *set, haud immerito vermium nata suspicio est.* Datis
„ ideo cum anthelminticis, tum purgantibus, de-
„ mum sanitatem integram 34. die adepta est."

Quibus sedulo perpensis, colligi posse quidem videtur, vermes fuisse caussam turbarum & sympto-
ma-

(*p*) pag. 12.

matum repente ingrediuntium, abeuntium demum collineatis in eosdem telis. Etenim *superstes capitis gravitas, nausea, vomitus, nec non alvus cruda, nunc dura, nunc fusa, cum urina jumentacea*, sufficienter manifestarunt, crisin quidem, etiamsi urina atque sudoribus Natura fuerit molita, eandem tamen absolvere non potuisse, propter interaneorum infesta animalcula, intusque minus liberaliter evocatam heterogeneam materiam morbificam. Unde neque cunctatio, neque venæ sectio, aut crurum balneum hic salutarem Medicatrici naturæ opem ferre potuisse videntur. Ipsa autem Natura semel atque iterum evacuationes ἄνω ϗ κάτω, indicante.

Sed præterea rigore caruit sudor. Quod etiam frequens observare est in putridis gastricis verminosis; quoniam in plerisque ab initio comparent. *Hos* quidem *sudores malos observavit* in nosocomio Viennensi Cl. auctor, & *confirmatam proinde ubique Hippocraticam veritatem conspexit* (q). Ex epidemicæ autem constitutionis nostræ observatione constitit, criticos tum evasisse sudores hosce, quando alvus salutariter flueret, una cum vermium expulsione, urina simul hypostatice subsidente; quod egregie quidem cum *Meandri Vinitore* convenit (r), quem refert, *rigores non, ut sororem Timenei passum fuisse, eo quod alvum ab initio liquidam & perturbatam habuisset. Deinde*, inquit, *substitit urinaque judicatione est reddita.* Quæ insuper egregiis SOLANI DE LUQUE observatis apprime consentiunt. Is autem *nunquam observavit simplicem crisin per urinam, sine ullo Diarrhœæ concursu, nec aliquod novum signum ejusmodi crisis noverat* (s). Unde forsan nonnihil magis lu-

(q) *Ibidem* §. V. 14—17.

(r) *Ibidem* pag. 9. & *Epid.* Lib. IV. Sect. VII. pag. 1131. FOESII.

(s) *Nov. rar. observat. circa variarum crisium prædictionem ex pulsu* Cap. II. §. VII pag. 7.

lucis affunditur obſcuriori X. textui *Epidemicorum Libri* VI. *Ante rigorem urinarum ſuppreſſiones; ſi cum bonis ſignis proceſſerint, & alvus dejecerit, ſomnique adfuerint.* Quoniam urinarum ſuppreſſiones tunc nihil ad futurum rigorem præſagiunt, cum alvus fluida ſæpe easdem ſolvat, neque tunc per ſudores prævio rigore natura operari conſuevit; quin ex oppoſito, quemadmodum cutis raritas alvi denſitatem, ita etiam alvi raritas cutis denſitatem adferat, neceſſe eſt. Unde GALENUS (*t*) in eundem textum perſpicue admodum rigorum dogmata tradens: *Igitur ſi alvus plura dejecerit, urinæ ſuppreſſæ ad futurum rigorem præſentiendum fidere non convenit: at ſi alvus fluxa non ſit, proximamque eſſe morbi judicationem prænoveris.* Egregie quoque idem illud HIPPOCRATES in *Potamonis* filio indicare videtur. Huic autem *ſeptimo die alvus*, inquit, *non demiſit, duobus ante judicationem diebus non riguit, idcirco neque urina ſubſiſtebat* (*u*). Præterea criticos etiam evaſiſſe ſudores in noſtris ægrotis ſupra (§. XXIX.) jam conſtitit, Cortice dato Peruviano; quod etiam bene cum modo laudato SOLANO convenit.

Attamen vero, quamvis & ſudoribus præceſſerint rigores, non ſufficiunt in verminoſis ad criſin perficiendam. Unde iterata ac unanimis in verminantibus querela, *ſudores inanes non levantes, noxam afferentes*, &c. Quin idem aſſertum in putridis gaſtricis vel apud ipſum Medicinæ Parentem in ſummum Medicinæ emolumentum exſtare, nemo non compertum habeat. Etenim *Dromeadæ* uxor (*v*), etiamſi ter ſudorem cum rigore eſſet experta, nihilo-

(*t*) Sexta Juntar. 3a. *in Lib.* VI. HIPP. *de Morb. Vulg. comm.* 1. fol. 156. H.

(*u*) Sub *Meandro Vinitore* FOESII Sect. VII. pag. 1131.

(*v*) Lib. I. *Morb. Vulg. Aegrot.* XI. FOES. ibid. pag. 987.

lominus die ſexto periit. Ab initio vero illi præcordii dolor invaſit, non ſine ſtomachi faſtidio, horrore, magnaque corporis incontinentia, inſomniisque. 3°. idem. 4°. remiſſior, ſed una capitis gravitas adfuit. Et cui urina 2°. fuerat craſſa alba turbulenta. 3°. ſimilis. 4°. eadem fere ſc. tenuis, oleoſa. Cumque nauſeabunda eſſet 3°. & 5°. & ex alvo commode ſtercora proceſſiſſent 2°. nihil ſeceſſit 5°. Unde probabile videtur, ipſam, ex defectu purgationis protractæ, fuiſſe exſtinctam. Quin *Ægrotus XII* (*w*) ter etiam rigorem paſſus, undecimo mortuus eſt. Quamquam enim 7°. *ex alvo irritata liquida & turbulenta cum lumbricis ſeceſſerunt*, videtur tamen morbi fomes nondum ſublatus fuiſſe, quoniam 8°. nigrorum, paucorum bilioſorum vomitus eſt ſubſecutus: neque ſufficienter & omnis hic expulſam fuiſſe putridam jam degeneratam pituitoſam vermium materiem, ipſaque animata cadavera, exinde mihi manifeſtatur, quod 10°. nullius amplius evacuationis criticæ facta mentione, crurum dolor invaſerit, ingraveſcentibus omnibus; unde decipiens undecimo mortuus eſt. Glioſam quoque crudam acremque dum intus alebat materiem *Philini uxor in Thaſo quæ filiam pepererat* (*x*), bisque cum rigore, etiamſi febris acuta ipſam prehenderit, vigeſimo obiit. Alvus circa exordia pauca aduſta quidem demiſit, immo ſeptimo dejectiones fuerunt bilioſæ, in plenum & affatim coloratæ. Et octavo poſtquam ex novo oborto rigore iterum acuta febris cum convulſionibus multis, non ſine dolore exoriretur, ex ſubdita glande multa dejecit cum fluxu bilioſo. Perpetuæ fere convulſiones. Undecimo urina jumen-

(*w*) Lib. I. *Morb. Vulg.* FOES. pag. 988 & 989.
(*x*) *Ægrot.* IV. Lib. I. *Morb. Vulgar.* FOES. 976. Sect. VII.

mentacea, neque alvinæ poſtea evacuationis ultra facta mentio eſt. *Epicratis uxor* (y) ter etiam rigorem experta, 40°. judicata eſt perfecte, poſtquam 34°. biliofis turbata eſſet alvus, 5°. jam morbi die pauca bilioſa demittens, 7°. vero abunde colorata bilioſa, 11°. vero ſubſtitit. Unde 15°. bilioſa flava vomuit, huic & tunc quidem urinæ hypoſtaticæ optimæ, ex interrupto vero alvi profluvio varia inducente pathemata, veluti delirium, lateris gravitatem cum dolore, tuſſim, faucium dolorem & ruborem, tarde adeo ipſi ſalutem adlatam fuiſſe, intuenti ſedulo apparere debet. Ut tandem de hiſce dicendi finem faciam, haud adeo mihi videtur febri erratica & vaga, teſte FOESIO (z), præhenſus *Cleonactis* (a), octogeſimo tantum rigore judicatus, quippe 24°. flava vomuit, ſatis multa, paulo poſt virulenta, quibus omnibus levatus eſt. Nulla huic per inferiora ſeceſſûs indicia adſcripſit HIPPOCRATES. Aſt vero, quod probe tenendum, circa 30. ſanguis ex utraque nare cœpit fluere, & inconſtanter paulatim ad judicationem usque: dum urinæ inconſtantes; demumque morbifica materia, quamvis cocta, magis in alcaleſcentiam vergente; ſubrubræ & rubræ evadentes ſalutem tandem attulerunt.

Sufficiant hæc de *rigore critico*, cum ex paucis jam allegatis ſatis conſtiterit de utilitate diſtinctionis febrium gaſtricarum & ſanguinearum, quippe in his per ſudores & urinas Naturæ molimina ſæpiſſime ſufficiunt, non vero in illis ſeu gaſtricis; ſin minus ſalutaris alvi fluxus aut vomitus iis accedat.

2. Intelligitur quousque GALENI ſententia, quod *Tanta*

(y) *Aegrot.* V. Lib. I. *Morb. Vulgar.* FOES. 979. *ibid.*
(z) *Ibidem.*
(a) *Ibidem. Aegrot.* VI. 982. ibid.

Tanta nempe signorum ab urina in acutis febribus vis sit, ut & soli ipsi sit credendum (*b*), vera existimanda, & ubinam? in solo scilicet sanguinearum genere, quæ Synochi audiunt, & acutis inflammatoriis. Et tunc pulcre intelliguntur quæ de crisi per urinarum hypostasin pronunciavit HIPPOCRATES (*c*). 3. Quid dein de rigoribus sentiendum? Videlicet, infidos solos hos esse in putridis gastricis, verminosisque, nisi prius alvinæ evacuationes, quibus degenerata in intestinis materia tam sursum quam deorsum integre expulsa sit, præcesserint, quo tempore sæpe salutarem morbi in sanitatem adferunt conversionem. 4. Denique quare oppido raro, in nostris, sudoribus præcesserint rigores? Verosimile, quia a principio morbi adfuerunt sudores: quia febres vix notabiles remissiones habebant: vel quod alvus brevi post morbi ingressum vel a Natura, aut, si ita e re visum sit, arte duceretur. Forsan etiam symbolam suam huc attulerunt cortex Peruvianus, vesicantia & alvi clysmata (*d*).

Quæ, si tandem ad criticas acutorum perturbationes adplicentur, suo quoque non carebunt usu. Etenim innumeris observationibus cum apud auctores classicos, tum in praxi quotidiana, comper-

(*b*) In Lib. VI. HIPP. *de morb. vulg.* com. I. X. sexta Juntar. 3ª. 156. H.

(*c*) Confer. Cel. DE HAÄN *Rat. Medend.* Part. VIII. cap. 1. pag. 66. & seqq.

(*d*) Pulcre hic videtur collineare *Fullonis* historia apud HIPPOCRAT. *de Morb. Vulg.* Lib. VII. FOES. Sect. VII. pag. 1229 & 1230. cum Cel. DE HAAN. VIII. pag. 61 & 62.

pertum est, optimis criticis signis sudoris, urinarum, immo inquam narium hæmorrhagiarum, satis tamen cessisse ægrotos; capitis tantum superstite gravitate, oris ventriculi dolore, aut levi tantum alvina contentione aliisque pluribus; ut brevi facta metastasi, convulsionibusve obortis exspirarint; aut validas recidivas passi sint. Utinam igitur singularium criticarum perturbationum caussæ innotescerent, perinde atque effectus sedulo adeo ab antiquitate notati; ut Medico non modo spectatorem se gerere, verum etiam Naturæ Ministrum agere integrum esset. Inter ejusmodi caussas potentissimi deprehenduntur vermes; quod ne HIPPOCRATEM quidem effugit, cum eosdem *sub judicationem exire commodum* præceperit (*e*), idemque repetierit (*f*). Hoc quoque me docuerunt copiosæ observationes meæ, quod si nempe infesta animalcula, sub actu criseos, cum alvi excretione non prodiissent, pessimas sæpe contigisse recidivas. Unde, certis indiciis cognita potentia animata, sæpe mihi evenit, ut naturam ducem sequendo, artificialem crisin efficerem. Multa huc spectant, quæ criticæ alicujus evacuationi, urinæ puta, sudori & hæmorrhagiæ narium supersunt, quæque ex peculiari vermium signorum fonte promi debent, & exercitato specifici quid præ se ferre videantur. Absit tamen, crediderim, me omnes, quæ hic contingere solent, degenerationes ad veram normam duxisse, cum plurimorum quam meæ partes hæc sint. Ex veris autem principiis en pauca!

SCHO-

(*e*) *Prænot.* FOESII Sect. II. pag. 40. lin. 10.
(*f*) *De Judicationib.* FOESII Sect. II. pag. 52. lin. 19.

SCHOLIUM TERTIUM.

Quamquam diagnosis potentiæ morbificæ animatæ in omni morbo ex communi verminosorum symptomatum catalogo peti debet, peculiarem tamen vim aliquando exserere vermes, prout morbus decurrit, sæpe animadvertitur. Hinc, pro symptomatum in acutis intensitate, valide affligunt; qua ratione semet nonnunquam produnt, & ad signorum syndromen multum faciunt. Ita quidem in continuis putridis huic scopo inservit

1. Capitis dolor (§. XXVI.) tam a morbi principio, quam gravativus post criticam quandam imperfectam evacuationem superstes.

2. Lingua in putridis gastricis verminosis sæpe crusta subpingui fusca, una cum oris fœtido halitu, peculiari, acido putrido, obtecta visitur.

3. Dolores laterales non pleuritici, vel etiam a morbi principio, vel post crisin remanentes, plerumque vagi & inconstantes; aliquando tussi inani nihil egerente stipati. Et quod si hæc (1, 2, 3.) minus tuta viderentur, seorsimque sumpta nihil demonstrare, cum aliis pluribus pathognomica quasi evadunt. Etenim si hos

4. Comitantur Pulsus inconstantes, intermittentes, quod cum vermibus semper observavit SOLANUS DE LUQUE (g), nunc debiles & quasi deficientes, una cum

5. Præcordiorum anxietate & cardiogmo, maxime circa vesperam (qui cardiogmus, seu oris ven-

(g) *Nov. rar. observat.* &c. auctore J. NIHELL. pag. 29. 36, 64, 131, 135.

ventriculi dolor una cum memorata præcordiorum anxietate, fyncope & inopinata contingente lipothymia multum demonftrat, fi quando etiam Naturæ moliminibus non aufcultat); præterea fi dolor nunc latera, nunc imum ventrem petat, aut ex eodem ventriculum adfcendat, maxime dein fi ex illo capitis dolor aggravetur, oculis non rubore tinctis, fed concavis, lachrymofis renitentibus; denique fi ex eodem urinæ fuppreffiones, minime apte ad criticos rigores referendæ, contingant (*b*); aut tandem leviores in pollice & digito indice percipiantur convulfiones, Pathologiæ animatæ gnaro non diu aqua hærebit. Nec minus huc fpectant

6. Alvinæ dejectiones mucidæ fruftatim egeftæ, ramentofæ; fubque alvo hacce fufa levamen fymptomatum no. 5. recenfitorum: contra eadem coacta, omnium eorundem plerumque augmentum, citave ad caput aliquando metaftafis, indeque nascentes multifariæ encephali læfiones, aut validæ recidivæ.

7. Sudores fymptomatici fubfrigidi copiofi, plerumque fine prævio rigore, ideoque acritici, fubacidi putridi, rigoribus incompofitis nonnunquam intermiftis.

8. Maxime omnium urina limofa, jumentacea; aut incerta & inconftanti, nunc præmatura, protracta nunc hypoftafi prædita, fere femper albida, aut ex albo flavefcente. In defcripta autem confititu-

(*b*) HIPPOCRATES aliquid hujus phænomeni videtur indicaffe hifce verbis, & *qui urinæ difficultatem facerent non ex proprio aliquo renum vitio*, FOES. Sect. VII. *Morb. Vulg.* Lib. I.

ſtitutione minus quam in aliis acutis pathognomicon illud ſignum urina præbuit.

9. Omnium vero memoratorum certitudo, quoad Epidemicam Conſtitutionem, tempeſtate perhumida, pluvioſa, admodum augetur.

Hiſce enim adminiculis adjutus, feliciter ſatis hacce in Conſtitutione, inque aliis poſtea ſemet offerentibus caſibus, proceſſi, omnibus rite inter ſe comparatis.

Optandum tamen foret, ut frequentius inciderentur corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari liceret, potiſſimum ubi noſocomia ſub integra Medicorum ſunt poteſtate, qua multa nunc dubia ad ſtabilem demum pervenirent normam.

THEOREMATA PRACTICA.

Ex hactenus recenſitis quidem conſtare videtur

I. Varias dari Febres putridas, quarum aliæ gaſtricæ, ſanguineæ aliæ exiſtunt; utrasque tamen Petechiis Vermibusque refertas evenire, etiamſi malignius hæ præ illis afficiant.

II. Nomina Morborum perſæpe fallacem exhibere Morbi ideam, optimasque pervertere indicationes, ſi quando cauſſæ ſymptomatis ſuperſtructa non ſint.

III. Lumbricos atque vermes ſummas inducere criticas perturbationes, niſi critice & mature quidem excludantur.

IV. Omnes criticas evacuationes, ſi alvus fluida iis non ſuccedat, qua ipſi vermes eorumve cadavera, aut putridum magma expellitur, irritas eſſe: quin crebras recidivas pati ægrotos,

donec vel putrilagine vi vitæ ſoluti, ſudoribus vel urinarum fluxu demum a Natura ſubigantur. Hinc.

V. Magnam habere prærogativam, non modo in putridis verminoſis, verum etiam in aliis hiſce proximis cartharſin primarum viarum, ad materiem heterogeneam educendam perinde, ac leviter afficiendo inſignes intercoſtalis nervi, cum toto corpore communicationes; qua metaſtaſes multaque nonnunquam avertuntur mala ſpasmodica.

VI. Optima tandem in hiſce, præter alvum leniter ducentia, ex uſu apparere Anthelmintica antiſeptica, ex Acido Minerali & Vegetabili, corticeque Peruviano petita, quippe utramque paginam abſolventia.



SECTIO



SECTIO SECUNDA.

FEBRES INTERMITTENTES VERMINOSO-BILIOSÆ ET CATARRHALES.

§. XXXVI

Hæ maxime grassatæ sunt annis 1761 & 1762 (§. XIII. & XIV.), quibus pauciores animadvertebantur Synochi. Nonnunquam ex parvis admodum principiis lentarum adinstar, invadebant; mox vero in acutissimas abeuntes: aliquando etiam & plurimum regulariter; maxime sequenti methodo. Dolor nimirum capitis nonnullis intolerabilis; nausea & Cardiognius uni & alteri in vernalibus molestus, cum ructibus subpinguibus, rancidis, perinde ac sodâ laborantibus, ingenti salivæ excretione stipatis: quod non ita contigit autumnali, in quibus major erat in vomitus proclivitas, quam quidem vernali febre prehensis. Violenta hacce expulsione excreta materies, plerumque erat subbiliosa, tandem sincera, immo etiam paucis æruginosa —— Dolores etiam patiebantur abdominales, adque umbilicum æque ac lumbos & latera versus; in aliis citius, tardius in aliis prorumpentes in Diarrhœas aquosas, torminosas, biliosæ subputridæque indolis, una cum vermium ramentis, ipsisque integris. Dysenteriam subierunt pauci.

§. XXXVII.

Anxietates hic enormes, ut & irriti vomendi conatus, absque ullo fere levamine; unde non raro lipothymiæ, sudores frigidi affectusque comatosi. In aliis pectus adibant anxietates cum dolore, ut plurimum ad quartum quintumve diem, remittentes iterum, si quando alvus, vel sponte, vel arte duceretur. Sub inani illo vomitu, vehementer increvit præcordiorum angor; ut inquietiores multo sese gererent, quam in descriptis modo putridis, admodumque jactationibus lacessferuntur.

§. XXXVIII.

Lingua prius albida, mox flavescens, crusta in pluribus obducebatur subpingui, ex fusco subnigrescente: densissimis aphthis, totumque os internum atque fauces occupantibus, in morbo gravi diuque protracto; aut in uno & altero statim a morbi initio.

§. XXXIX.

Urina coloris citrei, non adeo concentrata, quam in exquisitis biliosis autumnalibus, hepatitidem æmulantibus, citum & copiosum deposuit sedimentum ex albo flavescens; aut glutinosum, minus coctum HIPPOCRATIS, fundo vasis hærens, aut in medio suspensum. In aliis vero cum eneoremate, qui acriter decubuerunt, plurimi comatosi aut tardæ judicationis, cernebatur.

§. XL.

§. X L.

Ut in omnibus verminantibus, ita etiam in hisce debilis intermittens, inordinateque celer existit pulsus. —— Sudores quoque copiosi post turbatum nidum, & magis quam in præcedentibus nocturni; continuoque vexantes plurimos. Critici etiam in quibusdam, præsertim quando copiose subsederat urina; quod non ita accidit in Camatosis & Catarrhalibus, in quibus hypostatica stetit tarde.

§. X L I.

Quæ Catarrhalis erant naturæ Febres plerisque inducebant affectus soporosos, præcisos, suborta diarrhœa putrida pituitosa, ramentosaque. Vehementer ægrotarunt hi, omniumque difficillimæ fuerunt judicationes, excepto ægroto IV. —— Perpaucos tractavi comate immunes, vel ex intermittente in continuam remittentem brevi abeunte febre: adeo ut multis modis convenirent cum descriptis supra continuis; excepto quod non tantam aluerint putredinem. —— Peculiaris quoque his erat lingua: etenim ex naturali facta alba, profundioribus incisuris nigrescentibus, quæ secundum longitudinem, dum breviores aliquot similiter eandem transversim secabant, sensim fiebat hiulca.

§. X L I I.

Intermittentes maximâ parte erant tertianarum generis; quartanæ quædam, quæ raro cum vermibus typum servarunt, dum in lentas anomalas repente abierunt; nonnullæ irregularibus terminan-

tes paroxysmis. Lumbricos vero non excernentes detenti febre, in graviora postea inciderunt mala: Hoc præ reliquis apparuit in ægr. II. & XVI.

§. XLIII.

Hinc iterata constitit observatione, etiam in hisce febribus, maximam ægrotantium partem, vermes abdomine aluisse; quibus sponte vel arte excretis, morbi placide brevique, paucis adhibitis pharmacis, abierunt: atque eadem Medicamenta, in quibus animata potentia non adeo aperte sese manifestaverat, data sub eadem constitutione, ejusdem fuisse virtutis, quam ubi infesta illa constaret Diagnosis.

§. XLIV.

Qui autem febre tenebantur regulari intermittente, non eodem modo pristinam recuperarunt salutem. Nonnulli enim perfecte judicati sunt, emissis vermibus, quemadmodum ægroto XII. ad tertium paroxysmi contigit ingressum, nec ultra febricitavit. Quodsi vero diagnosis constaret animata, febrique prospiceretur soli, intactis vermibus, multo gravius diutiusque dein ægrotarunt. Pluribus tamen accidit, quod verminantibus consuevit, ut vi morbi agitati vermes summopere mutarint morbi genium: & hac ratione ex legitime intermittentibus, continuæ putridæ, anomalæ, multisque natæ lethales sunt; ut aliquando multo, quam descriptæ putridæ fuerint maligniores. —— Mutationes hæ, potissimum ad 3, 4, 5tumve diem, serius ocyus fiebant.

§. XLV.

§. XLV.

Vel communis omnibus verminantibus erat Diagnosis; oculis scilicet, lingua, dolore abdominis acuto, sub paroxysmi ingressum, una cum nausea mordaci, excrementes ramentosis, ipsisque vermibus, perspicua; in nonnullis tamen non æque manifesta, quin concursu plurimorum indigeretur; vel peculiaris erat Epidemica, ex juvantibus & nocentibus; aut perduratione & vehementia symptomatum, consuetis non auscultantium pharmacis. —— Multos persanavi, cognita jam febrium indole, nullum aliud medicamentum, præter familiarem usuque probatam Mixturam anthelminticam dictam, ab initio ad finem usque assumentes, summo cum effectu, febriumque cita in sanitatem conversione. Diversa tamen a se invicem natura febrium eandem semper non admisit medendi viam. Quam ob rem ad datam roborandam Historiam, quosdam casus, maxime diversos inter se, summatim addere mihi visum est.

ÆGROTUS PRIMUS.

Hominem Mercenarium prehendit febris Catarrhalis, mense Julio 1761. non admodum valida, lenta potius ab initio. Capitis vero & præcordiorum dolor gravativus adfuit a principio. Subinde & sine ordine, attamen ad vesperam regulares, invadebant febriles acerbationes, inducentes faciem continuæ remittentis. Sudores non admodum copiosi, subfrigidi potius: membrorum cæterum perinde atque ex lassitudine labores, fereque dolentes ubique: tenuis & decolor urina: lingua parum

&

& leviter tantum in interſtitiis folliculorum glanduloſorum obſeſſa: oculi renitentes: pulſus non admodum durus, neque celer. Hæc Diagnoſis. Ex data Hiſtoria, potentiam animatam febri lentæ huic ſublatuiſſe, mihi perſuaſi; quare a blandis alvum ducentibus cura inchoabatur. Rheum cum ſale polychreſto, forma pulveris ingeſtum vomitu rejecit: dum hauſtus alter purgans alvum modice cievit. Minus vero debito vermium nido ſoluto, pharmacum paullo magis incidens (*i*) dabatur ex pulvere anthelmintico Störk., Oxymelle Scillitico, cum Aqua Cort. Aurantior., ut quavis horr aſſumeret Cochlear. Vix tamen, cum piger homo nihil fere ingereret, quod illi fuerat propinatum, votis paruit medicamentum. Febre vero jam tertio vocationis die, usque quaque malignitatem redolente, ſaturato cenſui utendum decocto reſolvente, incidente, cum ſale medio Rob. Ribium, Sp. Sulph. per campanam, ut majori medicamentorum quantitate pravam corrigerem materiem, ac deſtructionem vermium nidi iisdem ſimul tentarem; etiam atque etiam intendens, ut ſtrenue daret operam in potionem illam gratam accipiendam, quin brevi abiturus alias eſſet e vita. Neque fruſta medicamento admonitionibusque me allaboraſſe abdominis murmur indicare cœpit. Lumbrici enim jam nido remoti, inſtantibus urgenti cum dolore convulſionibus, inteſtina perreptare videbantur: doloribus ſuccurrendo colicis dabantur pulveres aliquot ex Cornu Cervi uſto, utpote convenientiſſimum mihi in

(*i*) Secundum illud HIPPOCRATIS „omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedant ſecundum rationem, non „eſt tranſeundum ad aliud, manente eo, quod ab initio „viſum fuit." *Sect.* II. *Aphorism* 52. HIPPOCRATIS.

in iisdem notum medicamentum, ſuperimpoſito purgante medicamento anthelmintico cum granis aliquot Mercurii dulcis. Renuente vero, quæ vix ducebatur, alvo, vermibusque ſurſum magis magisque petentibus, vomitum ciere in præſenti ſatius duxi. Ipecacuannhæ doſin multis præcibus noſtro ingeſſi, lecto adſtans, ut, ſi quavis vermium agitatione accideret turba, quam citiſſime ei ſuccurrerem; & ad ſtimulos perceptos multam calidam, ut amplo exirent vehiculo, ingererem. Nec fruſtra: brevi autem vermem teretem dimidiam ulnam longum rejecit mortuum; quo non nihil levatus eſt. Langueſcenti vero, antiſpasmodicum ſimul & cardiacum ipſi propinavi ex liq. anod. min. Hoffmanni, Tinct. Caſtorei & Aq. flor. Naphæ: paullo tamen poſt rediens vix aliquid hujus ſumſiſſe indignabundus intellexi. Alteram doſin Ipecacuannhæ vi quaſi intorſi, nec operatum eſt medicamentum, neque quidquam ut in actum duceretur, accipere voluit. Quid multis? Quidque ejusmodi cum ægrotis? Præcordiorum anxietatibus, dolore increſcentibus intolerabili, ut tandem enormes evaſerint, pulſuque magis ac magis abeunte in caprizantem, exſpiravit media nocte, a principio die morbi ſexto, cum ſanguis paullò ante ex faucibus prodiiſſet.

E P I C R I S I S.

Similes febres occurrunt apud FORESTUM (*k*), corpora potius mollia eaque humida invadentes, quæ initio nihil maligni oſtendebant; poſtea vero admodum malignæ & peſtilentes deprehendebantur, una cum vermibus. Nihil etiam mali præ ſe tulit

(*k*) Lib. VI. obſ. VI. & alib. variis in locis.

tulit a principio hæcce febris, & lenta potius quam acuta apparuit. Diagnosis verminosa, ex oculis, pulsu, febrilibus exacerbationibus, præcordiorumque tum ventris dolore manifestabatur. Et, si omnia ex lege artis in usum potuissent vocari, forsan evasisset noster. Clysmata enim oleosa, aliaque vermibus opposita, fortiterque ducentia alvum, avertere potuissent periculum ipsi imminens: sed etiam ne hæc quidem admisisset, cum omnibus resisteret medicamentis. Eodem fere tempore felicibus processi auspiciis in duodecim aliis ægrotis, sine enematibus. Primus larga diarrhœa (*l*), reliqui modice fluente alvo, maxime vero urina ad 14tum. judicati sunt, sudoribusque, emissis vermibus. Duo tamen graviter se habebant, alter comate & aphthis, viscerum labefactatione phthisin mentiente alter. —— Plerumque interim constitit, si vermes nido fuerint inclusi, nec cito in diarrhœam solverentur, damnosum plurimum id fuisse ægrotis; sin minus integri sub judicationem exissent. Neque debilioribus in hisce videtur mercandum medicamentis. Purgantia quidem dedi satis valida ipsumque mercurium dulcem purgantibus nuptum. —— Crediderim fere vermes ipsa perforasse intestina, cujus uberrima ubivis exempla prostant, cum sanguis ante mortem ore rejecerit: nec unquam ullum vermibus obsessum de tanto audivi questum fuisse dolore, de quanto quidem nostrum.

Ægro-

(*l*) Purgantium encomia in malignis cum vermibus, non satis possum laudibus extollere. Utilissimus textus Cell. F. Hoffmanni perquam commendari hic meretur. Tom. II. Sect. I. Cap. XI. §. IV. in curatione, &c. pag 87.

Ægrotus Secundus.

Senex piſcator Auguſto 1761. Febri laboravit intermittente legitima, ad quam ſubigendam auxilium a me petiit. Diagnoſis epidemica, cum manifeſte appareret verminoſa, Anthelmintica dabantur laxantia, ſimul cum antifebrilibus; quibus febris diminuta brevi eſt. Animata vero potentia ab iisdem omnino non fugabatur, cum Medicamentorum noſter faſtidioſus 9º. a principio die, quo febri valedixerat, ultra nihil accipere voluit? quocunque ad integram ſanationem modo ſollicitaſſem? —— Sed quid contigit? Inconſtanti, temporis aliquo intervallo, fruitus cum eſſet ſanitate, Apoplexia corripitur ſatis ingenti. Proximum arceſſunt Chirurgum, qui ſanguinis miſſione, epiſpaſticis aliisque auxiliis inchoaverat curam: cum demum petierunt conſanguinei, ut Chirurgo adeſſem ego; ſi quid bono ſeni auxiliando valerem. —— Acre clysma cum Oxymelle Scillitico præſcripſi; ut per intervalla ſemel atque iterum conſuetam injiceret quantitatem Chirurgus. Nam vermes ſubeſſe ex recognita truncata medela mihi perſuaſi, ſiquidem ipſo conſtitit facto. Lumbricum enim vomitu excrevit teretum. Provecto vero jam adeo morbo, ut integre tolli incaſſum videretur, tantum tamen inde percepit levaminis noſter; ut proxima nocte ſponte ſeſe moverit, potulenta ipſi propinata de manu præbuerit, mentisque conſtantioris exſeruerit indicia. Oborta deinceps reſpiratione ſtertoroſa, placide obiit.

Scho-

SCHOLION.

Quidni Apoplexia verminosa, nonne eadem sæpissime gignunt symptomata vermes, quæ Apoplexiam identidem præcedere solent? An major ubivis *cacochymiæ pituitosæ multum excellentis*, datur, quam a vermibus opportunitas; quæ a summo BOERHAVIO (*m*) inter primarias Apoplexiæ recensetur caussas. Neque deficiunt exempla (*n*). Cum & diagnostica, verminosam inter & idiopathicam Apoplexiam, ipse jam exhibuerit CÆLIUS AURELIANUS (*o*).

ÆGROTUS TERTIUS.

Febri afficiebatur biliosa Faber lignarius, sub finem Augusti ejusdam anni, intermittente legitima, cum ingentibus anxietatibus cardialgicis; ut & vomitu sub paroxysmis, subbilioso: quæ consuetis cum essent graviores, Epidemicam manifestarunt febrem. Mixtura dabatur ab initio consueta anthelmintica, intra paroxysmos. Multis vermibus (sc. Ascaridibus) excretis, vacabat febre, absque ullis reliquiis; post septimum a principio nullum amplius assumsit medicamentum, adque opificium suum rediit sanus. Nulla huic adfuit pupillarum dilatatio, cum potius easdem coarctatiores deprehenderim.

ÆGRO-

(*m*) De *cognosc. & curand. morb.* §. 1010. 2. *α.*

(*n*) Consulatur inter alios WEPFERI *Observat. de aff. Capit.* Obs. CXLIII. pag. 677. *Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacie*, &c. par M. A. ROUX. Tom. XVIII. pag. 24. &c.

(*o*) *Lib. citat.* Lib. IV. Cap. VII. no. 109. pag. 535.

ÆGROTUS QUARTUS.

Cultor Amſtelodamo, ubi merces expediverat, domum redux lecto tenebatur ſubcomatoſus, rigidus, acerbo fere ubique dolore oppreſſus cum febri valida. Ingruente paroxyſmo, vehementer increverunt anxietates, quas lumbricis tribui. Iterata experientia edoctus, lenioribus fere nihil in ejusmodi affectibus effici poſſe, purgans promptiſſimum exhibui ſtatim a principio vocationis, excipiendum mixturâ conſuetâ anthelminticâ, cochleatim omni horâ; quibus alvus liquida ducta eſt, ut veſpera paregorico indiguerit. Capitis autem dolor & præcordiorum angor integre ſublati ſunt, febrisque multum imminuta eſt. Datis tandem ex claſſe Antiſcorbuticorum Reſolventibus cum Oxymelle Scillitico, convaluit noſter intra ſeptem dierum ſpatium.

ÆGROTUS QUINTUS.

Singulare phænomenon in filiola Prætoris vicini, cui, ineunte febrili paroxyſmo, digitus minimus & auricularis extumuerunt; quæ inflatio iterum diſparuit ſub febris deceſſionem, prima vice attonite conſpexi. Emiſſis autem lumbricis aliquot, materiâque heterogeneâ, fugata breviſſimo temporis curſu, ſeptimanæ ſcilicet unius, febre, integre convaluit noſtra.

SCHOLION.

Memorabilis ſane & Pathologiæ animatæ aureis qui inſeratur aſteriſcis perdignus Coacarum

 Præ-

Prænotionum Aphorismus hic eſt: IN LIENTERICIS CUM FERIS ALVINIS (μετὰ θηρίων), QUI TORMINE EXSOLVUNTUR DOLORES; QUÆ CIRCA SUNT, ARTICULOS TUMEFACIUNT. HINC PRÆRUBRÆ SQUAMMULÆ ET BULLATÆ. QUIN ETIAM OBORTA SUDATIUNCULA, VIBICIBUS RUBENT OBSITI, UT FLAGRIS CÆSI (*p*). Quamquam hic textus ſatis perſpicuus eſſe videatur, ut facile intelligi poſſit; propter eximiam tamen ejus in Potentiâ morbificâ animatâ utilitatem, dandam mihi hanc operam duxi, ut luculentius paullo eum explicem.

Cum nomen τὸ θηρίον amplam habeat ſignificationem, & nunc pro ulceribus malignis, nunc autem pro feris alvinis adhibeatur; mirum non eſt, ob intimam, quam colunt, affinitatem Mucoſi maligni & Verminantium morbi, ſæpe quoque ſimilia ſymptomata, veluti oris exulcerationes, faciei rubores cum fœdis maculis, depravatam in ingeſta actionem, articulorum intumeſcentiam, cutisque ſcabritiem, cum phtiſi abdominali atque tabe, ſiſtentes, tandemque vel mortem ipſam inferentes, in lingua Græcâ verſatiſſimos etiam viros, aliquando de hâc voce ambigere. (*q*) Ex attenta vero diverſorum HIPPOCRATIS locorum contemplatione patebit, Laconicum huncce virum τὰ θηρία de lumbricis inteſtina torquentibus perſæpe

(*p*) DURETI *Commentar. in Coac. Prænotion.* pag. 336. edit. Leid. 1737. & FOESII no. 467. pag. 129.

(*q*) Præ cæteris conſulendi FOESII *Coac. Præn.* 285. ſect. II. p. 165. & 467. pag. 192. Lib. II. *Epidem.* pag. 996. Lib. *Epid.* IV. pag. 1126. & Lib. *Epidem.* VI. ſect. I. p. 13. *in comment.* pag. 1167. cum ejus *Oeconomia.* pag. 165. adde Ill. VAN ZWIETEN ad §. 1364. Tom. IV. pag. 715.

ſæpe intellexiſſe, eademque promiſcue pro infeſtorum genere uſurpaſſe, aliquando Aſcarides & Teretes ſeorſim expreſſiſſe; unde forſan quis in dubium venire poſſet, peritiſſimum DURETUM hic loci tantum Aſcarides reſpexiſſe, cum in alio aphoriſmo ejusdem HIPPOCRATIS θηρία pro Teretibus interpraetatus eſt (*r*); ſcilicet *a Cardialgia, cum torminibus, ventris feræ* (θηρία) *prorumpunt;* in quem ſequentibus verbis commentatus eſt, *Quod autem attinet ad nomen τῶν θηρίων, palam eſt, pro vermibus uſurpari, quia ſunt feræ ventris* &c. quæ ad hoc probandum ex aliis contulit. Simili modo egit in aureo libro ſupra jam memorato (*s*), ubi promiſcue voce θηρία uſus eſt. *Aſcarides etiam*, inquit, *ab Hippocrate vocantur* θηρία, *a feritate: Nam ſæpenumero ægrotos ad exitum præcipitant, ut ſcripſit Hippocrates Lib. I. Epid. Sect. II.* θηριώδης φθινοπώρη *&c. ac ſi diceret Ferinum quoddam autumnus gignit &c.* quæ ſequuntur. Et paullo poſt, *Dicuntur autem vermes ab Hippocrate* θηρία κατ᾽ ἐξοχὴν *in lib.* περὶ χυμῶν, *ubi clyſterum commoditates & utilitates commemorat. Valent inquit, ad incendium inteſtinorum, ad humores alienos excludendos, ad ulcus, ut ad dyſenteriam, valent ad* θηρία *vermes ferinos excludendos. Quorum autumno eſt facilis generatio, propter victus rationem a fructibus crudis & aliis cibis cruditatem gignentibus: & id circo autumnus dicitur* θηριώδης, *id eſt ferinus. Igitur lumbrici rotundi gignuntur in tenuibus inteſtinis.* &c. Immo poſt ſignorum ex PAULLO, AETIO, HIPPOCRATE & ARISTOTELE recenſionem, in Apho-

(*r*) *Libro* modo *citato.* pag. 163. coac. 15. cap. XI.
(*s*) *De Morbis internis.* pag. m. 565. & 566.

Aphorismum modo citatum (*t*) *oris ventriculi dolores cum tormine, ventris animalcula* (θηρία) *erumpere faciunt*, ita hic loci commentatus eſt. *Naſcuntur in tenuibus inteſtinis & irrepunt in ventriculum eo pellecti, ſuavitate cibi mitis & lactei, præſertim iis qui lacte utuntur* (*u*). *Contra Aſcarides in ano ſtabulantur.* Unde ſatis ſuperque conſtat, noſtrum & in hunc textum, in quo Aſcarides ſæpiſſime cauſſa exiſtunt moleſtæ cardialgiæ, quemadmodum crebrò obſervavit BIANCHINI (*v*), & ego, præter alios caſus in ægroto XV°. infra annotavi, το θηρίον, de Teretibus intellixiſſe, & alibi pluribus in locis. Eadem igitur tum reſpectu cardialgiæ, tum articulorum intumeſcentiæ, hujus nominis ratio eſt; nec alia quam communi ſignificatione in Epidemica conſtitutione ab ipſo HIPPOCRATE adhibitum fuiſſe, ex *Eumenis* uxore ſufficienter apparet. Febres enim lumbricis refertæ πορετὲς θηριώδες nuncupavit, quâ præhenſa lumbricum teretem vomitu ægrota rejecit: & in eadem conſtitutione, lumbricos, quibus circa judicationes conflictabantur θηριώδεες vocavit (*w*). Iterata quoque obſervatione, phænomena in textu memoratis ſimillima, in ægrotis noſtris a lumbricis potiſſimum teretibus, exorta fuiſſe conſtit. Et

I. Quidem in ægrotulo noſtro memorato quinto.

II. Inſuetam dein digitorum inflationem, quam fruſtra

(*t*) *Supra not. r.* Confer & FOES. *Coac. Prænot.* 285. pag. 165. cum *Epid.* Lib. II. pag. 996.

(*u*) *De Morb. Intern.* pag. 566.

(*v*) *Lib. citato.* pag. 202 & 210.

(*w*) Lib. IV. de *Morb. Vulg.* no. 12. pag. 1125. Foësii.

ſruſtra linimentis diſcutientibus diſſipare tentaverat Chirurgus, in femina quadragenaria obſervare licuit. Aderant ſimul plurima teretium ſigna, cum alvi contentione. Datis vero Anthelminticis purgantibus, tam a digitorum intumeſcentiâ, quam a vermium reliquis ſymptomatibus, ſanata eſt, quam primum alvus per aliquot tempus ramentoſa ducta eſſet.

III. In alterâ feminâ curæ meæ commiſſâ, idem animadvertere contigit, quo tempore ſaluti prioris ægrotuli præfueram, quæ lumbricos quoque teretes excrevit & poſtea ad priſtinam ſanitatem pervenit.

IV. In puella quatuordecim annorum, eadem phænomena animadvertebantur: maxime verò circa veſperam. Aderant autem intolerabilis capitis dolor, pupillæ major dilatatio, narium pruritus, lingua ſordida flaveſcens; tuſſis ſicca inanis, nihil egerens; contentio alvina in regione umbilicali: ſuboriebantur anxietates circa præcordia, levior & ſubitanea Amauroſis; tum cœperunt intumeſcere manuum carpi, &, omnibus auctis ſymptomatibus, maculæ ex albo rubicundæ, veluti flagris cæſæ in brachiis animadvertebantur, evanidæ rurſus, abſente febricula cum ſudatiuncula. Ergo etiam alteram hujus prænotionis partem pulchre confirmavit ſtatus puellæ noſtræ. *Hinc præ-rubræ ſquammulæ & bullatæ. Quin etiam oborta ſudatiuncula vibicibus rubent obſiti, ut flagris cæſi.* Familiaris mixturæ anthelminticæ uſu perfecte ſanata eſt, alvo ſecuta ramentoſa.

 Quam

Quam ob rem feræ alvinæ videntur sufficere solæ, ad ea producenda mala, quæ statuerat Divus Senex & solertissimus Naturæ observator. Etenim ne Lienteriæ quidem indicia præbuerant quatuor modo allegati ægroti; postea vero tandem insecuta liquida alvus est, quæ medicamentorum ope inducebatur, nec antea exstiterat. Sanitate demum restitutâ, fluente eadem. Hinc si infantes aliquos, quondam rubentium exanthematum genere prehensos, quoad hanc symptomatum seriem, in animum revocem; non possum, quin conceptam ante teneam sublatentium ferarum intestinorum ideam; præsertim quoad efflorescendi modum in carpis & brachiis mediis & infimis: quos tamen minus exploratos hic non refero. —— Simile quid in rustico homine nuper admodum subolfeci; cardialgiâ nempe syncopticâ, obscuro cum dolore correptus is est, una cum manuum & faciei intumescentiâ, exanthematibus obscuro rubentibus & livescentibus perfusarum: pulsus evasit debilis, respiratio impedita; sanguis, incisa vena, non exiit, cum statim in animi deliquium inciderit æger. Purgans anthelminticum acre, quum ad se rediisset ipsi propinavi per epicrasin: abierunt manuum & faciei inflatio, cutisque scabrities, ceteraque recensita symptomata, ut commode se haberet altero die; nec ullam amplius conquestus sit molestiam. Alvum copiose deposuit. Cum vero fæcum examinandi defuit opportunitas, pro certo nolim nec hunc quidem alicui obtrudere casum. Intra paucos dies ad arva rediit.

Mere-

Meretur equidem exanthematum natura ab artis ſalutaris antiſtibus curatius attendi, ad certiorem eorundem diagnoſin efficiendam, ne ſanguis, quemadmodum ex altera parte peccatum eſt in exanthematibus fictitiis animatis (*x*), proh dolor! ex adverſo & nimis frequenter diatheſis phlogiſticæ accuſetur; dum, proximâ cauſſâ minus juſte debellatâ, ex æquo inſtitui curatio nequeat. —— Perſæpe in vermibus obſeſſis eveniunt, plane determinata, eorundemque propria ſymptomata, diſtincta ab aliorum genere, cum peſſimis aliquando indiciis, pro ut mitiorem aut graviorem cauſſam habent: perrarò quid boni in facie portendunt, quæ fere ſemper cum acutis ſuſpecta habui, plerumque & interaneorum præſagium.

Malignarum interim petechiarum in verminantibus diagnoſin jam exhibuit accuratus in hiſce & ſæpe laudatus BIANCHINI (*y*); unde ſimul adparuit ſimilitudinem quandam inter hæc, & quæ prodidit ruſticus noſter, intercedere. *In febre maligna verminoſæ indolis, æger*, inquit, *ſubito concidit ſtupidus, ſomnolentus, viribus proſtratis, internaque anxietate agitatus, cum inſigni arteriarum temporalium pulſatione. Febris vel ſtatim invadit vehemens & quotidie increſcens, afficiens illicò caput, dein pectus & demum imam quoque alvum; vel tertio quartove ſaltem die manifeſtatur, ſine inſigniore pulſus mutatione; vel variis temporibus recurrit, plerumque ſine periodo & ordine. Pete-*

(*x*) Vide Supra §. II. not. f.
(*y*) *Lib. citato.* pag. 199 & ſeqq.

Petechiæ erumpunt modo primo morbi die, modo antequam febris invaſerit, modo ſub augmentum febris, modoque ultimo demum morbi tempore: ubi diſtinctæ ſunt lividæ ſparſæ, ubi confluentes parvulæ rubicundæ, nec unquam utcunque tumidæ exanthemata ſunt. Facies mutatur ſtatim, ſæpiusque tantum rubicundis ſpargitur, interdum tota rubore ſublivido ſuffunditur, ſed brevi fit ſquallida & cadaveracea: oculi concavi, turbati atque tumidi ſunt, nec ſomnum captanti ægroto clauduntur, cincti halone livido. Aeger ſæpius gluttit & ſingultit, & naſum fricat atque ſcalpit. Sicca etiam infeſtatur tuſſicula. Totum ſubinde corpus levibus & tranſitoriis quatitur convulſionibus, quæ cum moleſta capillorum & unguium pedis formicatione incipientes, ſubito per muſculos omnes diffunduntur, & dein evaneſcit. Reſpiratio moleſta eſt, atque anguſta; halitusque ægri ingratiſſimum acidum odorem ſpargit. Somnum perturbant & interrumpunt tremores, unde ſtridor dentium frequens. Pulſus increſcente morbo variabilis ſemper eſt & irregularis; modo enim æqualis obſervatur, modo intermittens, nunc celer plenus & fortis, nunc languidus, mollis lentus; variis denique diei horis mutatur & turbatur, novasque ſemper inexſpectatas febris exacerbationes minatur; interdum omnino intermittit ſeu vix percipi poteſt. Accedunt non raro tormina, ventris dolor, turba ventriculi, nauſea, foetor oris, vomitus, immo interdum orexis. In labiis, lingua & palato erumpunt puſtulæ atque bullulæ crebræ, vel ſordes incruſtant albæ tenaces. Sputa larga atque frequentia, ut morbus ptyalyſmum fere excitaſſe videatur. Tandem per vomitum aut alvum prodeunt vermes.

Om-

Omnium denique pessimæ fuerunt, quas in supra recensita Epidemia observavit GEOFFROY, quæ horrendum in modum sæviit. Cum ad omnium manus, non sit insigne illud opus, en paucis historiam: *Il regna pendant quelque tems dans les vilages des environs de Toul une maladie contagieuse, dont on étoit enlevé en* 2 *ou* 3 *jours au plus. C'etoit une pourpre si violent, que la peau tomboit entierement a presque tous ceux, qui en pouvoient rechapper. L'infection des cadavres étoit si grande, que personne n'en vouloit ouvrir, & que plusieurs moururent, pour les avoir portés en terre*, C'ETOIT QUE CEUX QUI ETOIENT SECOURIS PROMPTEMENT RENDOIENT DES VERS, APRES QUOI LE POUPRE PAROISSOIT (z).

V. Manifestæ dein apparuerunt squammulæ in Matrona nobili, cujus historiam infra (*a*) tradidi, quæ simili modo lumbricos teretes exclusit.

VI. Ingentem manuum & pedum dolorosam inflationem hisce diebus tractavi in rustica cum memoratis exanthematibus, sudatiuncula & molesta præcordiorum anxietate, capitisque gravedine; emissis lumbricis putridis teretibus, sanitatem adhibitis meris anthelminticis adepta est. Quod hodie perquam frequens observatur.

VII. Semel tantum articulos tumefactos ab Ascaridibus animadverti; sed in hoc ipso puero lumbrici teretes excreti quoque sunt.

VIII.

(z) *Acad. R. de Scienc.* 1715. pag. 14. 4o.

(*a*) Hujus Sect. *ægr. decim.* Schol. & cap. III. Sect. III. E. ægrot. quint.

VIII. Ill. denique VAN ZWIETEN (*b*) in œnopola quodam vermibus laborante, procul dubio teretibus, cum Ascarides forsan speciatim expressisset, totam horum symptomatum seriem, eodem ordine, quo, ab HIPPOCRATE recensentur, quam maxime miratus vidit: atque ego perquam gaudebam, Ill. hunc virum pulcherrimam hanc observationem, ipso facto confirmatam, attulisse.

Diagnosis verminosorum exanthematum ex Coaca Prænotione apparet manifesta. Sæpe tamen contingit, ut non admodum perspicue compareant memorata exanthemata; sed modo animadvertatur articulorum intumescentia. Ex oculorum tamen, linguæ atque urinæ inspectione, facile ejusmodi malum, ab alia caussa oriundum, dignoscitur. Quin præcordiorum molestia, ab umbilicali regione proficiscens, in alio exanthematum genere talem originem, qualem sub animata potentia fere semper habet, non ducit.

Redeo ad Lienteriam, unde sensim deflexerat sermo. Si ad lienteriam sensu HIPPOCRATIS proprie respiciamus, non semper alvi lævitas requiritur; quemadmodum semet ex aliis consonis locis explicuit DURETUS, inquiens, *Atque ut jam cœpi attingere; duplex in alvo caussa est, unde lienteria vulgo dicta nascitur. Una quidem frustratio coctionis; altera vero præceps egestio. Illic manet cruditas: hic contineri nihil potest, quidquid assumtum est; quin imperfectum reddatur. Atque utriusque caussæ communis est coctionis privatio: sed frustrationis per se; præcipitis vero egestio per se ex eventu. Commune est etiam utrius-*

(*b*) *Comm.* Tom. IV. §. 1364. pag. 715.

utriusque alvum ferri incoctis & crudis. Ad hanc Lienteriæ speciem refert prægrandem ventriculi intemperiem frigidam. —— Famem caninam βουλιμον, cujus caussa vermes sæpissime existunt (*c*). Verumtamen leviores tantum ventriculi cruditates in ægrotis nostris fuerunt, ut de appetitu auctiori vix quererentur. Adeoque patet, quæ de lientericis præcepit Cous Observator, etiam de feris alvinis citra lienteriam obtinere.

COROLLARIA.

I. Constat itaque, Lumbricos teretes & Ascarides eodem modo articulorum intumescentiam inducere cum peculiari exanthematum genere, aliquando & citra lienteriam, perinde ac cum eadem junctos.

II. Dari exanthemata peculiaria verminosa, distincta ab aliis, seu ab alia caussâ animatâ (*d*) congenita, suique generis essentialia.

III. Simili modo oriri petechias a vermibus, cum pessimis symptomatibus, quæ satis cito fiunt malignæ & necantes, nisi prospiciatur, alvum in principio morbi copiose respondere.

ÆGROTUS SEXTUS.

Robusta virago, febre biliosa tenebatur intermit-

(*c*) *In coacas prænotiones Comm.* pag. 336.

(*d*) Quanquam exanthemata fictitia ex Pathologia genuina repurgata meritò exulant, quæ tamen vera fide animalculis ortum debere inventa sunt (conf. MEAD *monita & præcepta medica* cap. XIII.), religiose protegenda.

mittente, ad quam auferendam ſum arceſſitus. Abſente nauſea, ſaburræ bilioſæ evacuandæ gratiâ, Rheum cum ſale polychreſto præſcripſi, ex vehiculo diſcutiente: Apozema reſolvens cum ſale medio & ſyr. e 5. rad. ut viſcerum obſtrictiones, autumnales febres plerumque comitantes, reſerarem, datum altero die, ceterum nihil mali ſuſpicans. Eodem vero die, tempore pomeridiano petierunt me, ægrotam noſtram ex vita abituram autumantes, nec immerito. Dolore equidem intenſiſſimo ſe intus vehementer cruciari, ejulatu omnibus patefaciebat; ſubinde frigidus manavit ſudor; extrema frigida; animi deliquium; pulſus inæqualis debilis, modo incitatus. Ex cruciatûs vehementiâ cum mihi de vermibus naſceretur ſuſpicio, olei lini unc. ſex cum ſyr. Diacod. unc. I. per vices exhibui, quo, dolore ablato, ſenſim ad ſe rediit noſtra. Et quum nulla, præter animatam potentiam morbificam, manifeſta cauſſa appareret, Mixtura ſalina cum Rheo propinata eſt, unde 3, 4^{ve} lumbricos teretes excluſit altero die. Omnem deinceps ad expellendos vermes dirigens indicationem curatoriam, Salibus præſertim mediis, Mellitis, Graveolentibus demum ex Aſæ fœtidæ, me ſanaturum noſtram credidi. Sed, inopinato 18°. acceſſus mei & 21°. incepti morbi, novus incidit doloris inſultus, isque tam vehemens ut prior vix noſtram attigiſſe videretur. Omnibus nimirum præter modum auctis, animo deficit continuo, ſubinde corpus quaquaverſum jactat; manibus ſuis abdomen premit, feritque; dum ædes ſuas & vicinas ejulatu explet. Et quamvis dolor regionem coli potiſſimum deſcendentem occupare videbatur, propter corporis tamen tum inquietudinem, tum geſticulationem, clysmatis injiciendi nulla aderat oppor-

opportunitas. Quamobrem abdomini imponebatur cataplasma & poſt datam mixturam oleoſam ſedatus eſt dolor. Altero autem die mixturam familiarem anthelminticam, qua unicum modo lumbricum teretem exoneravit, aſſumſit. De torminibus alvinis poſtea non amplius queſta eſt; contrà doloroſa pectoris obpreſſio ſupervenit, quod in conſtitutione epidemica noſtra, poſt fugatos vermes, ſæpe contigit obſervare: eaque ſimplici medicamento depulſâ, pharmacis ſana valedixit.

ÆGROTUS SEPTIMUS.

Domina quædam, conſtitutionis ſanguineæ, vitâque utens ſedentaria, febre afficiebatur hæmitriteæ indolis, moleſtâ, gravi diuque protractâ; quæ, ratione habita paroxysmi febris primarii, erat regularis, minime vero quod ad ſymptomata. Anxietates præcordiorum patiebatur graves & ſpaſticas, aliquando ſyncopticas, cum ſudore frigido, præſertim extremorum, ſub novæ febris acceſſionem, quæ diu ſummo mane invaſerat, aliis novis reverſionibus. Sub veſperam vel & ante meridiem redibat, ita ut triplici impetu noſtram adgrederetur. Urina coloris erat rubicundi, flammea, tempore tamen hypoſtatica; lingua humida, lata, inciſa, progreſſu morbi ſubſicca, neutiquam vero arida, aut fuſca. Septimo ab initio catarrhalis naturam induit febris, ſummamque vim in pectus convertit; licet ſputa pauca ſpumoſa prodirent, neque moleſta admodum eſſet tuſſis, in ſpaſticis potiſſimum conſtrictionibus conſiſtens. Vermes tandem in ſcenam prodeunt; vivo excreto terete cum ramentis copioſis. Diu cum verminoſis

ſis ſymptomatibus conflictata noſtra, moleſtam viſcerum labefactationem trimeſtri ſpatio ſuſtinuit; Martialibus demum poſt multa uſitata pharmaca, emiſſis identidem lumbricis, ſanitatem adepta. —— Poſtea vero, perſpecta Lumbricorum ingente copia, ſponte ſua vulgare medicamentum anthelminticum, ex ſemine nimirum Santonico cum Melle aſſumſit, quô de tempore in tempus lumbricos teretes copioſe exoneravit; & cum ante eſſet multum emaciata, paullo poſt evaſit obeſa atque ventricoſa adeo, ut gravidam aliquot menſium jam a triennio mentita ſit, ſæpeque a mulierculis pro tali ſalutata, etiamſi catamenia ſuo tempore rite fluerent.

E P I C R I S I S.

Ejusmodi febres alternantes omnium pertinaciſſimas eſſe, plus vice ſimplici expertus ſum; raròque ex voto cedere vel optima medendi via, niſi primarum viarum conſtitutio firmata atque in integrum reſtituta ſit. Sæpe quoque ita invadere ſolent, ut altera frigore, eoque abſente, quod mali ſæpe ominis, accedat altera. Haud ita tamen diu primum juvencæ, tali febri, cum immani præcordiorum angore ſub paroxysmum, quatuordecim dierum ſpatio, favente DEO, auxilium tuli, ſanitate in integrum reſtituta. Superatis præcordiorum anxietatibus, per omnem morbi decurſum, inter febriles exacerbationes, alvus ſervata laxa eſt; unde nulla alia medela, quam uncia circiter Eſſentiæ Stomachicæ amaræ indiguerit. Purgantia vero Matronæ noſtræ faſtidio ſemper erant (*e*).

ÆGRO-

(*e*) De Febribus hiſce inter alios confer FOREST. Lib. V. *de Febrib. compoſitis* obſ. XIII & XIV. cum Schol.

ÆGROTUS OCTAVUS.

Ad finem Novembris 1761. acceſſi ad hominem nauticum, robuſtum, exercitatum, quem febris non admodum valida prehenderat, intermittens, dein continua facta. Dolor capitis aderat ingens; vigiliæ pertinaces; lingua ſubfuſca, lata humida, in margine rubicunda: urina a principio non multum a naturali diverſa, poſtea flammea: de obſcuro ventris dolore queſtus eſt, ex quo animatæ cauſſæ mihi incidit ſuſpicio. Mixtura conſueta anthelmintica dabatur in initio fruſtra: 4°. anxietates magis ac magis increbuerunt cum ingente virium proſtratione, ut parum auxilii tulerint promptiſſima alias antiſpasmodica & protracta in intervallis purgantia ſine fructu, fuerint ingeſta. Quamobrem unanimi præcipuorum Medicorum conſenſu, opiatorum, purgantibus jungendorum, probatam viam inceſſi; & formulam ſequentem in tanta debilitate præſcripſi: ℞. Liq. anod. miner. Hoffmanni drach. ij. Laud. liquid. Sydenhami drachm. dimid. Aq. ſt. Menthæ unc. j. Naphæ unc. med. M. ut tertiam hauſtus partem cum quaque pilula, quam Moſchus ingrediebatur, ſumeret quâvis horâ. Dolor quidem ab eorum uſu mitigatus eſt; at vigiliæ tamen æque ac ante fuerunt pertinaces, noctesque inſomnes. Alvus ex iterato purgante adſtricta, nullus tamen hactenus vomitus. 5°. Simili indicationi inſiſtendo eccoproticis, ne draſticis nocerem, perrexi; ſed pari ac ante modo renuit alvus. 6°. Potionem paullo fortiorem ex Senna, Tamarindis, Sale polychreſto & Syr. Cichorei cum Rheo, ſcopo largiori vehiculo inteſti-

na

na incitandi, in usum vocavi. Increvit vero ab eadem vix ingesta dolor; atque cum vomitu magno & angoris incremento, assumta protinus reddidit; negans amplius assumere Medicamenta. Verumtamen precibus, quibus morbi pertinaciam, summumque in quo versabatur periculum, ostendebam, commotus, clysma fortiter purgans atque discutiens injici demum sibi concessit, quo vero dejectiuncula tantum facta, dolor pro tempore sedatus, iterum gravior factus est. Assumto autem pristino anodyno, parumper iterum sedatus est; & purgans alterum felici adeo eventu ingessit, ut alvum dejecerit copiose, vermemque teretem vivum, hostem mordacem, excreverit. Levatus mirifice noster sequente nocte somno placidissimo conquievit. Reliqua autem curatio, Emulsionibus analepticis, cortice Peruviano, paucisque aliis, cum corporis refectioni, tum putridi magmatis expulsioni, conducentibus, intra trium septimanarum a principio spatium, ex sententia fuit peracta.

E p i c r i s i s.

Quamvis acriter vexaret dolor, pulsus tamen non admodum incitatus est, in tam robusto homine. Quam ob rem evacuatoriæ indicationi audacter insistere potui. Per clysmata fateor, coactam alvum promptius solvissem, nisi vulgus ea vehementer reformidaret. Neque minus felicem eventum forsan promisissent oleosa, ad summam intestinorum siccitatem tollendam, qua ceterum vel aptissima pharmaca reddi inefficia, plane postea didici. Vomitui autem vacare ægrotum, necesse est.

SCHO-

S C H O L I O N.

Vermibus obſeſſis, *dura*, quam *fuſa* alvus, frequentior adeſt. Quodſi vero vermes jam nido remoti inteſtina perreptant, colicos quoque dum efficiunt dolores, præſertim in chronicis, liquidam cient. Sæpe ad paſſiones iliacas ejusmodi coacta alvus facit, vel ſaltem proxime ad eas accedit, ut ſpuriæ quaſi inteſtinorum interceptiones ſint. —— Verum quidem eſt, quod ægrotantes vomitus non ſemper, niſi malo aliquamdiu protracto, multo minus ſtercoraceos ſuſtineant. Solent potius, lentam admodum fœtidam mucidamque materiem copioſe evomere (*f*). Aſt ſcire quoque oportet, illud, quod proprie *Ileon* efficit, potiſſimum in eo conſiſtere, *ut tenuia inteſtina nihil deorſum deſcendere ſinant* (*g*), cum pro majore interceptionis a ventriculo diſtantiâ rejectam materiem differre, neceſſe eſt; neque fœculentam ſemper emitti. Quadam igitur limitatione in Pathologiâ animatâ CÆLII AURELIANI verba videntur accipienda, quibus differentiam Paſſionis iliacæ a vermibus cum aliis expoſuit, inquiens, *ab iliacis diſcernuntur, qui lumbricorum tormine vexantur, ſiquidem neque ventris officium in iis abſtinetur, & pallor antecedit, aut contra conſuetudinem jacent proni, vel dormiunt cum gemitu & irrationabili excla-*

(*f*) Confer. hujus ſect. ægr. XVII. & cap. III. ſect. III. α. ægr. ſec.

(*g*) Conf. N. PISON. *de cognoſc. & curand. Morb.* Lib. III. cap. XXI. pag. 139.

exclamatione (*h*). Hæc autem ſpectant *colicam verminoſam*, in qua crebrò illud cernitur, maximopere in chronica ventris affectione (*i*); raro tamen in *Ileo* (*k*), de quo hic ſermo eſt (*l*).

Ceterum ab animata potentia frequentes paſſiones Iliacas obſervatas eſſe, inter alios videre licet apud Bonetum (*m*), F. Hoffmannum (*n*) aliosque. Egregius hicce vir, ut verbo de verminoſo Ileo moneam, ſopitis dolore & turbis, Decoctum Mercurii crudi perquam commendat. Ego vero in chronica paſſione iliaca, memorato Decocto incaſſum adhibito, multisque aliis fruſtra datis, potentius nihil ipſo Elixire Vitrioli compertum habui, absque auxilio in modo relata hiſtoria adhibito (*o*). Ecquis autem ignoret Medicamentorum in eodem morbo agendorum diverſitatem? In ruſtico iliaco, irrita diu factâ Medicinâ, lac tepidum dulce, ano injectum, omnia ſuſtulit. Cognitâ enim magnâ Acidorum Mi-

(*h*) *Morb. Chronic.* Lib. IV. cap. VIII. pag. 535. n°. 110.

(*i*) Conf. cap. III. ſect. III. *α.* *ægrot. prim.*

(*k*) Aliquando tamen, quoad ventris fluorem, in inteſtinorum verminoſa invaginatione, id poſſe evenire, perſequi licet in *Comm. de reb. geſtis* &c. Vol. XII. part. I. pag. 153.

(*l*) Differentiam inter *Colicam* & *Ileum* tyrones Medici apud F. Hoffmann. Tom. II. ſect. II. cap. IV. pag. 284. cum Cornelii Celsi Lib. IV. cap. XIII. pag. 221. diſtincte ſapiant.

(*m*) Lib. III. ſect. XIV. obſ. XI. XII. pag. 268. & 269.

(*n*) Tom. II. ſect. II. cap. IV. §. X. pag. 276. eodemque capite obſ. VII. pag. 284. & *Oper. Supplem.* II. part. II. pag. 169. *Diſſert. de Paſſione Iliaca.* §. XIII.

(*o*) Cap. III. ſect. III. *α.* *ægrot. ſecund.*

Mineralium ſtranguriæ reſerandæ vi, haud dubitat quisquam, ſimilem virtutem Anthelminticam in inteſtinorum ſpaſtica contractione, diluto Elixiri Vitrioli acido aliquando tribuere.

ÆGROTUS NONUS.

Horreſco, dum memoria repeto caſum miſerrimi, ejusque robuſti atque vegeti hominis, natione Helveti. Hic quidem vernali nauſea corripiebatur, una cum febre, non magni ut videbatur momenti.

Ad auxilium ejus advocatus, nihil maligni ſuſpicans, moleſtæ nauſeæ ſubigendæ gratiâ conſuetam mixturam Riverii in ſimilibus caſibus ſpectatæ virtutis præſcripſi.

Altero vero die in vomitus æruginoſos jam vertebatur nauſea. Omnibus vermes indicantibus, febreque parum urgente, alteram mixturam propinavi, compoſitam ex pulveris anthelmintici ſtork drachm. j. cum ſemiſſe Oxymell. Scillitic. unc. j. cum aq. Meliſſæ unc. VI. quo ſurſum deorſumque, ſi vellent, exirent lumbrici. Sed quid evenit? Horâ nimirum pomeridiana tertia, accelerato curſu nuncius advenit, adeſſem rogans illico homini moribundo. Perterrefactus recta me ad illum contuli & cum de actis ejus quærerem, referunt, noſtrum continuo vomuiſſe æruginoſam materiem bilemque ſinceram; etiamſi parum, vel nihil, ex dato medicamento aſſumſiſſet; admodumque debilitatum incidiſſe in delirium, & omnia, quæ manifeſtabantur, dum lecto adfuiſſem, veluti quodam ſucceſſionis ordine accidiſſe. —— En! facies erat livida, perinde ac ſi laqueo conſtrictum eſſet

collum, morteque inſtante nigreſcens, præſertim labia. Os tetanice claudebatur, ut minime poſſet aperiri; hinc deglutionis defectus; collum tumidum inflatum; pulſus admodum debilis, intermittens tremulus; ſudor frigidus, modo univerſum corpus, modo pectus, modo caput petens; Motus convulſivi tam artuum ſuperiorum, quam inferiorum, tranſitorii, maxime pedis dextri, fereque perpetuo conſpicui; oculi triſtes renitentes aperti. —— Hora autem ſexta, die ſecundo, timens & tremens, nec mentis prorſus impos, ad acutiſſimi hujus ſymptomatis vitæque ſuæ miſerrimæ ultimum devenit terminum. —— Clysma acre vermibus oppoſitum ano injici curaveram, dum vita ſupererat, absque tamen operato auxilio; & propter ingentem ſtrangulationem, venam jugularem ut aperiret Chirurgus, etiam atque etiam ſed incaſſum petii. Spiritus quoque volatiles æque minus, quam Raphani ruſticani raſi, magnâ copiâ nuchæ impoſiti, quidquam levaminis, aut mutationis attulerunt, omnibus ad mortem properantibus.

S c h o l i o n.

Apprime conſentaneus Gregorii Horstii apud F. Hoffmann. (*p*) recenſendus locus hic eſt, ubi tradit, filiam 14 annorum a vermibus non tantum ingentem colli conſtrictionem, quaſi laqueo injecto fauces præcludente, cum imminente ſuffocatione; ſed utriusque tum brachii, tum cruris, motum convulſivum fuiſſe perpeſſam. Ipſe

(*p*) *M. R. S.* Tom. I. part. II. cap. XI. *de rebus non venenatis, ſed inſtar veneni agentibus.* §. III. ſchol. pag. 235.

Ipſe quoque Cel. HOFFMANNUS in faucibus agnovit ſtrangulationem, inque facie colorem lividum (*q*), ut dubium non ſit, quin noſter epidemico morbo verminoſo exſtinctus ſit.

ÆGROTUS DECIMUS.

Vidua quadraginta annorum & quinque non nihil ab hæmorrhagiâ uterinâ binarum jam ſeptimanarum ſpatio paſſâ, febricitans, duodecimo menſis Junii 1762. ut ipſi mederer, moleſtumque hunc fluxum cohibèrem, a me petiit. Mixturam ſecundum mentem WAGNERI (*r*), tanquam egregium medicamentum in hæmorrhagiis ſpontaneis, non minus uterinis, quam hæmopthyſi habituali, ſtatim ipſi propinavi. Quo tamen medicamento, cum fluxus non ſiſteretur & noſtra evaderet antea debilior, corticis Peruviani majorem quantitatem, cum Laudani liquidi Sydenhami guttis aliquot, mixturæ addidi. Parcior quidem mutatæ mixturæ uſu cum ſanguinis eſſet rivus altero die, ſub veſperâ verò anxietates motæ ſunt enormes adeo, ut actum de illa fore, ego quidem crederem. Attamen verò omnibus rite perpenſis, & ægre tribui poſſe turbas tam violentas cauſſæ recenſitæ, viſoque, hæmorrhagiam multo fuiſſe imminutam, neque corpus hactenus adeo eſſe exhauſtum, ut ſecundum effatum HIPPOCRATIS (*s*), *convulſiones ex inanitione contingere potuiſſent*, merito mihi nata ſuſpi-

(*q*) *Ibidem loci.* pag. 236. conf. & *oper. Supplem.* II. pag. 665. *Diſſ. de Anthelminticis.* §. IX.

(*r*) Conf. egregiam hujus Diſſertationem ACT. PHYS. MED. Vol. VII. pag. 154. 3. Append.

(*s*) *Aphor.* 39. ſect. VI.

ſuſpicio de vermibus eſt. Valdeque mihi probabile viſum eſt, turbatos a pulvere abſorbente WEDELII, cui ingreditur vitriolum martis, aliaque ſcabra terreſtria, fuiſſe lumbricos. Quare frigidum ægri conditionem perpendens, anxietatum ſimul & vermium habita ratione, Elæoſaccharum ex ol. animal. Dippelii guttis XX. per vices devorare noſtram juſſi: quo diſſipata parumper anxietate, familiarem mixturam vermibus oppoſitam aſſumſit; unde melius ſe habuit quarto acceſſionis die. Circa vero veſperam ſpasmi & præcordiorum anxietates rurſus intendebantur, & febris prius tertianarum anomala, dein facta continua, accenſaque denuo magis altero mane, prætermodum anxietates auxit, ut vix cum prioribus eſſent comparandæ, & duobus integris diebus, omni medelæ genere in iisdem ſubigendis fuerim occupatus. Quin necdum prorſus ſedatus ſocios ſe addiderunt colicus dolor & iſchiadicus pertinaciſſimus; ſævientibus iterum ſexto vehementer circa veſperam convulſionibus, ut animo fere perpetuo linqueret; ſubque intervallis ædes præ dolore, dira exclamatione explens; quod horrendum prorſus adſpectum præ ſe tulit. In quo anguſto rerum ſtatu, multis fruſtra uſitatis acre clyſma ex Sennæ foliis unc. j. totidemque Nitri & Syr. cichorei cum Rheo, ut ſubito operaret, tanto cum ſucceſſu injici curavi, ut terribilia memorata ſymptomata, vermibus ſub alvum liquidam exeuntibus, ſublata magna ex parte ſunt, neque poſtea adeo in conſpectum prodierint. Dein vero in febre moderanda reliquisque lumbricis expellendis verſatus fui. Exhauſtum laceſſitumque noſtræ corpus Emulſionibus analepticis, corticeque Peruviano identidem refocillavi. Manente dolore iſchia-

iſchiadico, qui pridie minore vi adflixerat, tantâ nunc prehendit eam 22°. & decimo vocationis noſtræ, ut immaniter de illo vociferaretur. Hoc autem inunctione penetrante aromatica diſſipato, nova rurſus oborta anxietas prænuncia fuit inſtantium aphtharum, continuo renaſcentium. Quæ tamen & omnia affinia, minime ex levioribus mala, improbo labore, ſummo annuente numine, auferebantur; & noſtra proximi menſis Julii die nono, ultimum aſſumſit medicamentum confortans.

S C H O L I O N.

Num *Aphthæ* quid cum vermibus negotium ſit, infra latius expendetur (*t*). An *hæmorrhagia uterina?* Quamvis de illo abſolute ſtatuere nolim, videntur tamen admodum probabilia & gravia quidem adduci poſſe huc. Inter enim Hæmorrhagias ſpontaneas dictas, perquam frequens illa eſt, quæ naribus accidit, plerumque a vermibus oriunda (*u*). Quin ani tubercula, & hæmorrhoides tam cæcæ, quam apertæ, familiares ſunt vermibus obſeſſis; veluti ex obſervatione UNSERI (*v*), VAN PHELSUM (*w*), propriaque crebre obvia, certò conſtitit. Et ſi analogice procedere venia detur, quis, quæſo, non aſſentietur, rubores faciei, ſputaque, in Pleuritide verminoſa, cruenta, non debere vaſorum *anaſtomoſi* ac *euriſmati*, ab irruente ſanguine,

(*t*) Conf. cap. III. ſect. III. ∂. *ægrot. decim.*

(*u*) Cap. III. ſect. IV. *ægrot. nonus.* & cap. III. ſect. III. *α. ægrot. ſext.* & *ſeptim.*

(*v*) *Dubia ad* UNZERI *obſ. de Tænia ad calcem Teut. Herpetolog.* J. T. KLEIN.

(*w*) *Natuurkundige Verhandeling over de Wormen.* pag. 184.

ne, in vitali principio donatas arterias, nimia nervorum a vermibus irritatione inductis? Semel atque iterum menstruationis phænomena, in infante octo annos nata, abdominis illinitione anthelminticâ sublata, animadverti. Præterea quasdam postea tractavi feminas, quæ copiosis hæmorrhagiis cum narium tum uteri ciebantur, ut omni ferme binarum triumve septimanarum spatio præter modum plurimum menstruarent: & quum animata potentia morbifica plerumque lucide appareret, depulsis tetris animalculis hisce, ex lege naturæ catameniis gaudebant. Quid multis opus est? dum intimum uterum inter & intestina viget commercium, quo illatis turbis innocue invicem non ferunt (x); & Abortum sæpe a vermibus, & oppido raró sine prævia hæmorrhagia, evenire, apud auctores fide dignos videre est (y), siquidem ego haud ita pridem in Nobili Matrona animadverterim. Bis hæc tantam patiebatur anxietatem & syncopen, adeo gravem, ut ejus vitæ metuerim, brevi dein, hæmorrhagiâ validis comitata convulsionibus, quâ summo rursus in periculo versabatur, prægressa, decem circiter septimanarum, involucris suis inclusum, enitebatur embryon. Post dies dein aliquot Lumbricos teretes tres quatuorve dejecit semiputridos, quo facto, brevi convaluit. Altera marita, prægressis quoque magnis anxietatibus, abortum fecit inter copiosos uterinos fluxus. Et nuper admodum idem, ab Ascaridibus, in Illustri Matrona, quibus ingenti copiâ per-

(x) Vide quæ collegit H. J. REGA *de Sympatia*, cap. XIV. præsertim pag. 198–201.

(y) F. HOFFMANN. *De Animalibus H. C. infest. hospit.* cap. III. §. X. *Oper. Supplem.* II. part. II. pag. 598.

perlongum tempus fuerat obſeſſa, ob quos moleſtas cardialgias perpeſſa ſæpe eſt, & inter alia ſymptomata, frequentes narium hæmorrhagias; obſervare dabatur: ſpatio autem quinque menſium, ter partus, a ſex ad decem hebdomadas, copioſiori fluxu conſuetô, elidebatur.

Quoniam & hæmorrhagiæ plerumque ſpasmis originem debent, vermesque inter hos potenter agunt, dubium non eſt, quin ſpontaneæ ejusmodi evacuationes ab animata potentia contingant.

ÆGROTUS DECIMUS PRIMUS.

Duodecimo menſis Julii 1762. ad vicinum ludi magiſtrum, quem febris prehendit acuta hepatica, acceſſor. Ex morbi diagnoſi, more inſtitutoque artis, ſanguis mittebatur, & Apozemata reſolventia ad uſque morbi diem quintum, quo ex oculis renitentibus pupillis amplioribus, & ſalivæ majore proritatione, ſuſpicio de vermibus conſtitit, ipſi fuerunt exhibita. Datis verò nunc Rhabarbarinis, incidentibusque aliis, Lumbricos aliquot excrevit, magno cum doloris & anxietatis levamine; unde & urinâ ſeptimo morbi die hypoſtaticâ. Attamen verò haud integre judicatus noſter apparuit; nam morbi typus de integro mutatus eſt, cum omnia quam maxime intenderentur ſymptomata: etenim complicatio magna contigit, tum doloris, tum præcordiorum anxietates; totamque color ictericus infecit cutim: magna tamen indigebatur medela vermium, qui alvo putridâ ramentoſâque nunc expulſi ſunt. Manente hepatis obſtructione, ex malo ſublatente hypochondriaco inveterato, & pedibus œdematoſis, ulceribus in præſenti obſitis, deſiit a remediis 29. ejusdem

 menſis,

mensis, cum aptis resolventibus integram curam absolvere animatus essem. Pedes vero œdematosi, quoniam magis idque molestè ipsi intumescere cœperint, rediit vicesimo proximi mensis Augusti. Medicato nunc amaricante vino cum rob Juniperi in usum vocato, firmiorem demum adeptus sanitatem est.

Ægrotus Decimus Secundus.

Similem ferme morbum curavi in rustico homine, qui crebro subictericus, diuque vixerat valetudinarius, & nuper etiam Anginam inflammatoriam passus fuerat: in præsenti vero pariter levi gutturis affectione prehensus, quæ aptis auxiliis brevi sedata fuit. Ingrediebatur morbus sub facie hepatitidis, qua corripiebatur jam altero die: subinde vapores (sit verbo venia) & consensus fauces petiverunt; qui tamen, & jecinoris affectio resolventibus salibus mediis ex decoctis resolventibus Mannatis, Rhabarbarinisque, brevi fugati sunt. Paulo vero post acutiori hepatis morbo affligebatur, dolore nimirum & anxietate circa præcordia aliquando admodum validis comitata. Curiosus autem noster quam ob caussam repente sæpe angina & ictero afficeretur; ex anamnæsi & in præsenti, ex oculis renitentibus pupillisque dilatatis, ipsi inquirenti respondi, nullum mihi dubium esse, quin Lumbrici in caussâ sint. Quo audito, nullum amplius, quæ ipsi propinaveram, assumere voluit medicamentum, autumans, se probatissima cognoscere pharmaca, vermibus quidem opposita, perinde ac Medicus experientissimus. Postea intellexi, arcana ejus fuisse semen Plantaginis rotundo folio, inter Medicamenta Anthel-

thelmintica minime rejiciendum, quod tamen ab ipſo diu quidem adhibitum ſolatium non adtulit. Quò tandem, vi morbi coactus, manus dedit victas. Iterumque medicamenta a me expetens, fortioribus incidentibus & purgantibus aſſumtis, Lumbricum integrum, pituitam multam, ramentaque copioſa quotidie excrevit, aſſertam veritatem perſpiciens. Abiit icterus, rediitque crebrè perquam angina & jecoris affectio, ut morbus catarrhalis febris faciem tandem induens, in hyemem usque perduraverit. Hâc, Pleuritide ſæva in latere dextro, cum ingenti dolore in regione hepatica, lipothymia, ſyncope, ſummaque virium proſtratione, correptus eſt. Emiſſis vero iterum Lumbricis aliquot teretibus, tandem e ſummo periculo, & ab infeſtiſſimis hoſpitibus evaſit, ut in præſens usque tempus integerrima ſanitate gaviſus ſit.

SCHOLION.

Nunquid aliquando ex vermibus *Angina?* Ex mea ſæpe repetita obſervatione fidem huic derogare vix audeo. Matrona nobilis Niveldia apud FORESTUM (z), quæ febri lenta mali moris, peſtilentem imitante, ultra duos menſes laboraverat, hujus quoque exemplum præbet. Similiter apparet in fratre ejus (*a*). Non me latet quonam in ſenſu eas reſpexerit; nimirum non ut exquiſitas anginas; ſed potius tanquam catarrhoſos affectus, aliquando pectus obſidentes (*b*). Cl. RAULIN (*c*) ſimili

(z) Lib. VI. obſ. VI. pag. 156.
(*a*) Lib. VI. obſ. II.
(*b*) *Eodem libro.* obſ. XXXVIII.
(*c*) *Obſervations de Medicine.* pag. 299.

ſimili modo egit de gutturis affectione, in Epidemiis 1748, 1749, 50 & 51. Quin earum recenſum inter morbos verminantium jam egit BENIVEVIUS (*d*). Immò attento mihi, liberoque a præjudicata opinione, animo pervolventi *Libros Epidemiorum* HIPPOCRATIS ſimile quid ibidem repeꝛiiſſe, ſæpius mihi viſum eſt.

ÆGROTUS DECIMUS TERTIUS.

Nauclerum prehendit febris intermittens, paroxyſmis aliquot invadens mitis; ad quartam vero acceſſionem, tantis revertebatur anxietatibus, ut in animi deliquium ceciderit. Arceſſitus, in præſentia inquiſivi & præterita; nec abſtinere potui, quo minus feras inteſtinorum cauſſam memoratorum haberem. Metu febris, quæ regularis erat ingreſſa, perturbandæ, præ fortioribus mitiora ſelegi antiſpaſmodica, quibus turbas debellare tentavi. Dato Spir. Mindereri cum guttis aliquot Laudani liquidi Sydenhami, anxietas abiit; lenioribus dein aſſumtis Rhabarbarinis, alvum depoſuit bilioſam, verminoſamque. Icterus nihilominus intenſa flavedine cutim totam tinxit altero die. Cumque ſpaſtice potius, quam ab alia cauſſâ oriundâ conſideraretur regius morbus, ſalinis reſolventibus, blandisque Emulſionibus, inſequente mixtura amara tonica, diſſipata feliciter adeo eſt, ut tota cura intra ſeptem dierum ſpatium claudebatur.

SCHOLION.

Icterum ab omni cauſſa, ductum choledochum occlu-

(*d*) Apud ALDROVANDUM, Lib. VI. *de Inſectis*. pag. 667.

occludendi donata facultate, induci poſſe; ideoque a vermibus, ſive per ſe, ſeu ſpaſtice emiſſarium illud coarctando, negabit nemo. Quin & vermes ſæpenumero communem ductum hepaticum obſidere, etiam in propatulo eſt (*e*). Attentiores inſuper Practici jam dudum obſervarunt, vermes in conſtitutionibus epidemicis Bilioſis præ ceteris graſſari: quamvis exinde non appareat, bilem æſtivis caloribus, aut copioſiori cutis excretione concentratiorem, vermibus magis favere; quam quod vermes jamdum inquilini, conſueta harum febrium adaugeant ſymptomata. Muco verò inteſtinali abundante, quâ bilis copioſior juſto ſecreta, enervatur, demum infeſtis illis favet; cum, debitâ energiâ Cyſticus Latex prædítus, eosdem fugat. Utrum tamen ſigna pathognomica, ſi quando ipſam hepatis ſubſtantiam, ſeu ductum communem vermes obſideant, acquiri poſſint, ſerior forſan dies deteget. Interim vero, quibus hoc morbo aliquamdiu affectis medicinam feci, præter conſueta vermium pathemata, defixo quodam in regione hypochondrii dextri dolore queſti ſunt. Sic anno 1763. Femina pertinaciſſimo ictero affecta curæ meæ commiſſa fuit. Urina fere nigra erat, aliquando ſaturatiſſimo rubore ſubſidente, dum de ferociſſimo dolore in regione hepatica queritabatur. Lumbricos quidem expulſi teretes robuſtos tres; ſed quodnam medicamentorum genus

(*e*) Confer. VAN ZWIETEN *Comm.* ad §. 916. Tom. III. pag. 89. BONETI *Sepulchr. Anatom.* Lib. III. ſect. XVIII. obſ. IV. pag. 334. & ſect. XXI. obſ. IV. §. 30. pag. 390. C. J. LANGII *oper. omn.* part. III. Diſp. XXII. §. VI. pag. 285. *Ephem. N. C.* in Indice W. A. KELLNERI. pag. 1322. & P. S. PALLAS *Diſſert.* pag. 5.

nus ſolventiſſimorum, reſerandorumque jecoris obſtructionem, noſtræ exhibuerim, operam & oleum perdidi. Urina pertinaciter manſit eadem, dolorque vexavit; donec tandem miſere occubuit. In hac dum ſupererat, pupillæ fuerunt admodum dilatatæ. Similiter animadvertebatur in prægreſſo ægroto X°. una cum oculis renitentibus, fixo manente dolore in regione hypochondrii dextri: idem denique evenit gravidæ ſubictericæ. (*f*).

Ægrotus Decimus Quartus.

Cerdo quidam febri laboravit tertianâ regulari, nihil inſoliti, præter pupillas oculorum præter modum dilatatas, præ ſe ferente. Conſtans mihi vermium indicatio, Anthelmintica ſola deſiderare videbatur. Pauca Terreſtria nupta laxantibus, hanc febrim, ter regulariter ingreſſam, diſſiparunt; & quarta vice cum reverteret, Lumbricum teretem vivum vomitu æger rejecit, & unum alterumve ano deorſum expulſit. Unius ſeptimanæ decurſu, ſanitati reſtitutus, ad opificium ſuum rediit.

Hujus indolis plurima tranſeo. Sufficit modo notaſſe, ut ſemel atque iterum ſupra jam monui, perſæpe febrim integre fuiſſe ſublatam, animatâ potentiâ fugatâ.

Alius prorſus naturæ eſt, quæ ſequitur narratio, quamvis uno eodemque tempore obſervata.

Ægro-

(*f*) Confer. & *Medical obſerv. and inquiries* vol. I. pag. 68. vel *Comment. de reb.* vol. VIII. part. II. pag. 301.

ÆGROTUS DECIMUS QUINTUS.

Matrona nobilis, ex urbe quam propinqua infulæ noftræ, tempus aliquod Matris fenioris vifendi abfumerat, apud quam ineunte Augufto 1762. febrili paroxyfmo prehenfa eft. Nihil mali fublatentis fufpicans, pilularum fibi familiarium, primarum viarum liberandarum gratiâ, affumfit aliquot. Quibus ex voto inducias non fecit, cum tertia vice, prioribus gravior febris rediit, quo tempore ad eam fum arceffitus. Naufeabundæ præfcripfi fp. Mindereri cum Laudano liquido Sydenhami, ut gutta hujus effet unica ad drachmam fingulam fpiritus, cujus ex hauftu tepido acciperet drachmam omni quadrante hora; difcutienti huic adjunctâ Mixturâ gratâ acidâ. *Septimo* morbi die, quarta novaque rurfus, mediâ jam nocte accedens febris, majoribus circa præcordia ciebatur anxietatibus, in vomitum, inque demum irritos vomendi conatus prorumpentibus; quibus agitata fuit adeo, ut in Syncopen ceciderit. In rationem horum inopinatorum fymptomatum inquirens, arteriarum pulfum, cum matutino tempore vifitandi cauffâ ei accederem, tetigi vacillantem, intermittentem, nunc debilem, regularem nunc; fimulque perfeverabant adhuc intolerabiles anxietates, irritique vomendi conatus, fubinde animi deliquium, ut ante minitantes; lingua quodammodo crufta albefcente obfeffa; pupillarum nulla dilatatio, quippe coarctatæ potius apparuerunt; urina coloris naturalis citrei; nihil biliofi, aut inflammatorii oftendens.

Quibus fedulo perpenfis, cum & major, protractior quoque & longioris confueto moræ effet anxie-

anxietas, haud etiam ad biliosam, aut inflammatoriam indolem, sed potius ad ferinam intestinorum caussam, similemque aliorum decumbentium revocandam, præ ceteris mihi adtendendum esse, persuasum habui. Cardialgia syncoptica, inanis vomitus, omniumque symptomatum pertinacia, in posterum hanc mihi confirmarunt opinionem. Quam ob rem, prioribus parum proficiens Elixir vitrioli vehiculo aquoso dilutum exhibui. Eodem tamen in statu manserunt omnia quam rebellia: vomitus modo compescebatur, & præter mucosi quid obsidentis œsophagum & fauces, nihil nunc rejecit ore nostra. Clysma resolvens & anthelminticum injectum, pariter ac Mixtura Riverii, sub actu effervescentiæ, iterum sævientibus anxietatibus, ingesta, auxilio fuerunt destituta. Omnibus hucusque inutiliter usitatis, propter ingentes spasticas constrictiones, & hypochondriorum molestam tensionem, venam incidendam, ad pejora avertenda mala, etiam atque etiam incassum proposui, cum chirurgus, cui præ ceteris fidebat, ad manus non esset, quippe abhinc miliaribus quatuor, auxilium aliorum hac in re, quidquid tentarem respuit: Enemata resolventia & similis virtutis cataplasmata hypochondriis applicata, in sanguinis missionis vicem fecerunt. Cum tamen omnia in seram usque vesperam perseverassent quam pertinacissime, & vix vel nihil levata nostra esset; cumque ipsa ægrota & carus ejus conjux ceterique consanguinei præcibus omnibus a me petiissent, ut medicamenta potentiora exhiberem, quam summis, fateor, urgebar angustiis. Hucusque calidioribus antispasmodicis & anodynis quidem peperceram; verum si perpenderem indolem anxietatis, epidemicæ perquam simillimæ, de fera-

ferarum inteſtinorum ſententia decedere non potui. Quare præ ceteris arriſit ſummum aliquando antiſpasmodicum & egregium nonnunquam Anthelminticum, oleum ſcilicet animale Dippelii, in Elæoſaccharum redactum, atque partitis vicibus datum. Quo ſemel atque iterum aſſumto, præcordiorum angor, poſtquam octodecim horis crudeliter excruciaſſet noſtram, magis magisque ſedatus eſt; ſomno aliquot horarum placidiſſimo, & ſudore totam corporis periphæriam irrorante, inſequentibus: & mox quam experrecta eſſet, curavi, ut aptis huic oppoſitis, alcali volatile corrigerem. Reliquum quoque noctis placide & tranquille transegit. *Octavo* nulla anxietas; febris mitior. Reſolutionem quandam, ſive medicamentorum ope, ſeu ipſa moliente naturâ, per ſudores jam inceptam, mihi ante omnia ſequendam eſſe duxi: quare ipſo, in anxietate febrili, præëunte *magno* BOERHAAVIO (*g*) mixturam ſecundum mentem Ill. ejusdem Commentatoris (*h*), noſtræ propinavi. Animata interim potentia ſemper ob oculos verſabatur; nam cum ex more *nono* major iterum febris acceſſio expectabatur, quemadmodum contigit, quamvis minore impetu, manè jam alvum clysmate elui juſſeram. Quodque præ fomentis ſeligerat, ipſa hoc ad hypochondrii ſpaſticam tenſionem exigente, denuo imponebatur cataplasma. Paroxyſmus circa meridiem ingrediebatur, adeoque tardius. Quæque mitiores erant præcordiorum anxietates, ſimplici diſcutiente amovebantur; & poſt febris ἀκμὴν mixturam continuavit. *Decimus*, cautelis iisdem, eodemque me-

(*g*) *De Cognoſcend. & Curand. Morb.* §. 634.
(*h*) In eundem Aphor. *Comment.* Tom. II. pag. 6.

medicamento, quiete tranſiit. Subit tandem dies *undecimus*, quo nodus expediebatur. Mane autem de hypochondriorum tenſione atque contentione querens, petiit ut alvum ſibi coactam, eccoprotico ducerem; quod ante febris acceſſionem, tardius iterum revertentem, & multo mitius, dabatur ex leniente cathartico, ex Aq. cort. Aurantior. quo blande purgata eſt, nullis excitatis turbis. Et abſoluturus ego utramque indicationem, febri perinde quam feris alvinis proſpiciendis, Apozema amaricantium frigidorum, Taraxaci, Tragopogonis & Sonchi Melle edulcoratum, ſorbere aſſidue noſtram commendavi. Sed quid evenit? Horâ ſcilicet octavâ veſpertina ad noſtram arceſſor; adgredior eam, & quidnam ſibi vellet, cum multo melius ſeſe haberet, rogavi? Narravit noſtra, ſe tertiâ vice alvum exonerantem, ingentem aſcaridum copiam, quam ſimul oſtendebat ancilla, excreviſſe; deque hoc, quoniam Epidemica conſtitutio probe ei innotuerat, ſe, omneſque eorum, quibus ſalus ejus curæ cordique erat, admodum lætari; ut jam ex tanta ſolitudine brevi ſanatam futuram ſe crederet, cum ciborum appetentia ipſi etiam adeſſet! Aſt fugitivum utique gaudium. Proximam autem noctem, etiamſi cibi tantum levioris aliquid aſſumſiſſet, moleſtè tulit; nec mirum: mane autem a principio *duodecimo* noſtram toto corpore petechiis perfuſo, interſperſis miliaribus, ac febri validâ prehenſam viſitavi. Lingua jam nigra evaſerat; pulſus erat debilis intermittens cum extremorum perfrictione; ſubinde animi deliquium; mortemque præ foribus eſſe ſtatuit. Conciſis verbis ab hacce idea ipſam dehortatus ſum, admonens ſimul, ſi accomodata, ac ante, vellet aſſumere pharmaca, & hocce periculum,

culum, auxiliante summi Medicatoris manu beneficâ posse discuti. Precibus demum victa cessit, atque auribus salutare consilium admisit; itaque spiritus vitrioli guttas aliquot cum uncia media extracti corticis Peruviani unciis xij. memorati decocti adjectæ sunt: nobili autem huic antidoto soli non fidens, qui propter ægrotantium curandorum frequentiam, tunc temporis pervolvere nondum potuissem pulcerrima circa illud observata (*i*). Enema anticepticum similiter inmittebatur. Nihilo tamen minus aggravata sunt omnia: horâ quartâ matutina pulsarunt ostium, adessem primo quoque tempore nostræ, quæ sincope subrepente tenebatur. Solitis stimulis admotis, animus ipsi redit: superstite pulsu debili intermittente, cum universi corporis perfrictione, atque materiæ exanthematicæ integra recessione, magnus præcordiorum angor aderat, ut actum futurum fore de nostra unicuique visum sit. Medicamentorum fastidiosa, de animæ salute sollicita esse cœpit, multaque fuit in illa re, ut nullis aliis vacaret. Temporis quidem jacturam fecimus conjux ejus & ego, ut Medicinam utrique, animæ nempe & corpori convenientem adhiberet. Ingravescere interea cœperunt, quæ malignus morbus secum afferre consuevit, incommoda; nam odor fœdus graveolens cadaverosus dispersus erat per totum cubiculum, atque adspersione frigidæ, aërisque per fores patentes immissi afflatu indiguit. In tanta rerum facie, cum spes fere nulla salutis affulgeret, quippe vires officiis vitæ deficere potius, quam febri tantæ regendæ pares videbantur, horâ decimâ matutinâ nostram revisens, febrim jam tendere

(*i*) Vide Cel. DE HAAN *Rat. Medendi* part. III. pag. 54.

tendere ad ἀκμὴν lætus comperi. Anxietates tamen adhucdum vexabant; & urina, quæ jam primo vocationis die sedimentum mucosum ex albo flavescens deposuerat, nigra nunc & tenuis absque ullo sedimento stetit. Adhucdum medelæ renitens, exquisivi ne letho desererem, velletne aliquid cardiaci confortantisve alicujus, quo morbi vim commodius ferret, accipere? cui cum manus facile dederit, unum alterumve cochleare vini Frontignac dicti, expulsionis materiæ retrocessæ promovendæ scopo, nostræ concessi; idemque spleniis latis claviculis imponebatur calide.

Parumper iisdem recreata, iteratis precibus nostris, quæ malis occurrendis ex usu fuerunt, iterum conveniebat. Epispasticis pedibus poplitibusque admotis, Extracti corticis Peruviani uncia nunc integra ad duodecim aquæ cort. Aurantiorum, non admisto sp. Vitrioli, statim ipsi dabatur cochleatim devorandum. Die nocteque toto vehementer ægrotavit; quamvis sedimenti aliquid, coloris similis toti, nempe nigri, deponere cœperit urina. Acriter vero adhucdum febri prehensa *quartodecimo* hypostasin urina jam ostendebat subsidentem, minusque priore nigrescentem; adeo ut, haud inamœno spectaculo, quarta vice cum hac die mitteret lotium, omnis ferme abiisset nigritudo, inque flavescentem iterum colorem egregie mutata sit. Vespera præscripsi Diacodii Syrupi unciam ex aqua Cinnamomi uncia dimidia, cum sufficiente pro lubitu assumendam vehiculo. Potum quoque tenuem acidulatum leviter cardiacum copiose hauriebat. Mane vero alvus eluebatur clysmate, resolvente anticeptico cum Syr. Taraxaci cum Rheo; quibuscum continuavit ad duodevicesimum morbi diem, quo & judicata urinis apparuit;

ruit; deciduis quoque probeque per univerſum corpus ſiccatis miliaribus, duobus tantum ſuperſtitibus, unde Mixturam, quam atram nuncupabat, ingerere ultrà noluit. Fruſtra operam ſumſi, ne cito nimis ab incepta feliciterque hucusque perducta medela deſiſteret; oſtendens ſimul, ejusmodi mala poſtea conſuevere longè deteriora producere, veluti abſceſſus, caries aliaque plura; neque ſatis hactenus de corpore eliminatam eſſe morboſam materiem. Guttas tantum paucas, pilulasque quasdam, eodém de genere ac priora petitas, ad reliqua ſubigenda mala, quin ægre præbium unum alterumve, ex Rheo & ſale polychreſto duntaxat aſſumſit, quo & materiem depoſuit mucidam familiarem verminantibus. Vix tamen elapſâ ſeptimanâ, ad volam manus pure intumeſcere cœpit ex antecedentibus relictis miliaris puſtula, ad piſi magnitudinem, neque multum ab illa diſſita, altera; & haud diu poſt, utriusque manûs ambo digiti medii panaritio correpti ſunt. Quid, quod amplius morer? Arceſſitus nunc, cui magnam habebant fidem, Chirurgus, nullis internis noſtram indigere jactitavit, quæ ſimplici nec ardente καυσο ſecundum mentem ejus laboraverat, externisque modo remediis egere panaritia hæcce; & quidquid ſedulo hac in re monerem, obtrectavit; nec ſatis mature, ad digitos ſcalpello findendos, votis meis paratus cum eſſet; viſo, ſe totam dediſſe chirurgo, ab ulteriori conamine deſtiti, futura mala præſagiens. Exfoliatio ultimæ phalangis ſatis inſignis ambobus digitis contigit; & poſtquam per octo hebdomadas periculoſiſſimo in circulo verſata eſſet, ſibique moleſtiſſimo, domum ſuam noſtra petiit.

Epicrisis.

Maligna † ſane cum Aſcaridibus juncta febris ardens, quæ criticum tamen curſum tenuit, adque ardentem καυσον dictam magis, quam ad bilioſam accedere, non opus eſt adſtruere (*k*). Quin anxietates hic ab Aſcaridibus fuiſſe auctas, admodum quoque probabile eſt; maxime ſi his conferantur, quæ de cardialgia Syncoptica ab Aſcaridibus obſervavit Bianchini (*l*). Defuit quoque huic meteorismus, qualem in bilioſis plerumque obſervare conſuevit: tenſio autem, quam noſtra queſta eſt in regione hypochondriaca, alio ſeſe modo habebat, quippe doloroſæ & ſpaſticæ magis fuerit indolis: quin vomitu materies ejecta ſubbilioſa initio febris acceſſionis, neque ſincera, aut æruginoſa, ſed mucoſa plerumque, etiam hoc demonſtrat. Adfuerunt tamen ſymptomata intenſiora quam in reliquis verminantibus: defuerunt & quædam, fere ſemper alias obvia. Nullius autem de capitis gravativo dolore, querelæ reminiſcor, de quo tamen omnes, tot tantisque anxietatibus affectis, queritabantur. Mirum etiam eſt, pupillas noſtræ ſolito fuiſſe contractiores, de qua poſtea (*m*). Unde nemo ibit inficias, diagnoſin perquam intricatam exſtitiſſe. Supereſt, quæſtionem ſolvere, an hic *Petechiæ ab alcali volatili?* Non videtur, cum paucæ tantum guttæ & partitis quidem

† *Coac. Prænot.* 31. & 117.

(*k*) Conf. Cel. de Haan *Febrium diviſiones*. Div. IV. Schol. II. pag. 11. & 12.

(*l*) Scholium primum ad *Hiſtor. febr. putridarum.*

(*m*) Scholion ad cap. IV. ſect. VII. *de Amauroſi ſubitanea.*

dem vicibus dabantur; & ſtatim Mixtura acida grata ex Sale tart. Vitriolati, rob. Ribeſiorum cum ſpiritu nitri dulci huic imponebatur. Ad idem auxilium quidem confugere cogebatur Cel. DE HAAN (*n*), in cujus ægrota jam a principio adfuerunt, ut in illa nec errore regiminis calidi neque criticè exortæ fuerunt; ergò etiam haud in noſtra, quoniam VII°. datum fuit ol. animale Dippelii & XII°. demum petechiæ erupuerunt (*o*).

An proinde ex *mixturâ ſudoriferâ* oriundæ? Et ne hoc quidem apparet. Unico enim ſtragulo tecta erat noſtra, dum manus fere ſemper ſupra tegumentum ſub tenui ſcapulari collocaret; & Cel. VAN ZWIETEN contrarium expreſſis verbis docuit (*p*), *omnia hæc per diureſin agunt; ſi alio*, inquit, *regimine adhibeatur: ſi enim tecto ſtragulis corpore ægri, hæc propinentur, plerumque ſudores movent; ſi vero frigidiuſculo aëri æger exponetur, eadem aſſumta per urinæ vias potius agent. Simul etiam diluendo abſtergendo hæc remedia prodeſſe, facile patet.* Quamobrem apparet veriſimilior, ex prava humorum indole, nondum ſatis hactenus ſubactâ morboſâ materie, deque corpore eliminatâ,

(*n*) *Ration. Medendi.* Part. VIII. pag. 98.

(*o*) Cl. MONRO filius in Relatione de morbis maxime frequentibus in Noſocomiis Anglicis militaribus in Germania eodem tempore ſcilicet ab anno 1761. usque ad menſem Martii 1763. in febre maligna & petechiali, uſus ſalium alcalinorum volatilium, ſi pulſus debilis eſt, & lipothymiis ægri ſubjecti ſunt, ut cardiaca adhibenda eſſe cenſet. Et eodem, ac nos fecimus modo, acida ſimul, ad alcalinam acrimoniam corrigendam dari debere. Vide *Comment. de reb. geſtis.* Vol. XIV. part. 1. pag. 52.

(*p*) *Commentar. ad* H. BOERHAAVE *Aphor.* 634. Tom II. pag. 202.

tâ, noſtræ cum peſſimis recidivis contigiſſe, quod vermibus obſeſſis perquam familiare eſt (*q*). Nigra denique prima miſſa urina tenuis erat, totaque nigra; perinde quam primum ſedimentum, quod fundum matulæ petiit. Hanc adeo ab antiquitate reformidatam (*r*), corticis Peruviani ope in noſtra tam cito in ſalutarem naturam mutatam fuiſſe, admodum probabile eſt.

ÆGROTUS DECIMUS SEXTUS.

Vidua honeſta ſeptuagenario major, eodem tempore tertiana mitiore laboravit, cum conſuetis epidemiæ ſymptomatibus. Poſt aliquot circuitus febris deceſſit, non emiſſis vermibus. Valetudinaria ab hinc, minus firma ſanitate fruebatur, alias robuſta, vegeta; contra nunc obſtupeſcens. Senſim, obambulans, citra ægritudinis faciem, mente capta eſt. Conſanguinei, ſublatentis mali ignari, quæſiverunt, quidnam ſibi vellet, ut de ſuo vitæ more decederet? Reſpondet, ſe neſcire; & quidquid noſtram interrogarunt, reſponſio ſemper fuit eadem, ego neſcio, *ik weet het niet*; vixque alias ejiciebat voces. Secundo menſis Octobris

(*q*) Præ ceteris pervolvi meretur egregia *Diſſertatio de Morbo mucoſo*: Auctoribus Cl. ROEDERER & WAGLER. pag. 34. & ſupra laudatus BIANCHINUS. Quin copioſe vermes interfuerunt Epidemiæ Goslarienſi per octodecim menſes *Act. Phyſ. Med.* Vol. VI. Append. pag. 78. §. X.

(*r*) Conferantur hic loci pulcerrima HIPPOCRATIS & GALENI loca, quæ ad varia de criſi morborum cap. II. §. V. pag. 29. & ſeqq. *Rat. Medendi* part. VIII. collegit Cl. DE HAAN.

bris die petierunt ut ipsi mederer. Adivi nostram, & inquirenti mihi historiolam hancce dederunt: a nudio nunc tertio, mentis alienationem fuisse auctam; deque nullâ molestiâ, præter nauseam incommodam, quam domesticis remediis auferre tentavissent, questam fuisse. Pulsus a naturali parum mutatus; oculorum acies altera cataractâ integre clausa, paulò verò minus obsessa erat altera: adeoque diagnosin ex pupillarum conditione petere, fieri nequibat. Lingua materie ex albo flavescente quodammodo erat obsessa. Hæc diagnosis. Ex præteritis & præsentibus, ego quidem Lumbricos accusavi. Datis ideo pulvere purgantis Anthelmintici STÖRK, ad drachmas duas, cum oxymell. Scillitici unc. dimidia ex aqua Raphani simplici unc. vj. formâ mixturæ, Lumbricum teretem integrum rejecit, ramenta copiosa, pituitæ multum. Mansit tamen adhucdum mentis alienatio, dum felis ad instar parietes scalpsit, erecta in lecto insidens. *Tertio* vero die, ab usu medicamenti continuato, pluribus emissis lumbricis putridis, mente jam constitit; triumque septimanarum spatio, integram sanitatem adepta est, qua adhucdum fruitur.

S C H O L I O N.

Mentis a vermibus alienationes, proceres agnoverunt Medici. Abesset, ut quæ de hâc priscis temporibus fuse tradita fuerunt longâ enarratione hic repetere. Novus tamen vermium scriptor de eo dubitare videtur, dum recensum cathalogi symptomatum a Cel. VAN DOEVEREN datum agens, ad mentis hebetudinem, clausulâ addidit, [*mogelyk ook meerder vlugheid*,] forsan etiam ma-

jorem mentis præſentiam (*s*). Revera ejusmodi degenerationes, quarum plura exempla facile proferre poſſum, vel uberrime apud Medicos veteres & recentiores proſtant. Aëtius Amidenus (*t*) illud ſymptoma, inter verminantium obvia, numeravit. Pari ratione Cælius Aurelianus (*u*). Neque de his hæſitaverunt Nicolaus Piso (*v*), J. Lommius (*w*), & *Celeberrimus* F. Hoffmannus (*x*). Forestus ſimilia exhibuit ex ægrotulo ſuo (*y*), quæ acciderunt noſtræ. Quin memorabilem hujus indolis caſum hæc ætas ſuppeditavit (*z*), aliosque plures. Quid, quæſo, mentis a vermibus dexteritatem magis vindicat, quam pulcre Germanorum linguâ loqui, quaſi dæmone detentus, qui cum Italus eſſet, nunquam in Germania verſatus (*a*).

Ægrotus Decimus Septimus.

Robuſta mulier nova nupta, eodem tempore febrem ſubiit biliofam ſubvolvuloſam. Ab initio parvi

(*s*) van Phelsum, *Natuurkundige Verhandeling over de Wormen*, pag. 180. in not.

(*t*) *Tetrabibl.* III. Serm. I. cap. XXXIX. pag. 539. hiſce verbis. *Plerique enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt.*

(*u*) *Morbor. chronicorum* Lib. IV. cap. VIII. no. 107. pag. 534.

(*v*) *De Morb. cognoſc. & curand.* Lib. III. cap. XXII. pag. 148. ed. Leid. 1736.

(*w*) *Obſervat. Medicinal.* Lib. tres. pag. 171. Amſt. 1761.

(*x*) *De Animal. H. C. inf. hoſp.* cap. III. §. X. pag. 598. op. *Supp.* II. part. II.

(*y*) *Oper. omn.* Lib. VI. obſ. XXXVIII. & in Schol. ſubnex.

(*z*) *Act. Phyſ. Med.* Vol. IV. obſ. LXXIV. pag. 293.

(*a*) Vide Schenckii *Obſ. Med. rarior.* pag. 356. obſ. 1.

parvi momenti, ſubdole ſubrepſit ita, ut ſymptomata teterrima dein excitarit. Nauſea ſub febris acceſſionem magis magisque intendebatur; quam violenta per ſuperiora rejectio viginti & aliquot Lumbricorum teretium vivorum vegetorumque cum bilis & pituitæ copia ingenti, excepit. Exanimis fere viribusque languefcens jecit ſubcomatoſa, nec quidquam ſive titulo alimenti ſeu medicamenti ſtomachus continebat, quin protinus furſum redderet. Repitis Enematibus, fortiſſimis quidem fruſtra operam ſumſi, neque quidquam profeci. Pectoris anguſtiæ admodum quoque urgebant, ut ſpiritum ex imo ducens, auram quaſi ore nonnunquam excipere videretur, ſudore frigido madida. Diebus aliquot ita transactis, dum aptisſima vermibus adverſa cataplasmata, ſimilesque inunctiones ventri adminiſtrabantur, diarrhœâ largâ putridâ, pituitoſâque judicata eſt; priſtinamque recuperavit ſanitatem.

SCHOLION.

Volvuloſam ſane ex vermibus in noſtra affectionem exſtitiſſe, quamvis ſtercoraceum vomitum non ſuſtinuerit, minime dubito; cum nihil per inferiora ceceſſerit (*b*). Crediderim fere Lumbricorum tantam catervam, glomeris inſtar (*c*) obicem poſuiſſe trajectui libero inteſtinorum canalis;

(*b*) Hujus ſectionis Scholion ad ægrotum VIII.

(*c*) Hujusmodi ab animata potentia luculenta proſtant exempla: inter alios conſuli poſſunt SCHENCKIUS in loco modo laudato. BAGLIVUS *in epiſtola ad* ANDRY *de la Generation des vers.* pag. 347. *Acta Phyſ. Med.* Vol. IV. obſ. LXXIV. pag. 293.

nalis; inque putridum magma extus applicatorum ope ſoluti ſanitatem demum adtuliſſe.

Ægrotus Decimus Octavus.

Naupegus febre lavoravit duplicatâ tertianâ menſe Septembri 1762. Tantâ eum hæc prehendebat anxietate, ut ſeptimo ab initio die morti proximus eſſet. Ex frequenti vomitione cum ſudore frigido, animo linquebat, & ſiderati ad inſtar jecit. Magnâ vero clyſmatum vi ad ſe rediit: Acidorum dein mineralium vegetabiliumque ope, pariter ac protractâ herbæ Scordii infuſione reliqua curatio abſolvebatur. Paucis indigens Purgantibus, aut quæ tono viſcerum reſtituenda apta viſa ſunt, ſub *Divinis auſpiciis* alvo liquidâ verminoſâ judicatus eſt.

§. XLVI.

Sufficiant recenſiti (§. XLV.) hactenus caſus ad datam illuſtrandam Hiſtoriam. Singularis quippe naturæ morbi unicum elargitum fuiſſe, abunde eſt. Pro variâ autem ægrotantium conditione & morborum indole perſonam vermis egiſſe, ſatis ſuperque apparet. Bilioſarum verò cum infeſtis interaneis complicata natura eſt, quippe in mucoſam redundantiam admodum proni ſunt ejusmodi ægroti unde & pro majore muci bilisve copia, ejusve magis a naturali depravatione, inque putridam alcaleſcentem indolem mutata, & cum vermium cadaverum liquamine commiſta, ſimplicior vel magis complicatus morbus naſcitur, & catarrhalis benignæ facilis adquiritur notio. Rhabarbarina pariter ac ſalia media proſperè ceſ-

ſerunt

ſerunt ægrotis noſtris; ſæpe quoque additâ valerianæ radice. Sequentis formulæ Mixtura ſola ſæpe ſuffecit, tam ad materiem Bilioſo-mucoſam, quam vermes educendos, cochleatim omni hora inter febriles paroxysmos data. ℞. ſal. polychreſti Rhei elect. rad. Valerianæ ſylv. aa ſcrup. ij. ſyr. e ſucco cichorei cum Rheo unc. j. & aquæ cort. Aurantiorum, Meliſſæ aut cichorei fermentatæ prout una harum vel altera magis adjuvare apparet, ad uncias vj. vij. vel viij. cum ſp. Nitri dulcis drachm. j. vel liquoris anodyno-Mineralis HOFFMANNI rite parati (*d*). Abundante magis, quam bilis, muco, formulam ita mutavi, ut pro Rheo Gialappæ radicem & aquam ſtillatiam efficaciorem, utpote Menthæ aut Abſynthii &c. ſi ita e re videretur, ſubſtituerim.

Acriore verò Bile ægrotantibus moleſtâ, Ipecacuannha & Acida Vegetabilia & Mineralia, ſaponacea oleoſa ex uſu fuerunt. Raró autem mercurium dulcem præſcripſi, niſi memoratis mitioribus, quibus ſæpe tamen obtemperarunt, vermes reſiſterent, clysmata in anxietate obſeſſis ſalutares ſæpe ſiſtunt effectus: quemadmodum martialia & amaricantia in fine morbi, aut hypoſtaſi abacta cum euphoria dabatur Mixtura ex ſale abſynthii vel cardui benedicti, ℞. gentianæ Helenii & Aqua Menthæ & corticum Aurantiorum ſimiliumve.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Nunquam tantam, quantam ſub febris ingreſſum & critica Naturæ molimina, vermes exſerunt


(*d*) Egregius hujus parandi modus proſtat apud Cl. R. A. VOGEL. *Inſtitut. Chemiæ.* cap. X. §. 479. pag. 220.

ferunt vim; unde magna cum intermittentibus opus est circumspectione.

II. Diutissimæ tamen a lethiferis turbis vacuæ Quartanæ sunt; sin minus in anomalam evaserint, quo tempore jam tanquam veræ verminosæ salutandæ veniunt.

III. In Biliosis & mucoso - biliosis febribus, cum vermibus, ante omnia, per omnem morbi decursum, alvum apertam servare præstat; idque si fieri potest per mitiora, ne febris inde nimis intendatur. Hâc tamen viâ inducias facere, si fieri nequit, inter dies criticos, potentiora exhibeto.

IV. Caute denique cum Amaricantibus Anthelminticis mercandum est; neque mature nimis eadem adhibenda sunt, cum in fine potius morbi, tonicam simul exserendo vim ex usu apparent.



CAPUT

SECTIO TERTIA.

FEBRES LENTÆ VERMINOSÆ.

§. XLVII.

Hæc propria verminantium comes, merito *verminoſo* vocabulo inſignitur. Aliquando lenim obrepit, vix ſenſibiles exacerbationes, præter leviorem nocturnam ſudatiunculam, fugaces caloris & frigoris ſenſationes pariter cum capitis aurium & levioribus abdominis adfectionibus habet, hinc illæ veſpertinæ nocturnæque inflationes cum vermiculatione; aut matutinis obſcuriores ventris cruciatus, qui alvinæ ſolutionis fere ſemper ſunt prænuntii. Auctâ vero febre memoratorum aggravatio fit: acceſſiones quoque, etiamſi erratico curſu, tribus quatuorve in die paroxyſmis crebeſcentes, ſub veſperam vero regulariter invadere ſolent. Sæpe etiam ex parvis admodum principiis tantum incrementi capit, ut lentorem ſuum longe conduplicet; continuæque remittentis faciem induens in acutam malignam tranſeat (*p*): Vixque tum ab aliis putridis diſcernitur

(*p*) Qualem exhibui ad *Hiſtor. Feb. Putrid.* cap. III. ſect. II. pag. 39.

nitur, niſi manifeſta ſeſe oſtendant infeſtorum ſymptomata. Non raro aliis ſeſe adjungit malis, quæ ab initio ſub alia facie prodierunt: quin Morborum cum vermibus perverſæ medicationis perſæpe hæc febris pediſſequa eſt. — Igitur agitatis feris interaneis, plus minus in ſcenam prodit. Morbisque ideo verminantium chronicis, præſertim infantum & debilioris conſtitutionis hominum, tympanitide, cutis intertrigine, phthiſi ſicca abdominali, hypochondriaca & hyſterica paſſione vel leucophlegmatiâ cum vermibus affectorum, fere ſemper ſubeſt; immò & utero gerentibus familiaris, & graviditatis tempore haud foras excluſis infeſtis, acuta ſæpe puerperis evenit. Sive denique vel *chronica* ſive *acuta* ſeu *acceſſoria* febris illa prehendit, acceſſiones ſuas tempore veſpertino redintegrare ſolet; ſæpeque ſudore inani non critico debilitare affectas. Quoniam & præcipue ab animatâ potentiâ morbificâ originem ducit, raró, niſi eâdem deſtructâ atque expulſâ, diſcedit, quin protinus revertat.

§. XLVIII.

Tam late quum pateat Febris lenta verminoſa, teterrima quidem a fide dignis auctoribus recenſita ſymptomata, nusquam magis, quam in illa, poteſtatem ſui facere, neceſſe eſt. Nam dum inopinato contingunt Aphoniæ, Convulſiones, Siderationes, aliaque id genus mala; quam dirâ ſæpius, ad ultimum uſque ſpiritum, non tenentur multi paralyſi miſere affecti, cujus ratio animatæ potiſſimum cauſſæ ſub initium inhæſerat; aſt qui proh dolor! proximâ morbi cauſſâ minus perſpectâ, fruſtra agitantur multis. Tandem moneam, quod

quod onus nonnunquam gravius experiatur in Lentis hifce, quam in Acutis aliis, fubigendis. An ideo, quod nondum in acutam indolem transgreffa, crifeos molimina debiliori conamine in hifce peragantur; aut quod minus Naturæ ftimulos percipiant corpora cachectica; aut denique, quod ferax pullities extirpationem totam illudat? Multa equidem refpectu crifeos adduci poffunt huc: & vifcerum tono congruis ni fuccurratur auxiliis, acta aguntur.

§. XLIX.

Inter fymptomata autem in genere obvia, fi tenore quodam vexat, fere femper conjunctum habet capitis dolorem fupra orbitalem, occipitalem vel etiam hæmicraniæ affinem; aurium tinnitum fugitivum, aliquando, fi quodam modo urget, dolorofâ otalgiâ, quin eryfipelate non rarò comitatum. Oculi renitent, lachrymofi funt, & velut in finum excavati, cincto halone livido; pupillarum dilatatio confueto major eft, unde & fubitanea Amaurofis. Narium pruritus moleftus frequenter admodum in hæmorrhagiam largam prorumpit. Lingua vel tumidula, incifuris levioribus & dentium foveis ad marginem impreffis, humida lata pallida eft, vel progrediente morbo, nafcentium aphtharum ad inftar obfeffa; quin acute feriente eodem modo ac in Acutis rubicunda arida contracta, tandem nigra; vel denfo agmine fubfufco putrido obfita. Quibus linguæ degenerationibus infeparabiles quafi junguntur gingivarum cum dentium fquallore ardor & inflammatio, tandemque exulcerationes foedæ, malæ ut plurimum fcorbuticæ labi adfcriptæ, cum fymptomatum fyn-

drome propriam ſuam originem luculenter vindicent. Halitus perinde ſui generis putridus eſt. Et proritata inſolito rivo ſaliva ore contineri nequit, quin veſicularum in modum labia obſideat, forasque continuo effluat. Suffuſus genarum rubor, ſi magno impetu in faciei vaſa ſanguis adigitur, crebro in eryſipelas tranſit, nec raro ſine veſiculis, ſero effuſo, error hic loci compenſatur. In faciei autem nervos, maxime vero ſecundi & tertii rami quinti paris cerebri, illata vis, dolores odontalgicos ſæviſſimos nonnunquam excitare ſolet. Summa irritata larynge, affectos non minus urget moleſta tuſſicula, plerumque aucta ſub veſperam. —— In omnibus, non adeo copioſe ſudor eſt, ſin abundante muco, eove in putrilaginem degenerato, acidum nidorem tunc ſpirat, criſinque optimam perficit: ceterum nocte, modo febricula intendatur, vel in leviſſimis affectionibus, matutinus tantum, auctior. Frequentes alvinæ contentiones, & cruciatus, umbilicum vel os ventriculi petentes, dorſum ſæpe quoque adeunt; aucta & ſalivæ excretione, inſtantis deliquii animi primordia manifeſtant. Dolores vagi ſubarthritici & iſchiadici non minus familiares hiſce ſunt, quam tortuoſa ſtranguria, præ ceteris infantes afficiens (*q*). Pulſûs omnium maxime inconſtantia; plerumque debilis, exilis, raro vere febrilis, plerumque inordinatus, ſæpe ad 4, 8, 10, 16, 30. diaſtolen intermittit. Urina tenuis limpida; aut turbida, limoſa, jumentacea; aut ſedimentum lacteſcens deponit: in paucis admodum bilioſis ſaturatiore flavedine tincta eſt, & quo ſedimentum


(*q*) Duobus infantibus medicinam feci calculoſos prorſus æmulantes.

tum ſaturatius, eò quoque copioſius. In his cum aphthoſa lingua, gingivisque dolentibus exulceratis, atque anima fœtentiſſima magnum ſalivæ profluvium eſt. Diverſimodis hiſce ſymptomatibus, & quis omnia enumeret, Febris (§. XLVII.) vel ſubeſt, vel eadem comitatur, vel auget.

§. L.

In miſerrimorum vero emolumentum, nullibi tot tantaque dari ad proximam mali cauſſam dignoſcendam præſidia, quam in opulente adeo ſymptomatum ſegete, manifeſtum eſt; & propter minorem febris vigorem plerumque fortiora in uſum vocari poſſe, quæ vetant morbi acutiores. In tanta nunc morborum & ſymptomatum diverſitate, ſatius erit per exempla medendi viam monſtrare, quam in genere truncatam medelam exhibere.





α. *FEBRES LENTÆ VERMINOSÆ ALIAQUE FERARUM INTESTINALIUM MALA CHRONICA.*

Ægrotus Primus.

Infans quinque vel ſex annorum, omnibus phænomenis a Cel. Hoffmanno *de Lumbricis in inteſtino ileo* traditis (*r*) inſignis, curæ meæ committitur. Abdomen præter modum erat diſtentum, ac partes ſuperiores ita tabeſcebant, ut niſi oſſa cohærentia conſpicerentur, puerulo nihilominus multum appetente. Magnam vermium copiam, tam Aſcaridum quam teretium aſſidue excrevit; multaque his adverſa aſſumſit fruſtrà, cum æque cito ac expulſi eſſent renaſci viderentur; & vivus a vermibus commedi videretur miſer: lenta febre continua tabida ulterius conficiebatur. Irrepſerunt quoque de tempore in tempus ſævi inſultus epileptici, totam faciem, artusque ſuperiores admodum in conſenſum trahentes, aucti dein adeo, ut catalepſis aliquando inſequeretur; quæ per dies aliquot ſucceſſivos, comitato motu opiſthotonico, quo caput retrò verſus ſpinam, tam crudeliter atque adſpectu horridum trahebatur, ut cum collo angulum formaret acutum, perſeveravit. Immobilis, ad inſtar ligni rigidus atque ſupinus jacebat puer,

(*r*) M. R. S. Tom. I. *de cauſſis morb. latent.* pag. 332.

puer, artibus tamen flexilibus, ſenſibus expers: collum inflatum erat atque tumidum; oculi aperti intenti; rubore aliquando ſuffuſæ genæ; ſalivæ, demiſſâ maxillâ, profluvium; pulſus valde exilis & creber, ut defecturus videretur nonnunquam, & merito quidem ſuperſtites functiones ego mirarer. Sub hæc alvus adſtricta, quæ antea fuſa colliquativa exſtiterat. Pluribus incaſſum adhibitis, fatis tandem ceſſit.

EPICRISIS.

Miſellorum tympanitide affectorum vices perquam dolendæ ſunt; & uſque adeo, quam in miſero noſtro provecto jam morbo, medendo potius ægreſcunt, quam ad ſanitatem inde perveniant. Conſumto autem a vermibus chylo, atrophiam nonmodo, verum etiam omnium functionum læſiones naſci, oportet. Hinc & nullibi tanta ſymptomatum caterva, quanta in ejusmodi a lumbricis affectione comparet; neque ſymptomata, quæ de Lientericis atque feris alvinis præcepit Medicinæ Parens ullibi apparent manifeſtiora. Pertinet ad hanc rem quæ inter alia dicta ſunt in Coacis Prænotionibus (*s*). *Quos longa exercet lienteria, cum*

(*s*) DURETI *Comment.* pag. 337. FOËSII N°. 468. ſect. II. pag. 192. verum non poſſum, quin etiam hic loci in tranſitu moneam, quod ἅμα θηρίοισι apud FOËSIUM *cum ſæviſſimis ulceribus*, *magnus* DURETUS iterum *de Aſcaridibus ſolis*, perinde quam μετὰ θηρίων in modo antecedente textu commentatus ſit, ut fuſe ſatis ſupra (pag. 82.) expendimus. Parum tamen referre videtur, utrum *pro malignis internis ulceribus*, aut in genere pro *feris alvinis* interpretetur, cum utraque de cauſſa memorata in textu ſymptomata evenire poſſint; morbusque mucoſus longus varia

cum feris (ἅμα θηρίοισι), *torminibus & doloribus; cum hæc quieverint intumescunt.* ubi Duretus auctor est

varia intestinorum incommoda excitare soleat, sæpeque verminosis contingat, vel verminosus fiat. Argumenta vero quibus usus est egregius quondam Medicinæ ille restaurator, ut Ascarides Lumbricis teretibus antepofuerit, parum mihi videntur ponderosa, quin de teretibus, deque ceteris ferinis malis, merito commentari queat. Enimvero ad opinionem suam stabiliendam, „ Ascarides, inquit, feræ sunt, nec raro κατ᾽ ἐξοχὴν, nomen ferarum „ obtinent, ut in illo. Τὸ θηριῶδες φθινοπώρου, i. Autumno „ ferinum. Ubi Galenus autor est feri nomine contineri „ Ascarides, Lumbricos, elephantem, cancrum, phthisin, „ cæteraque omnia sæva mala, quæ autumno potissimum „ regnare dicuntur. Sed ex omni sensu τῶν θηριωδῶν, cui „ locus hic esse possit quam Ascaridibus, non hercle inve„ nio." *Comm. citat.* pag. 337. Galenus autem ad vocem θηρίον explicandum, non inquit, nomen hocce præ ceteris significat Ascarides, sed omnia quæ Duretus ex eodem enumeravit; quemadmodum ille in Hippocratis *linguarum explanatione* (*Fragment.* fol. 74. verso H.) disertis hisce verbis consequitur. „Postea in aliis, cum θηρίον dixe„ rit animalia in intestinis consistentia significat, *lumbricos* „ scilicet, & *Ascarides*, quemadmodum & cum dixerit *au„ tumnorum* τὸ θηριῶδες, *ab aliquo dictorum* nominat." —— Quamobrem mihi quidem sæpius visum est, Hippocratem in *Morb. Vulg.* Lib. II. (Foës. pag. 996. B.) ideo addidisse, „ *Lumbrici tenues Ascarides dicti, vespere maxime,* „ *cui analogia quodammodo respondet autumnus, infestant;*" ut apertum faceret, Ascarides in hâcce constitutione autumnali, perinde quam in illa aut in aliis Lumbrici teretes, moleste affecisse: quod vel missis superfluis, ex *Prorrheticorum* textu 138. (Foësii pag. 79.) cum *Coacar. Prænot.* 165. (pag. 144.) quodammodo colligere licet. Iis enim in locis *Ascarides* singillatim expressit; cum similia symptomata plerumque a lumbricis teretibus oriantur, & eodem modo vespere quam Ascarides affligere soleant, veluti in singulis jam satis abundeque constitit.

eſt „occupari ſcilicet ægrotos hoſce *tympania* hy-
„ drope qui aſſurgit copia ſubſiſtentium flatuum
„ in anfractibus inteſtinorum, in quibus potentia
„ eſt, vel depravatio periſtalticæ facultatis."
Quin Hydropicis quæ ſupervenit epilepſia, funeſta (*t*).
Poſſem hic loci plura ex HIPPOCRATE afferre: ſed hæc ſufficiant. Sub mali exordia præter tuſſim, aliasque catarrhoſas defluctiones; pertinaciſſima narium ſtillicidia ſæpius comperimus; fœdasque cum lingua ſubaphthoſa, dentium ſquallore atque prævio gingivarum ardore & inflammatione, oris exulcerationes, maxime in locis ab HIPPOCRATE notatas (*u*). In feminâ quadam omnis ferme gingivarum caro depaſcebatur. —— In conclamato malo ex cutis ariditate, propter atrophiam atque continuum alvi fluorem, conſueta in verminantibus critica molimina, ſudores per cutis vibices prorſus ceſſant, unde inevitabilis mali aggravatio. Nondum vero adulto malo, ejusmodi tympaniæ ſæpe convenientiſſimum fuit Elixir acidum Vitrioli, Decoctioni Mercurii crudi ex Aquæ Cichorei, ſimplicisve, aut potui conſueto, ad debitum acorem inſtillatum; quo ſolo interpoſitis lenioribus purgantibus, multis quidem auxilium tuli.

S C H O L I O N.

Catalepſis verminantibus familiaris ſatis ſupervenit. Exempla hujus ex MARCELLO DONATO, SCHENC-

(*t*) DURETI *comment.* pag. 320. Foës. No. 468. pag. 192.

(*u*) Lib. IV. *de Morb. vulg.* Foësii ſect. VII. pag. 1125. H. „ad tertium dentem magis ſuppurationes quam ad „ cæteros omnes, & e naribus craſſæ fluxiones & tem„ porum dolores inde maxime contingunt.

SCHENCKIO atque ETMULLERO annotavit ANDRY (*v*), alios F. HOFFMANNUS (*w*); quin memorabilem casum, cujus oculatus testis fuit, Cel. VAN ZWIETEN exhibuit (*x*). Sanatæ quoque catalepseos historiam, tribus emissis lumbricis, in puellâ 7 vel 8 annorum, litteris mihi communicavit Cel. VAN DOEVEREN. Haud igitur hisce immoror.

Attamen vero silentio transire nequeo, ut in transgressu pro CÆLIO AURELIANO verba faciam, Anonymo cuidam visum esse, vel CÆLIUM hanc affectionem cum Comate vigili atque Lethargo cum aliis confudisse (*y*). Contrarium vero, distincta catalepsis capita, ubi de Acuta (*z*) & chronica (*a*) egit, de utraque ab Apoplexia Lethargo stomachica & uterina passione data differentia (*b*), perpendenti patebit. Siquidem *verminosam catalepsin* hisce quoque verbis delineavit; *qui autem a lumbricis id patiuntur, etiam sine febribus, vocis amputationem sustinent, cum pulsu parvo atque crebro* (*c*): quod phænomenon præ ceteris & in ægrotulo nostro percipiebatur. Tametsi enim præcipua phænomena, quæ puerulo nostro acciderunt, veluti supi-

(*v*) *De la Generation des vers.* Tom. I. pag. 340.

(*w*) *M. R. S.* Tom. III. pag. 49.

(*x*) *Comment.* ad. §. 1040. Tom. III. pag. 316. cum Tom. IV. §. 1364. pag. 713.

(*y*) Voyés *Journal Brittanique* Mois de Juin 1751. pag. 186. vel *Comment. de reb. in Scient.* Nat. & Med. gestis vol. I. pag. 414.

(*z*) *Morb. Acutor.* Lib. II. cap. X. pag. 95. & seqq.

(*a*) *Morb. Chronicor.* Lib. II. cap. V. pag. 376.

(*b*) *Morb. Acutor.* pag. 101. cum 377. & 378.

(*c*) *Morb. Chronic.* Lib. IV. cap. VIII. §. 110. pag. 535.

ſupinum jacere, firmiter apertis palpebris, atque oculis intentis; genarum rubor; colli inflatio; ſalivæ, demiſſâ maxillâ, profluvium; vocis amputatio; omnium ſenſuum torpor & hebetudo; artuumque flexilitas; Lethargo quadantenus communia ſint; probeque ab ipſo CÆLIO notata (*d*). Mali per intervalla invectio in chronica tantum obvia, & firmus corporis ſitus, quem invaſionis tempore habebat, in noſtro pathognomica CÆLII AURELIANI Recentiorumque ſigna ſufficienter confirmant, ex attenta inſuper oculorum & pulſuum contemplatione in Catalepſi & Lethargo, quod CÆLIUS AURELIANUS, Græcorum vetuſtiſſimorum, & circa hanc quidem affectionem, errorum ſedulus adeo notator, diſtinctis tot characteribus animadvertit; dubium non eſt, quin morbum hunc diſtincte, ſatis cognoverit. A vero forſan non longe aberit, qui cum Doctiſſ. Lipſ. Commentatoribus crediderit (*e*), illam tantum ſpeciem, quàm recentiores memorant, qua vel ſtatuæ inſtar in via remorantur rigidi, CÆLIO AURELIANO forſan fuiſſe ignotam: ſaltem hujus mentionem non feciſſe certum eſt,

ÆGROTUS SECUNDUS.

Data occaſione, virtutes Elixiris Vitrioli reſolventes in Tympania verminoſa commendandi, non poſſum quin easdem in ſingulari Inteſtinorum morbo mucoſo, conclamato fere malo, oſtendam.

Coacas Prænotiones Divi ſenis pervolvendo, memo-

(*d*) *Morb. Acut.* pag. 104. & *Chron.* pag. 378.
(*e*) *Comm. de rebus geſtis* Vol. 1. pag. 416.

memorabile ſane & tanto viro obſervare dignum præſagium in conſpectum venit. *Qui capitis doloribus & aurium tinnitibus citra febrim, aut tenebricoſa vertigine, & vocis tarditate, manuumque ſtupore tentantur, in iis aut ſiderationem, aut morbum comitialem, aut etiam oblivionem ſperare convenit* (*f*). Quam in conſilio habere, ſi forte ejusmodi æger curandus ſeſe ſiſteret, animus erat: nec ita diu poſt ſimili modo affectus auxilium meum imploravit. Is autem (erat ruſticus homo ætatis mediæ, valetudinariam vitam, ex alvo plerumque coacta degens, ceterum ſanus), in præſenti capitis dolore, aurium tinnitu, ac pulſu debili, fereque aliquando deficiente, cum tenebricoſa vertigine & vocis tarditate manuumque ſtupore tentabatur: inſuper oculi renitebant, pupillis ſolito amplioribus. Qua poterat voce narravit, ſe ante dies quatuor ex aſſumto veſperâ pulte, vehemente colico dolore fuiſſe correptum, animi quoque deliquium paſſum fuiſſe; & ab eo tempore nihil ſtomachum continere potuiſſe, quin protinus, vel brevi poſt aſſumtionem redderet; alvumque pertinaciter clauſſam eſſe, neque quidquam demittere. Sanguis ab arceſſito chirurgo miſſus eſt, dataque fuerunt præbia aliquot pulv. abſorb. cum Rheo: quæ cum deſideratam opem non attuliſſent, in iis deſitum eſt. Me Medicum ſibi expetiit, eâ ſpe, ut alvum præter modum conſtrictam ducerem. Pulſum arteriarum ægroti tangens, ſub datâ illâ narratiunculâ ſenſim adeo deficere percepi, ut ad reliquum præſagii tenſurus foret, videretur: brevi quoque tempore poſt concidebat. Languentem ani-

(*f*) *Coacarum Prænotion.* no. 161. Foësii Sect. II. pag. 144.

animum ſpiritibus volatilibus, atque acerrimo e-piſpaſtico ex Raphano ruſticano recenter effoſſo in nucho, revocans, in clyſmate forti ex ſennæ mundatæ uncia totidemque Nitri & Mellis, ex Decocto flor. Chamæmeli & Sambuci, adminiſtranda feſtinavi: quo immiſſo, celerem alvum nonnihil ſtercoraceam dejecit, cum levamine præſentium & comminantium ſymptomatum. Nauſeoſo dabantur Acida ſalina oleoſa ſaponacea, vomitûs proſpiciendi gratiâ; quibus melius ſe habebat altero die, a principio *ſexto*. Hactenus nihil volvuloſi, aſt potius mucoſæ indolis vitium maxime inteſtinis ob tenacitatem muci, vermiumve conglomerationem vim inferens, iſtorum malorum cauſſam habens; admodumque torpidum ſyſtema nervoſum eſſe, doſin Elect. Hieræ picræ Galeni devorandum præbui, excipiendam Decocto ex Rad. Aperient. Feniculi Graminis Petroſelini, & cum ſimul de difficultate lotii reddendi querimoniam haberet, Herb. Parietariæ & Sem. Feniculi dulcis, adjunctis ſale medio & Manna; ut per omnes ſimul vias, quantum in me eſſet, torpidam Naturam in actum ducerem; aptamque ad ſuſcipiendam febrim redderem (*g*). Circa verò veſperam, nihil per inferiora demiſſo, anxietates rurſus adeo motæ ſunt, ut ſimulacrum heſternum edere viderentur. Ad ægrotum iterum vocatus alterum Enema, cui ad ſufficientem quantitatem ingrediebantur Fol. Sennæ, Abrotani, Gratiolæ, Men-

(*g*) Quodammodo autem noſtro collineare videbatur quæ Sagax Cous *Aphor.* Lib. VI: 51. memoriæ prodidit: „ Quibus bene valentibus capitis dolores derepente contingunt, „ ſtatimque voce deficiunt, intra dies ſeptem pereunt, niſi „ febris eos prehenderit."

Menthæ, fummit. Centaurei min. Hyperici, addito Elect. Hier. Galeni, ftatim infundere juffi; præfertim, quoniam animatam potentiam his afferre fymbolam quoque fuam, fufpicionis erat affinis. Alvum nunc mucidam verminantium familiarem, parum iterum ftercoraceam cievi, rurfus cum fedatione memoratorum: quam ob cauffam guttas etiam quinquaginta ex Afæ fœtidæ & Succini tinct. cum C. C. fpiritu, ad partes æquales, partitis vicibus affumfit; quibus adminiculis egregie ita levatus eft, ut in fomnum placidum inciderit. *Septimo*; mane, ceterum bene fe habente, nondum vero fponte fuâ demiffâ alvo, Enema ejusdem ac ultimæ formulæ denuo injiciebatur, qua iterum alvum mucidam dejecit. Pomeridiano autem tempore, tantâ iterum correptus eft anxietate, ut priores longe fuperarent. Violento vomitu materiei vifcidæ glutinofæ atque horrendæ fœtentis magnam copiam rejecit, quo facto in fyncopen cecidit. Precibus, ne miferum defperatum defererem, petitus, cum animus interea ad fe rediit, adfui noftro: cum pulfu debili, intermittente, pupillis amplis, atque falivæ hiante ore continuo effluxu, iterumque naufeofus ac molefte nares fricans, perinde ac fi vivum pungens aliquod ipfis inhæferit, erecto corpore in lecto fedebat; infuper mafticabat, cum iteratis deglutiendi nixibus. Quibus omnibus fedulo perpenfis, admodum mihi, fateor, aucta fufpicio de vermibus eft. Exonerato itaque a nocivis contentis ventriculo fola tinctura Afæ foetidæ ad drachmam, ex vehiculo fimplici, omni horâ vel bihorio, pro ut res poftularet, duobus fimul tibiis adplicatis veficatoriis, fumenda commendavi, felici equidem eventu, ut lethifera hæcce fympto-

mata

mata poſtea non ita prodierunt. In ſomnum aliquot horarum incidens, febriculâ quadam ſubinde feriente, refectus evigilavit. Urina jam nonnihil turbida coloris citrei præſagium futuræ coctionis tulit. Quapropter Mixturam ex pulveris Anthelmintici drachm. duabus, ſyr. Cichor. cum Rheo unciâ, ſp. Mindereri duabus unciis cum ſex Aquæ ſt. Petroſelini, junctis duabus drachmis liquoris anodyno-mineralis HOFFMANNI, propinavi. Nullus ſubinde vomitus, neque dejectio. *Nono* vero riguit, ſudavit atque ſedimentum urina depoſuit albidum, parum mucoſum, nulla ſuperſtite anxietate, neque dolore; alvus tamen adhuc adſtricta. Uſque huc experiundi cupidus, præmiſſo olei Lini cyatho, horiſque aliquot elapſis, purgans fortius devorandum propinavi: circa veſperam autem, purgante non ciente alvum, motæ iterum anxietates ſunt; unde clyſma ac ante reiterabatur. Alvus & nunc ducta mucida eſt, nullus tamen lumbricus excretus fuit; attamen verò ſubeſſe pertinaciſſimæ huic alvo duræ, omnia litigare videbantur. Viſo tandem purgantium ope in pejus ruere incepta proſpera Naturæ molientis, Linimento ex pulv. Colocynthid. Hier. Galeni, Aloës āa drachm. media, cum ſemiuncia. ol. St. Abſynthii & ung. Nervini; adplicato ſimul ex Enematis ſpeciebus abdomini cataplaſmate; conceptam inteſtinorum interceptionem reſerare ſtudui *undecimo;* viresque exhauſtas refocillare Emulſione analepticâ: indies melius pulcre vires redierunt. Alvus ut ante pertinaciter clauſa manſit, vixque ullum levamen obicis canalis alimentarii auferendæ attuliſſe videbantur Linimentum & Cataplaſma, quæ ob moleſtum pruritum adimenda erant. Volvuloſæ jamjam affectionis chronicæ confirma-

tâ

tâ diagnosi, secundum mentem Cel. HOFFMANNI (*b*) Decoct. Mercurii crudi depurati cum quarta parte Vini albi Gallici nostro propinavi, idque irrito quoque successu; Emulsionibus cannabinis multoque olei pariter frustra ingestis. Ingentem ac ante muci tenacis atque fœtentis quantitatem evomuit: sponteque sua petiit, ut clysmate alvum moverem. Stercoraceam denuo parumper & mucidam subramentosam, ast non verminosam, saltem quantum oculis nudis animadverti poterat, deposuit. De molestâ Cardialgiâ queri cœpit: hâcque vix sedatâ, de integro vomitus ciebatur. Elixir Vitrioli acidum, guttatim frigidæ coctæ instillatum solum nunc dabatur; cujus usu continuato vomitus atque dolor compescebatur; atque, quod summa, alvus suapte soluta est, quæ vel fortissimis purgantibus protractis duci non poterat: quo pacto, duarum triumve septimanarum spatio, ad tantam pervenit sanitatem, quâ, ipso referente, per duo abhinc lustra, fruitus quidem non esset; manum præ dolore fere semper lateri imponere coactus: dolor autem iste plane nunc silebat. Multo tempore præterlapso, in ipsum incurri, salutis ejus anxius cognovi, se semel adhuc immanes, ac omni captu majores, cardialgicos cruciatus passum fuisse; dubiumque, præ doloris gravitate, consilii, in mentem revocasse, me antea in syncopticâ & dolorificâ cardialgiâ suasisse, multum lactis tepidæ ingerere, ut dolor sopiatur, vel vomitus commode cieretur; quo facto, dolor magis ac magis increvit intolerandus, donec in violentum ac celerem vomitum erupuerit, quo simul dolor exulavit: aliquo porro exinde tempore

(*b*) conf. *M. R. S.* Sect. II. cap. IV. obs. VII. in epicrisi. Tom. II. pag. 284.

pore ex lardi appetentia alvum fusam habuisse: nulla postea pharmaca assumsisse: usus est victu tenui, parca quantitate, metu ne malum recedat. Ceterum belle se habere, sensimque cibo duriori assuefactum fuisse, atque indies valetudinem firmare.

EPICRISIS.

Naturam singularis hujus morbi, arbitrio malo alterius permittere, quam minûs apposite de eo existimare. Animata enim potentia tot notis conspicua sub oculos non cecidit. Vehementer ceterum intestinorum lumen fuisse coarctatum, materies fœculenta emissa condocuit.

ÆGROTUS TERTIUS.

Puer orphanus annos natus duodecim, diris correptus est convulsionibus, ut artus supremi dorsum versus traherentur, simulque oculi totaque facies vehementer torquerentur. Sedatis his, altero die in consilium vocatus sum, puero ad me misso. Pulsus adtactu percipiebatur debilis non admodum intermittens; Lingua fere naturalis, humida, leviter tantum, ex albo flavescens; pupilla consueto paulò amplior; urina coloris citrei tenuis. In anamnesin inquirens nullam caussam manifestam inveni prægressam, præter leviorem abdominis cruciatum. Lumbricos proximam mali caussam salutans, Mixtura ex pulv. Anthelm. Störk, Oxymelle Scillitico cum Aqua Raphani simpl. dabatur illicò. Puero domum reverso, *quinto* ab initio litteris denunciant, insultus circa vesperam ingredientes perseverasse, attamen paulò evasisse mitiores: alvum tardam esse & vix ductam fuisse

fuiſſe a medicamento. Pulveres purgantes paullo fortiores leviter martiales, ſingulo mane devorandi dati ſunt; Junctâ Mixturâ, cui larga ſatis Rad. Valerianæ, ſyr. Pœoniæ & tinct. Aſæ foetidæ ingrediebatur doſis, ut vermes ſimul & violentos motus epilepticos obirem. *Decimo* iterum litteras accepi, quibus certiorem me faciunt, Hæmiplegiam pridie latus pueri ſiniſtrum occupaſſe, totumque brachium evaſiſſe paralyticum; & dimidiæ horæ ſpatio, antequam invaſerint inſultus epileptici, ſævis agitatam fuiſſe faciem convulſionibus, ſenſim verſus brachium, latusque ſiniſtrum, atque totum corpus gliſcentibus; quibus ſedatis, per bihorium catocho prehenſum jacuiſſe puerum: narraverunt inſuper nuncii lumbricos teretes ſeptem partim vivos vomitu fuiſſe rejectos. Frigidum laceſſitumque puerum Antiſpasmodicis ex Liliorum convallium & parum ſalis ammoniaci ſpiritibus, cum Aſæ fœtidæ Tinctura, cum vehiculo diſcutiente fruſtra excitare ſtudui; quippe aſſumere eadem noluit. Pilulis verò egregiis Hoffmannianis, lumbricos aliquot rurſus dejecit: Veſicatoria ſimul imponebantur tria; in collo unum, reliqua ad tibias. Aliquid inſuper vini Malvatici propinare puero debili conceſſi: quin experiundi virtutes oleoſorum cupidus, ut etiam a quotidianis purgantibus abſtinerem, ſummo mane cyathum olei olivarum dare juſſi, horisque aliquot elapſis vini Malvatici totidem. Convulſiones inde non auctæ, paralyſis tamen eodem in ſtatu, quod ex litteris *decimo quarto* datis intellexi: vacaſſe enim a convulſionibus puerum; ſed multo evaſiſſe debiliorem; excernere quotidie lumbricos, alvumque ramentoſam, multâque refertam pituitâ. Debilem quidem adtendens pueri conditionem, vermium-

miumque ingentem turbam, incubuit mitiſſimis expulſionem eorum foras curare motusque inſolitos convulſivos comprimere. Formulam præſcripſi ex Rad. Valerian. ſylv. unc. ſemis, Sal. polychreſti drachm. ij. Rhei drachm. j. cum Syr. Pœoniæ q. ſ. ut quater de die ſumeret bolulum ex vino. *Decimo ſexto* litteras iterum accepi, quibus conſtitit, denuò puerum paſſum fuiſſe inſultus epilepticos, & quidem ter poſt ultimum reſponſum, non tam violentos, aſt per bihorium protractos, ideoque diuturniores. Quapropter pueri debilis delaſſatâque conſtitutione, vermium frequentiâ atque ſymptomatum pertinaciâ conſideratis, proſperæ ſanationis ſpem abjicere quidem coepi. Corticem nihilominus Peruvianum, juncta Rhei parva quantitate, ut confortando vermium reliquias expellerem, hodie exhibui. Defuerunt quidem convulſiones; aſt increvit debilitas, paralyſis immobilis; vermes ultrà non viſi ſunt; alvus verò putrida nigras dejecit fœces; urinæ excretio involuntaria, metus inſtantis Gangrenæ, quæ coxygem, forſan & interiora, occupavit. In uſu corticis perſtiti, quamvis mortem brevi expectarem, quemadmodum, diebus aliquot; haud ita diu poſt, intellexi, prægreſſo vomitu cruento ſatis inſigni, quo ſimul a vita diſceſſit.

EPICRISIS.

Tanta copia in ventriculum ſurſum vagati vermes, etiamſi ore rejiciantur, rarò in juvenili ætate ſalutem adferunt (*i*). Inſignes autem nervorum cardiacorum cum aliis conjugationes tantâ cater-

(*i*) Plura de his vide infra cap. IV. ſect. II. in *Scholio*.

catervâ affectæ, corpus nimis in consensum trahunt, quam ut salutares effectus præsagire spe certâ possint. Oleosa quoque in cachecticis, labefactatisque corporibus, quanquam virtutem anthelminticam exseruerant, nocere potius quam conducere, postea deprehendi. Ceterum motus convulsivi in binis hisce puerulis crudeles admodum torserunt, nec multum ab iis, quos vivis adeo coloribus depinxit TRINCAVELLIUS (*k*), alieni; ubi *opisthotono correpti, retrorsum in tantum convellerentur, ut pene calcaneis caput contingeret*, exhibentur. Quin ex ægrotulo nostro iterum de malignitate, gangrænâ coxygem, forsan & interiora occupante, cum animatâ potentiâ judicium facere integrum est.

ÆGROTUS QUARTUS.

Debilis leucophlegmaticæ constitutionis femina, cui partus prope instabat medio mensis Maji 1762. meum imploravit auxilium. Pulsus debilis, nonnihil intermittens, facies pallida, cum oculis quasi in sinum excavatis sublachrymosis, ac pupilla modice plus dilatata, lingua pallida, humida, lata, leviter incisa, vix tamen vel nihil obsessa. De dolore in latere dextro questa est, sed confuse adeo, ut sermonem arrigere non potuerim. Terminos articulate pronuntiandi impos, statim e recto tramite decedit, modo tria quatuorve verba extrusisset. Quibus perpensis, cum nulla alia caussa manifesta appareret, de vermibus intus stabulantibus mihi nata suspicio est. Systèma nerveum torpidum & corpus minus justo irritabile admiserunt

(*k*) *Enchirid. Medic.* edit. A. CHRISTIANI. pag. 723.

runt paullò calidiora, quibus naturales incitarem, insolitos refrænarem motus. Ast quæ semper medicamentis adversa, etiam ne nunc quidem avide assumsit eadem; expetens gratiora, quæ minus prompta nunc apparuerunt ad hocce malum debellandum. Dabantur tamen Acida quædam grata, sub titulo cardiacorum nota, quibus acidi minerales guttæ quædam ad debitum acorem installatæ sunt. *Sexto* verò die, latus dextrum hæmiplegiâ correptum est. Leniora purgantia leviter confortantia, ne nimis movendo utero obessem, viso pejora minitare ægritudinem suam, nunc assumsit, & parum iisdem levata conveniebat etiam ipsi, ingratiora quæ morbi vis postularet, exhiberi. Inter hæc egregie votis respondit oleum animale Dippelii. sc: hujus gutt. XXX. in Elæosacch. redact. atque in doses vj. divis. omni trihorio præbium accepit. Paralysis nempe multum inde imminuta est, major etiam vocis fuit potentia, minusque dolorosa regio hypochondriaca dextra. Pariter pilularum ope putrida ramentosaque materia evocata, nondum vero integre sublata nervorum resolutione, altera vice viginti quatuor guttæ inque etiam doses sex divisæ laudati medicamenti ex usu fuerunt, semelque adhuc iteratæ. Unde adeo imminutum malum est, ut pedem atque brachium moveret, neque amplius fere adessent verminosa symptomata; quare gratis Acidis, interpositis aptis purgantibus, reliquum putridi magmatis corrigere atque expellere, ultimum pensum fore existimavi. Veruntamen diebus quinque vel sex bene transactis, nescio qua de caussa, cruorem, quemadmodum in ægroto prægresso annotavi, quamvis minore copia, sursum excrevit. Mucilaginosis paucisque confortantibus symptomate hocce sub-

 lato,

lato, poſt aliquot deinde hebdomadas vivum vegetumque fœtum excluſit. Nondum tamen vacaſſe lumbricis noſtram, etiamſi vegeta ſatis pro modulo ſanitate fruita eſſet, brevi conſtitit; quippe, duobus vix elapſis menſibus, in priſtinum morbum incidit. Paucis iterum aſſumtis antidotis, rurſus convaluit: attamen vero vereri tunc temporis cœpi, ne unquam, ob mancam & truncatam medelam, ad perfectam ſanitatem perveniat. Menſe autem Decembri recruduerunt animata ſymptomata: ab ingeſtis nunc una alterave doſi Elect. Hieræ S. Galeni, præmiſſis fragrantibus paucis, lumbricos aliquot teretes excrevit; quibus levata, ut ante, ſubſtitit. Brevi dein tempore leucophlegmatia moleſte affecta, ſub limine Martii 1763. auxilium ultimum a me petiit. Debilis huic in præſenti conſtitutio, mortis imaginem externa facie referens, ſuadebat, præ fortioribus, Laxantia leviter cardiaca in uſum vocare. Diagnoſi animatâ perſpicuâ, nullis vero hactenus emiſſis lumbricis, aut vel nido remotis, ex Salis Abſynthii drachmis duabus, Syrupi Cichorei cum Rheo uncia, cum ſex Aquæ Raphani ſimplicis, dabatur mixtura, omni trihorio cochleatim ſumenda: votis tamen non reſpondit. *Undecimo* ſiderata evaſit, & absque neceſſario auxilio, conſuetis huic malo adverſis tentabatur. Decrevit quidem aliquantum morbi vis, ſed non ita, ut ſanandi inde ſpes affulgeret: manſit autem hæmiplegiâ correpta; internis ſenſibus videbatur uti, quibus aliquando & interruptis verbis pie animam ſuam DEO SALVATORI commendavit. Hoc in ſtatu manſit ad decimum ſeptimum morbi diem, quo vitam cum morte commutavit.

ÆGROTUS QUINTUS.

In anula sexagenaria majore, jamdiu valetudinaria, similia ferme observata sunt: scilicet Paralysis manum dextram, ejusdemque lateris pedem, una cum ventris crucitatu, atque salivæ majore solita secretione in nostra occupavit. Huic & per menses tres omni medelæ genere medicinam feci: multos quidem lumbricos teretes, degeneratæque putridæ materiei magnam copiam expulsi; paralysin etiam eo usque mitigavi, ut pedi insisteret, ac stipitis ope lento gradu incederet; salivæ quoque spontaneam excretionem multum imminui; ad integram tamen sanitatem eam perducere haud licitum est, cum inopinato, quemadmodum audivi, nam aberat ab hinc milliaribus quinque, mortua est.

EPICRISIS.

Cum & solitis evacuationibus retentis (*l*), Paralysis & Hæmiplegia insequi soleant, mirum non est, tam crebre verminantibus evenire. Copiosa autem saburra verminosa jam aliquamdiu in intestinis detenta, subdola sanguini irrepit, unde raro provecto morbo simplici crisi affecti liberantur (*m*), quin,

(*l*) Cel. BOERHAAVE *de cognosc. & curand. morb.* §. 1060. & Ill. VAN ZWIETEN in eundem Aphor. Tom. III. pag. 355.

(*m*) Crisium Acutorum alia, alia vero Chronicorum ratio est: in illis autem vividiore motu pepasmum subeunt, celerrimeque per varios corporis meatus aguntur, aut simplici evacuatione materia peccans elicitur. Quodsi ea quæ supra de natura crisium in Acutis (*Schol.* II. sect. I. cap. III.) dicta sunt, in animum vocantur, multum opinor illustrabunt, quæ extremis tantum digitis hic loci attingi possunt.

quin, præter alvum verminoſam liquidam, ſæpe ſudores, urinas hypoſtaticas, cutis orisque exulcerationes, atque narium aliquando hæmorrhagiam, deſiderent. Unde ratio in promptu eſt, quare tot modis totque adminiculis ſemet ab intus, præter naturam, contentis, exantlare natura conatur, febriculam iteratis paroxysmis movendo; quâ, ſi viribus fracta, aut vel etiam in ſalutari ſuo molimine, materiâ morboſâ jam nobiliora loca petente, impediatur, quo minus ad apta emunctoria eandem alliciat, ſæpe ſuæ impotentiæ pœnas luere oportet; unde nervorum reſolutiones criſesque malæ naſcuntur inevitabiles. Purgantia igitur Anthelmintica, etiamſi admodum proficua ſint in malo ab encephali ſtaminibus avertendo, atque ſæpiſſime conſociali quodam vinculo diureſin movendo, non tantum hîc, quantum in Acutioribus, præſtare poſſunt; ſin minus circa exordia data fomitem radicitus exſtirpent. —— Parum vel nihil febricitavit Ægrotus tertius, quarti & quinti; urina plerumque tenuis erat, niſi in quinto, cui diu hypoſtatica; quartus incipiente, tertius verò exactâ jam gangrænâ, quæ forſan largiori narium hæmorrhagiâ præſcindi potuiſſet, perierunt. Ne tamen omnis narium hæmorrhagia critica in verminantibus habeatur, quædam hujus generis ſequuntur Hiſtoriæ.

Ægrotus Sextus.

Juvenis annorum duodeviginti, dolori colico ſæpius obnoxius, una cum capitis dolore moleſtiſſimo, oculorum rubra ſuffuſione, tantaque pupillarum amplitudine, ut iris præſentiam ſui non faceret, multisque verminantibus conſuetis pathemati-

matibus affectus, largiorem narium hæmorrhagiam, perque dies aliquot protractam ſuſtinuit; multum inde debilitatus auxilium a me petiit. Pulſus erat debilis & parvus, manentibus ut ante inteſtinorum cruciatu cum interaneorum indiciis. Quare, non obſtante ejus debilitata conſtitutione, Anthelmintica purgantia præ ceteris mihi utilia viſa ſunt; quæque per epicraſin data, noſtrum, inductâ fuſâ, ramentoſâque alvo, intra quatriduum ad priſtinam ſanitatem, fugatis ferarum pathematibus, perduxerunt.

SCHOLION.

Hæmorrhagia narium in verminantibus rarior critica, ſæpius vero ſymptomatica & chronica, licet febre vacuis oboritur. In noſtro autem, quamvis partim critica, ob ſymptomata ab HIPPOCRATE (*n*) in tertianis hujuſcemodi deſignata, ſalutanda ſit; ſymptomatica tamen ſimul, eò quod citra febrim obambulaverit noſter, ſalutari illa poteſt, quod non inſolens in viſcerum infarctione ac obſtructione, eademque de cauſſa in inveterato ſcorbuto, cachexia atque demum lienoſis animadvertitur. Unde facillimo negotio intelligitur, eandem quidem in verminantibus, quibus tot tantæque viſcerum contingunt obſtructiones, crebrius obviam eſſe. Quin quibusdam chronicis affectionibus, ut ſupra indigitatum eſt, ad præcavendas ſanguinis congeſtiones, indeque naſcentes inflammationes atque gangrænas, ſalutaris criſeos vice fungi. Ex moleſta vero vermium irritatione, ob quam infantes verminoſi naſum perpetuo fricant,

(*n*) *Prænot.* FOËSII ſect. II. pag. 46. lin. 17.

cant, ſpaſtice & ſymptomatice ſæpe quoque contingunt. In quibus facies plerumque cernitur defœdata, plumbea contracta, oculi excavati, cincto halone livido, cum pupillarum dilatatione, renitentes; extremorum perfrictione, plurimaque in abdomine pathemata, unde & capitis aggravatio. Dubium quamvis movere poſſet in verminante quodam 30 annorum, cui inter manifeſta lumbricorum phænomena, præſertim in oculis, lingua, pulſu atque urina, *undecimò*, vermibus pertinaciter medelæ rebellibus, purgans antea validius propinatum fuerat, hæmorrhagiam narium tantam contigiſſe, ut animi deliquium ſubierit & ſtiptica conſueta turundis naribus immittenda eſſent; cum demum, potentioribus dein in lumbricorum necem datis, expulſi ſint ingrati hoſpites. Idem ſub iisdem conditionibus evenit alteri, *tertio* die, dato purgante medicamento; unde potius a purgantium irritamentis, auctis eorundem a vermibus, natæ his videntur. Ambo hi obambulabant, ſuisque muniis vacabant. —— Quin *verminoſorum hæmorrhagiæ* Hippocrati innotuerunt, ex *Prorrheticorum* ſententia (*o*), *Quibus ſuppreſſa alvo ſanguinem ex naribus fundunt*, *aut novo ſubinde oborto rigore corripiuntur*, *iis fortaſſe alvus inteſtinorum lævitate laborat & obdureſcit*, *aut tenues lumbrici* (*aſcarides dicti*) *infeſtant*, *aut utrumque*. Aliquando & per plures meatus hæmorrhagias ſpontaneas vermes cieunt, quod vel ſubnexa hiſtoria quodammodo coarguit.

(*o*) Text. 138. Foësii ſect. II. 79. cum *Coac. præn.* 344. Foës. ib. pag. 173.

Ægro-

ÆGROTUS SEPTIMUS.

Obſtetrix quadragenaria major crudeliter & aſſidue fere vermibus obſeſſa, omnis etiam generis pathemata ab iisdem perpatiens, nunc in brachiis, in capite, in collo, præſertim circa præcordia, inque abdomine moleſtas cardialgias, nauſeam atque abdominis cruciatus, cum validiſſimis parturientium doloribus haud abſimilibus nixibus; unde ſtranguria atque dolores ſubiſciadici nonnunquam inſequuntur: hæmorrhagiam narium ſæpe experitur, & magis etiam uterinam; adeo, ut binarum ſeptimanarum ſpatio, menſtrua & copioſe quidem ipſi ſub memoratas turbas prorumpant. Medicamentis vero, infeſtis hoſtibus adverſis aſſumtis, brevi tempore ſilent ſymptomata ſarta. Sæpe quoque ſponte vermes exeunt; ſed non diu ab iisdem vacat, quin catervatim redeant. Eryſipelate in facie nonnunquam prehenſa eſt, mentisque alienatione. Aliquando, ſimplici medicamento fugantur, quæ alio tempore heroicis vix cedunt.

ÆGROTUS OCTAVUS.

Puerulus excedens ſexennium veluti ſucceſſionis ordine ſubito capitis dolore prehenſus eſt, cum vocis aphoniâ parapoplexiam minitante. Clyſma purgans anthelminticum ſtatim injiciebatur, nam e regione habitabat: alvo brevi fuſâ, cum ſedatione capitis gravedinis, vocisque impotentia, reliqua metuenda ſymptomata diſſipata ſunt; & puer ut ante alacris poſtridie lumbricum teretem robuſtum depoſuit, atque ſanitati integre

reſtitutus eſt, ut nullum amplius pharmacum aſſumſerit. Pupillæ erant magnæ nigerrimæ.

Ægrotus Nonus.

Puella decem annos nata ſæpenumero verminoſorum afficiebatur ſymptomatibus, ſubinde ſtupore extremitatum ſuperiorum, dolore in brachiorum parte poſtica ſtipato, præviis ex inteſtinis atque capite labore, tantaque oculorum acie, quâ amauroſin temporaneam ſubiit. Attamen vero promptiſſime atque miraculi inſtar hæc omnia fugata ſunt, ex præbiis aliquot tinct. Aſæ fœtidæ, interpoſitis uno alterove pulvere terreſtri atque anthelmintico purgante, ut ex intervallo iisdem immunis, pulchre valeret.

Ægrotus Decimus.

Puellula altera ex prægreſſa faciei & oculorum affectione fatuæ inſtar decubuit obſurdeſcens, oculis lacrymoſis, atque cerebri totius perturbatione; quæ neque ad ſoporoſum aut paralyticum genus referri poterant, cum mente non prorſus aliena eſſet; ſed torpebant maxime tum in ſenſibus externis tum etiam internis omnes perceptiones, ut vera anæſthesia ſeu inſenſilitate prehenſæ eſſent. Nihilominus rediit ad ſe externa abdominis illinitione, & quatuor Mixturis Anthelminticis aſſumtis, emiſſis aliquot infeſtis hoſtibus, intra quatuordecim dierum ſpatium.

Ægro-

ÆGROTUS UNDECIMUS.

Finem hiſce imponat hiſtoria ſingularis, quæ ſimul portentiſſima potentiæ animatæ ſymptomata, & inconſtantis hujus agendi vim patefaciat.

Operarius quidam ætatis mediæ frequenti abdominis cruciatui obnoxius hæmoptoën validam paſſus eſt, ob quam ſanitati ſuæ conſulendi opem ſolitam a me popoſcit. Ex præſentibus & præteritis morbi ſignis inveterata mucoſi morbi labes in prima officina manifeſtabatur. Quam ob rem exhibitis quibus lethali hæmorrhagiæ occurri poſſit, mali cauſſam aptis purgantibus ſubigere prudenter anniſus ſum. Priſtinis incommodis perquam levatus, *quinto* tamen vocationis die, etiamſi ſatis bene transegiſſet hanc, ſub veſperam ingens animi deliquium ſubiit, nullâ cauſſâ manifeſtâ prægreſſâ. Uſitatis auxiliis in uſum vocatis ad ſe rediit. Potentia morbifica animata prodit, cui in auxilium promptis occurrebatur: & quanquam omnia ex voto procedebant, alvumque verminantium conſuetam indies laxam habebat, immani odontalgiâ, crudeli cephalæâ & omnibus fere quæ ab irritatis faciei nervis excitari poſſunt, cruciabatur. Manifeſta infeſtorum indicatio, præter ſingulam Mixturam reſolventem cum Sale tart. Vitriolat. Tachenii & Rob Sambuci ex Aqua flor. Chamæmeli, verminoſam alvum ducentia tantum admiſit. Excrementa mucida, atque ramenta copioſa quotidie depoſuit; ſenſimque doloris ſenſu carens quatuordecim dierum ſpatio incolumis evaſit, ut in hanc diem immunem illum huic morbo conſpexi.

EPI-

Epicrisis.

Conceſſo, violentioribus ſpasmodicis contractionibus ſanguinis congeſtiones in variis corporis partibus produci, indeque levi de cauſſa hæmorrhagias ſpontaneas naſci, mirum non erit potentiam morbificam animatam, ſymbolam quoque ſuam in proximâ plurimarum hæmorrhagiarum cauſſâ producenda, afferre ſi adeſt; neque abſurdum & alienum a vero apparet, feras alvinas, quæ in noſtro vim tantam ſenſilibus capitis atque faciei partibus intulerunt, conſuetas hæmoptyſeos cauſſas auxiſſe. Horum autem pathematum natura eſt, ut naſcentibus in corpore vitiis inopinate ſuperveniant, vel etiam primæ mali labi ſocios ſeſe addant; unde vel citius prorumpunt vel violentius accenduntur. Ex adminiſtrata medendi via in hæmorrhagiis ſpontaneis, tam in hocce quam in ſupra memoratis ægrotis, inque multis aliis, plerumque conſtitit, alvum ducentia inprimis proſpere ceſſiſſe, ſi vermes deorſum foras emitti ſeſe ſinant; ſi vero ſtomachum petant, caute cum acribus ſtimulantibus procedendum eſt, quippe non raro moleſtas jam turbas augent, unde & ſanguinis rivus majore impetu cietur: præſtat ejusmodi in caſu demulcentibus, aliquando & opiatis inordinatos motus compeſcere; vel interea terreſtribus ſcabris necem infeſtis inferre, donec evacuatoriæ indicationi apta occaſio fuerit.

Scholion.

Odontalgia verminantibus perquam frequens hacce in terra ſupervenit: mirum ſane tam pauca hujus

hujus exempla in monumentis Medicorum exſtare. Verminantes enim mucoſæ indolis vitio per univerſum fere corpus plus minus obnoxii ſunt, unde in catarrhoſas defluxiones & ſpaſticas contractiones maximopere propendunt. —— Conſueta lumbricorum ſigna in oculis linguâ atque urinâ determinatam diagnoſin manifeſtant. Hinc ut in plerisque verminantium morbis catharſis primarum viarum, quæ hocce in caſu potentius quidem adminiſtranda eſt, ſummum hiſce remedium inſervit.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Ex chronis malis, quæ cum animata potentia morbifica incidunt, plerumque evadunt pertinaciſſima, inopinateque interimunt.

II. Diagnoſi morborum capitis eadem potentia merito aſſignanda videtur.

III. Interaneorum animalculis obſeſſi, propter frequentem capitis dolorem in morbos ſoporoſos admodum proni ſunt.

IV. Paralyſes, Convulſiones, Aphoniæ ceteraque hoc de genere mala, raro comparent, quin dolor in abdomine magis vel minus obſcurus, aut anxietates circa præcordia, quævisve aliæ capitis, aurium vel oculorum affectiones præceſſerint.

V. Quæ (III.) ſi pueris eveniunt, acuta febris easdem ut plurimum comitatur; atque violentis perquam convulſivis motibus agitantur. Hinc dictum HIPPOCRATIS (*p*), *Pueris convulſiones accidunt, ſi febris acuta fuerit, venter non dejiciat, ſi vigilent, perterreantur, plorent aſſidue,*

(*p*) *Prænotion.* FOËSII ſect. II. pag. 46. lin. 23.

assidue, & color immutetur, & ex viridi pallidus, aut lividus, aut rubor contrahatur. In consilio habere opus est, & secundum hanc normam medendi rationem instituere. In adultis vero hæc mala una cum vermibus inveterati mucosi morbi sobolem potius apparent: quam ob rem in his præter alvum ducentia vermesque expellentia primarii morbi ratio simul habenda est.

VI. In omni hæmorrhagia, ubi animatæ caussæ suspicio incidit, tam ad signa pathognomica colligenda, quam eandem blande, ne turbæ magis incitentur, ducendam, alvo prospiciendum est.

VII. Similis respectu diagnoseos cephalææ ratio est, individuæ plerumque earundem comitis. Faciunt & huc oculi renitentes ampli nigri: Pulsus etiam fere debilis inconstans, nunc incitatus atque plethoræ indiciis vacuus. Sudores denique nocturni non minus ad syndromen concurrunt; ut exercitato Hæmorrhagiæ verminosæ, ab ea quæ sanguinis abundantiâ fit, distincta satis diagnosis acquiri potest.



β. FE-



β. *FEBRIS OMNIS GENERIS TYPUS* ET *LEUCOPHLEGMATIA VERMINOSA.*

ÆGROTUS PRIMUS.

Juvenis annum ætatis agens decimum ſextum ex prægreſſa peripneumonia notha convaleſcens, remanente tuſſi ſicca una cum febricula lenta, multa alioquin aptiſſima ad haſce tollendas aſſumſit inutiliter. Incrudeſcente indies malo, totum corpus ſenſim intumuit, perinde ac ſi vera Leucophlegmatia afficeretur; & præter faciem tumidam inflatam pallidam, oculi, circumducto halone, cum pupillis amplis madore ſplendebant. Lingua cruſta ſubjungui coloris fuſci obducta cernebatur. Pulſus diebus intercalaribus, nam brevi poſt vexantem lentam pertinaciſſima quartana inſequebatur, tangebatur parvus exilis. Sudores nocturni copioſi, fætentes; frigidi vero interdiu: urina plerumque naturalis absque ſedimento. Prælapſi menſes ferme ſunt tres, antequam leucophlegmatiam atque quartanam rebellem ceteraque haſce comitantia moleſta ſymptomata ſuperarem. Excluſis autem quadraginta & aliquot lumbricis teretibus, præter modum longioribus atque craſſioribus, qui in inteſtinis ſtabulantes vehementer ſæpius noſtrum excruciarunt, remediis demum auſcultarunt. Nam corpus detumuit atque febris quar-

quartana fugata eſt: attamen vero incommoda ipſi fuit valetudo, ſive hoc diætæ minus congruæ, ſeu amiſſo viſcerum tono, aut denique feraci intus latenti pullitiei tribuam. Sub finem enim Februarii 1761. ſubſtiti, & medio vix exacto Aprilis ejusdem anni menſe, omnia ſupra memorata ſymptomata de novo prodierunt: quartana quoque æque atque ante fuit pertinaciſſima. Omnis generis Anthelmintica & ordine quidem, pariter atque apta Antifebrilia, præſertim & Acida vegetabilia & Mineralia; quum & natura morbi alcalinum ſpontaneum in præſenti indicaret, in uſum ſunt vocata: primis quoque viis debite proſpiciebatur; nunc mitioribus, nunc iterum fortioribus, tandemque Martialibus & cortice Peruviano. Atque his quidem omnibus incaſſum. Etenim quidquid egi cruſtam ſubpinguem, etiamſi quotidie lumbricos, neque minore copiâ atque ante excerneret, de lingua adimere fruſtra tentavi; quoniam ad finem usque Auguſti tempus perdideram. Tribus vix præterlapſis menſibus, denuo quartana vexatus eſt. De pelle linguam obſidente, quum moleſtus quereret, Ipecacuannhâ vomitum cievi; mox pulveres præſcribens ex Salis Polychreſti partibus duabus, Ammoniaci vero ſingula, quorum tres quatuorve quotidie ex ſummit. Centaurei minoris infuſo aſſumeret. Sub horum exordia adeo quidem feliciter proceſſi, ut Corticis Peruviani infuſo vinoſo acidulo febris reliquias victurus, tacite mecum de expugnato hoſte gauderem. Res tamen aliter cecidit. Irriti eventus pertæſi, Roterodamum ſe contulerunt parentes una cum filio ſuo, conſilium ab artifici Medico petituri. Experientiſſimus hicce & mihi æſtumatiſſimus felicior quoque me febrim ſuſtulit. Sed quid evenit? Fruitus ali-

aliquot tantum ſeptimanis dudum amiſſa ſanitate noſter, Martis ſeptimo die 1762. ſæviſſimo tanto inſultu epileptico correptus eſt, quantum ego nunquam videram antea neque poſtea. Scilicet crudeliſſime torquebatur: omnes faciei & oculorum muſculi ne momento quidem erant quieti, firmiter interea apertis palpebris, dum & artus ſupremi & totum corpus vehementer agitabantur; pulſus adeo fortis & plenus & agitatus, raro huic conſimilis reperiundus. Ad noſtrum iterum arceſſitus, verminoſam labem ex prægreſſo malo inveterato non potui non habere cauſſam. Metu vero lethalis Apoplexiæ venam ſtatim pertundi & largiter cruorem educi juſſi; injecto deinceps acri clysmate, veſicantibus & epiſpaſticis larga manu inferioribus ſimul adminiſtratis. Quorum ope convulſiones quidem compeſcebantur, aſt catocho acuto totam noctem ac diem ſubſequentem tranſegit; ſubinde levioribus agitatus ſubſultibus. Laceſſitus admodum ex tanto ipſi imminente periculo circa veſperam ad ſe rediit. Quare lenioribus tantum Anthelminticis potiſſimum ex Rhabarbarinis & Salibus mediis petitis videbatur mercandum. Quibus aſſumtis, magna copia vermium prodibat, licet febrium omnis generis typus æque atque ante obſervaretur, continuæ nimirum remittentis, intermittentis tertianarum nunc, aut duplicatæ tertianæ, vel quartanæ exquiſitæ, alio tempore anomalæ. Lingua phænomena ſupra recenſita etiam exhibuit. Nulla mihi nota remedia vermibus adverſa fuerunt inexperta; nihilo tamen ſecius per totum anni decurſum quam pertinaciſſime perſeverarunt omnia. Vexatum juvenem noſtrum, cum quodammodo melius ſeſe haberet, ſpe curæ perficiendæ fruſtratus ad *Veneratiſſimum ac pio ſemper animo colendum*

dum Præceptorem, Cel. GAUBIUM misi consulendum. Pertinaciam morbi in nostro, totamque adeo sævientem Epidemiam valde miratus præscripsit magnus ille Vir Rad. Valerian. sylv. unc. j. Vitrioli Martis gran. xvj. ut fierent pulv. n°. xvj. & mane ac vespera præbium ingereret ex Herb. Scordii manip. ij. infus. vasculo, ex aqua fervida per bihorium digest. dein colaturæ unc. xvj. admiscendæ tinct. Martis adstr. uncia sem. Syr. 5. rad. aper. uncia j. Rob Juniperini unc. ij. Similiter abdomen inungeret sequente illinitione ℞. Fell. taurin. inspissat. unc. ß. Ung. Martiat. & Nervini āā unc. iß. M. Quibus sedulo per aliquot tempus continuatis, ipsi tamen non rediit salus; neque abierunt vermium symptomata, minime omnium sordes linguæ adhærentes, quæ eidem quasi videbantur innatæ. Increscente rursus in primis viis, indeque in secundas delata putredine, Antiseptica necessaria, interpositis purgantibus, ex usu fuerunt. Viscerum tandem obstructiones ferulaceis leviter martiatis, quibus in autumnum usque usus est, optime reseratæ sunt. Firmiore quidem eo tempore salute gavisus, paullo tamen post doloribus lateralibus fuit præhensus: vermes tunc non visi, attamen mansit lingua in præsens usque tempus squallida, in margine serrata incisa, quod raro quid boni præsagit. Vermes identidem deponit, ceterum sanus.

E P I C R I S I S.

Quanta pathemata concitarunt Juveni nostro vermes, subque tanto medelæ cruciatu adeo feraces! Quam ingens symptomatum caterva! Unde nemo Pathologiæ animatæ gnarus dubitat, quin tantæ ægritudinis proximam caussam subministrarint.

rint. Notham Peripneumoniam verminantibus perquam familiarem prætermittam (*q*); quemadmodum Leucophlegmatiam verminantium ad ægroti proximi ſequentis hiſtoriam dabo; Quartanæ tantum pertinaciam hic loci perpenſurus. Lumbricorum jugiter renaſcentium præſentiam viſceribus hypochondriacis malam diatheſin, ac per univerſum corpus diſpoſitionem cacochymicam induxiſſe, unde febriles paroxyſmi increverunt, graviusque afflixerunt, palam eſt: Varias præterea bilis ſyſtematisque meſenterici degenerationes ad intermittentium aliarum, præter quartanam, propenſionem feciſſe, nemo inſuper non compertum habebit. Immo etiam conſiderato, ingentes quæ in prima & ſecunda officina aderant depravationes, Naturam ſalutarem medicatricem ſua quoque vice intendendo motus febriles ſalubri conamine ſtuduiſſe reſerare obſtructiones inveteratas, ut ita febrim quartanam protractam (*r*) continuaverit: ſuffocatâ autem intempeſtive, horrendum in modum convulſivi motus orti ſunt, qui, vermium vero nido deſtructo, reſolutisque viſcerum obſtructionibus, demum ſilebant. Ceterum omnis generis febres expulſione vermium finitas eſſe, videre licet in *Act. Phyſ. Med.* (*r**)

S C H O L I O N.

Quartana verminantibus crebro obvia datur tam exquiſita quam duplicata & anomala. Hepar acinoſum,

(*q*) Confer. cap. III. ſect. IV.

(*r*) Confer. F. HOFFMANN. *M. R. S.* Tom. II. pag. 25. ſect. I. cap. II. §. XIX.

(*r**) Vol. III. 163. append.

nosum, lien induratus atque mesentericarum glandularum obstructiones, ne dicam præter naturam muci atque pituitæ tenacis abundantia, hanc efficiunt rebellemque protrahere consuescunt. Illud post venerandam antiquitatem pluribus observationibus corroborarunt FERNELIUS & NICOLAUS PISO. Plurima hujus exempla prostant; pauca sufficient ad demonstrandum, optimam plerumque medendi methodum sine successu fuisse administratam, omissa debita in vermes indicatione. FORESTUS quartanariam diu vexatam interaneorum infestorum expulsione curavit (s). Infans quoque, cujus historiam tradidit ANDRY (t), frustra per tres menses cortice Peruviano usus erat; nec febri, nisi quatuor lumbricis prægrandibus emissis, liberatus est. Sæpenumero in ejusmodi ægrotis pericula de industria feci, in febre hacce solis Antifebrilibus profliganda: perrarò feliciter id mihi evenit, quin diu vexatos, solventibus atque expellentibus, vermibus liberarem; immo sæpius comperi, solum corticem Peruvianum, quamdiu nido inhæreret animata potentia, vix vel nihil virtutis suæ anthelminticæ exseruisse, sin minus incidentia apta, aut purgantia stimulantia ipsi juncta fuissent. Quarta gialappæ parte addita effectum desideratum aliquando præstitit: omnium vero facile palmam præripuit, Sale polychresto & Rad. Valerianæ simul admistis. Potentiæ animatæ Diagnosis ex oculis linguæ aliorumque vermium indiciis facile satis manifestatur; attamen verò rarò ante nidi solutionem urina consueta phænomena

(s) Lib. VII. obs. XXXVI. pag. 229.
(t) *De la Generation des Vers*, pag. 89. edit. 1701.

mena exhibet, vel limoſa, aut ſedimento albo mucoſo prædita cernitur.

ÆGROTUS SECUNDUS.

Mulier gravida inter pathemata pregnationi æque quam vermibus intus afficientibus propria, levi icϑero cum febre lenta inordinata auϑaque ſub veſperam afficiebatur: ſenſim etiam in Leucophlegmatiam metuentem anaſarcam incidit. Facies pallida & una cum univerſo corpore lymphâ turgida, oculi lachrymoſi ſplendentes cum pupillis amplis. Varia in auxilium alias aptiſſima pharmaca, quæ ipſi ex lenioribus fuerunt propinata, aſſumſit absque ſenſibili levamine, manente fere eodem in ſtatu morbo. Partum autem ſeptimeſtrem enixa, lumbricum teretem per inferiora depoſuit, quo valde levata eſt; unde brevi tempore poſt & icϑerus & incipiens anaſarca diſſipati ſunt.

ÆGROTUS TERTIUS.

Femina leucophlegmaticæ conſtitutionis, cutis inſuper ſcabritie, ceu exanthematibus chronicis, cum febre lentâ anomalâ jam aliquo tempore laboraverat, quum ad eam arceſſerer. Omiſſa debita attentione, nulla mihi in hacce fuit de vermibus ſuſpicio. Remedia temperantia antacida leviter diaphoretica præſcripta ſunt, quibus ſanitas ipſi redire videbatur, ut domeſticis quoque præeſſet rebus. Cum autem culinæ proſpiciendæ gratia, in areâ, in aperto aëre aliquid quæreret, accidit, ut ſubito humo proſtrata ſit, tota quanta ſenſibus expers & motu: obrigeſcentem noſtram in cubiculum portarunt vicinæ mulierculæ. Per dimidiæ

horæ ſpatium eodem in ſtatu manſit, dum interea Spir. Sal. volat. oleoſi aliquid ex vino ei propinarunt, quem tamen deglutire non poterat. Tandem & auxilium meum petierunt. Pulſus adtingebatur debilis non tamen admodum inordinatus: oculi clauſi nullam in præſenti animatam diagnoſin poterant indicare: anxietas ſubter præcordia magna, quam anxiis profundis ſuſpiriis teſtabatur. Exploratâ ſimplici quodam potu deglutione moleſtâ, guttæ quædam Tinct. Caſtorei cum Liq. anod. min. Hoffmanni, quibus augebantur anxietates, ingeſtæ ſunt. Materiam ſubnigram brevi poſt evomuit ægerrime, miris cum maxillæ inferioris motibus; linguam perinde ac ſi cibum capere, eumque ſubigere vellet, extrudens. Vomitu nonnihil levata noſtra, curavi, ut in lectum eam ponerent. Deglutiendi facultatis neſcia, agitavit maxillam, quam primum potulenti quid ipſi datum fuit, perinde ac ſi cibum ore asſumſiſſet; omnibus inſuper enitens viribus, ut imaginarium bolum deorſum verſus ſtomachum pelleret. Ejusmodi ſymptomatis a vermibus reminiſcens, de animata potentia morbifica nullum mihi amplius fuit dubium; neque tergiverſandum exiſtimavi, ſi eventus futurus eſſet ſalutifer. Quam ob rem clysma Anthelminticum omni trihorio immitti juſſi: elapſo autem vix dimidiæ horæ tempore, poſt primam infuſionem, alvum largiter depoſuit mucidam verminoſam, cum ramentis cadaverum ferinorum inſignibus. Quo facto ſenſim ſenſimque ad ſe rediit. Continuata dein alvi ſubductione donec evaſiſſent naturales fæces, congruisque aliis adhibitis remediis, brevi a Leucophlegmatia & cute ferina liberata, optime convaluit.

Epi-

EPICRISIS.

Ex omissa desiderata evacuatoria indicatione, hic circumquaque me dubiis premi, sum expertus; parum enim tunc temporis pathologia animata imbutus, ut assolet, exanthematum ferinorum funestos adeo post se trahentium effectus, rationem inferiorem justo habebam. Natura autem horum est, ut ab accenso in intestinis fomite originem ducant, raroque sine alvina dejectione salva res fiat. Consideratâ itaque læsâ deglutione, vocisque aphoniâ atque materie rejectâ mucidâ nigrâ, caussam circa præcordia hærere potissimum indicabatur, & omnibus simul sumptis, vermes. Nulla quippe caussa alia sublatere hisce videbatur; aut massa sanguinea, pulsu hujus nihil indicante, ullo modo culpæ videbatur affinis.

Pueri ceterum apud FORESTUM (*u*) manducabant, tanquam cibum in ore habuissent. Materies tamen ejecta nigra non semper lethale signum est, quemadmodum visum fuit AMATO LUSITANO (*v*). Ingentem quidem in intestinis contentæ materiei putredinem hæc indicat, ast tempore Naturâ vel Arte evocatâ plurimi salvi evadunt; quod, præter memoratum in nostra exemplum, ex historia puellæ Briellensis apud FORESTUM pari ratione persequi licet. (*w*).

(*u*) Lib. XXI. obs. XXXI.
(*v*) Centur. II. cur. 41.
(*w*) Lib. XXI. obs. XXXI.

SCHOLION.

Non raro verminosis sociam sese addit *Leucophlegmatia*, exempla hujus annotarunt BONETUS (x) FREDERICUS (y) & DANIEL HOFFMANN. (z). Quin etiam hujus simulacrum edit *Thersandri uxor* apud HIPPOCRATEM (*a*). Sæpe hæc vel critice, prægresso morbo mucoso, originem ducit, quod jam Medicinæ Parens indicasse videtur hisce verbis: *Quos longa exercet Lienteria cum feris, torminibus & doloribus, cum hæc quieverint intumescunt* (*b*). Hâcque ratione diarrhœam subsistentem aliquando excipit. Vel cum tussi sicca & cute ferina incidit; aut etiam simplici morbo mucoso a principio subest, ubi prima corporis intumescentia circa talos; contra in priore specie primum in facie, dein in abdomine, demum in pedibus animadvertitur.

Ex morbi mucosi cum verminoso affinitate, Leucophlegmatiæ verminantium ratio in promptu est. Hepar autem acinosum in hisce, folliculorum glandulosorum canalis alimentarii turgescentia, quin pancreas atque lien vitiosus huic generandæ ansam præbent. Id quod variis in locis injunxit Medicinæ Dogmaticæ facile Princeps. *Aqua intercus ab hepate, quæ tunc quidem oritur, cum ad hepar pituita accesserit, eamque hepar exceperit, & humectum redditum fuerit. Confestim igitur ardorem huic*

(*x*) *Sepulchret. Anatom.* Lib. III. sect. XXI. obs. IV. §. 30. pag. 390.

(*y*) *M. R S.* Tom. IV. Consult. Centur. I. obs. XXX. pag. 51.

(*z*) *Act. Phys. Med.* Vol. VI. obs. CXXVII. pag. 425.

(*a*) *De Morb. Vulg.* Lib. IV. FOES. sect. VII. pag. 1121. H.

(*b*) DURETI *Comm. in coac. præn.* cap. XXI. no. 2. pag. 336.

huic præbet , & flatum excitat. Deinde verò procedente tempore aqua impletur , posteaque corporis morsus contingit , in tibiis & pedibus tumor est laxus , hepar durum redditur & intumescit , & claviculæ extenuantur (*c*). Immo etiam perspicue admodum secundam nostram speciem laconismo suo expressit: *At quibus a Jecore aqua inter cutem ortum ducit , his tussis & tussiendi cupiditas inest , sed nihil effatu dignum exspuunt , pedesque intumescunt , ac venter non nisi dura ægreque egerit , & circa alvum tumores fiunt , qui partim dextra , partim sinistra parte oriuntur & desinunt* (*d*). Similiter ex liene & liene magno oriunda (*e*). Pulcerrima denique ac scitu perquam necessaria quæ concinne digessit Cel. WAGLER (*f*) Tironibus Medicis nunquam non commenda sunt.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Leucophlegmatiæ verminosæ caussa ab indole morbi mucosi primarii pendet.

II. Hinc peculiarem & naturæ suæ convenientem administrationem desiderat. Quam ob rem solis diureticis raro cedit, quin vermes expellendi eorumque nidum destruendi facultatem simul polleant: quo facto obstructiones visceribus chylopoieticis inductæ sponte sua quasi referantur.

III. In nullis fere verminantium affectionibus tanta contingit pupillarum dilatatio, atque oculorum splendor fit major.

(*c*) *De internis affectionibus* FOES. sect. V. pag. 545. lin. 16.
(*d*) *Prænotion.* FOES. sect. II. pag. 39. lin. 22.
(*e*) *De intern. affection.* FOES. sect. V. pag. 545. lin. 42. & ibidem pag. 612. lin. 20.
(*f*) *De morbo mucoso.* pag. 92.



γ. *CUTIS FERINA CEU EXANTHEMATA VERMINANTIUM.*

Ægrotus Primus.

Juvenis generosus 16 annorum jam aliquo tempore Tinea capitis, prius mitiore dein adeo proserpente laboraverat, ut integra capillata capitis pars tota quanta crusta densa erat tecta. Parentes, ut a tam fœdo vitio filium liberarem, me arcessiverunt. Varia huic malo occurrendi solita ex Aethiope Minerali cum infusis herbarum resolventium & vulnerariorum multo cum Hederæ terrestris (*g*), ipsi fuerunt exhibita incassum. Linimentum etiam leviter mercuriale, postquam spiritu Juniperi cum sale marino, crustæ, ne materies exanthematica per metastasin funestam loca nobiliora adiret, erant apertæ, parum efficax fuit. Similiter ac decoctum famigeratum a Cel. Grashuysio in lue venerea ex scriptis Yvo Gaukes communicatum (*h*), quod in aliis quoque rebellibus malis, inter quas recensere juvat cariem in osse radio ultra biennium ab expertissimis Chirurgis absque sperato successu tentatum, triginta dierum potatione,

(*g*) Cel. R. A. Vogel in *Historia Mat. Med.* pag. m. 68. Virtutes hujus plantæ adversus scabiem perquam commendat.

(*h*) Vide *Comment. de reb. gest.* &c. Vol. IV. pag. 82.

tatione, ad perfectam consolidationem cum binorum fragmentorum exfoliatione, perductam lætum conspexisse, virtutes egregias exseruit, cujus pintas XXIV. successu temporis ingessit. Tandem succum Nasturtii aquatici & Hederæ terrestris depuratorum uncias multas & copiosos pulveres ex Rubia tinctorum, quam dum in vivis esset summopere collaudare solebat *Præceptor quondam dilectissimus* Cel. Winterus ex observatione summi in arte obstetricandi atque exercitatissimi viri Levret. Hoc tempore utebatur externe linimentis ex Ol. Ovorum unc. j. Balſ. Peruviani unc. dimid. sp. Matricalis unc. j. pulv. Pyrii, Tabaci. Flor. sulphuris aa. drachm. ij. M. & dein quæ habebat Butyri recent. unc. j. Tinct. Myrrhæ, Balſ. Peruviani aa. unc. ß. Pulv. Pyrii & Rad. Aristolochiæ aa. drachm. ij. M. in eundem usum. Quod ideo noto, ne suspicio retropulsæ materiæ incidat. Huc usque parum profecimus, cum medendo potius indies ægresceret. Etenim non modo non fugata est pertinaciter capiti inhærens tinea, verum etiam sub usu memoratorum sociam se addidit horrenda scabies sicca, totumque corpus præsertim & pectus atque abdomen, extremis manibus tantum exceptis, numerosissimis maculis siccis furfuraceis rubicundis, magnitudine pisi, monetæ Hollandicæ stuferi & duorum stuferorum, (ad Psoram autem Leprosam accedebat) (*i*), cum pruritu intolerabili obsidens. Antiphlogistica medicamenta, atque Acida Saponacea & Purgantia fortiora nunc etiam absque sensibili solatio exhibita sunt. Tantæ pertinaciæ, & nostro haud immerito tantæ medicamentorum farra-

(*i*) conf. F. Hoffmann. *M. Rat. syst.* Tom. III. pag. 426.

farraginis, quam incerta ſpe ultrà progredi, pertæſis ambobus, quantitas neceſſariorum ingerendorum virtute concentratiore compenſanda erat. Perſeverationem interea hujus mali perpendens, aliam huic ſublatere cauſſam tacite mecum opinatus ſum. Diagnoſis tamen admodum erat obſcura, neque aliam viam quam analogicam, idque caute quidem, incedere mihi videbatur ſuperſtes. Pilulis igitur purgantibus anthelminticis, interpoſitis Terreſtribus, aliisque aptis, tandem ſolutione Mercurii ſublimati corroſivi in ſpiritu frumenti bono cum animo pericula feci. Quibus adminiculis ſub Divino favore opinio feliciſſimo eventu fuit confirmata. Emiſſis enim lumbricis aliquot ſponte quaſi & absque fere apparatiore medela, ad exoptatam nunc pervenit ſanitatem, qua jam quinquennio illibata uſus eſt, integrè ſublatâ moleſtâ Tineâ capitis ac Pſorâ urente, poſtquam per menſes tres intimum cum officina iniverat contubernium.

E P I C R I S I S.

Cutis exanthemata verminantibus frequenter evenire neque promiſcue, ſed & ſui generis peculiaria exiſtere, fuſe ſatis ſupra expendimus (*k*). Neque animus eſt, quicquam certi, propter deficientia copioſiora obſervata, ſedulo tamen in commodum publicum Aſclepiadeis alumnis commendanda, quod Tineam & Pſoram attinet in medium proferre. Sufficiat levi adumbratione indicaſſe, quam pertinaciſſime lumbrici morbo cuidam impliciti eundem protrahere atque intendere valent, ut fæcem ſuam adaugendo probatiſſima medicamenta eludeant.

Verum

(*k*) Confer Schol. ad *ægrot. quint.* cap. III. ſect. II.

Verum enimvero ex animata potentia, re propius perpensâ, duplex exanthematum genus sensibus sese offert; nimirum symptomaticum alterum, alterum criticum. De symptomatico dictum est alibi; nunc verbo de critico moneam.

In lento verminosorum morborum genere prægressus morbus mucosus, quasi caussa plurimorum phænomenorum continens, semper sub oculis versari debet. Degenerata autem materies mucosa calore corporis inquilino acris fit, exque primis in secundas vias, indeque ad corporis periphæriam delata, salubri stimulo, sub leviores febriles passiones, cutis scabritie, pustulis serosis prurientibus, ac cutis, si majori copia, aut in indolem acriorem jam mutata fuerit materies ad cutis cribrum stagnans, ulceribus, exitum facit. Hoc respectu sæpe salutaris criseos vicem gerunt; sæpeque, si quando perversa medendi methodo, aut externis aëris injuriis in molimine suo impediatur Medicatrix Natura, funestos habet eventus, ut non immerito lethalis scabiei nomen sortiatur. Horum ego antea nescius, cum non tanti videretur momenti ejusmodi cutis efflorescentia leviuscula, simile quid in ægrota supra recensita moleste perspexi. Pariter de alterâ feminâ, cui sedulo desideratum regimen, observationibus clinicis jam meliora edoctus, præscripseram, attamen obediendi impare, aëreque frigido externo utente, domuique expurgandæ operam dante, mortem insecutam, reminiscor; quanquam vix inter ægrotos annumeranda videretur. Multis quidem auxilium tuli Laxantibus Rhabarbarinis, additis sale quodam medio & Rad. Valerianæ sylv. —— Quæ vel maxime præter multos alios casus congrua apparuerunt in muliere quadam, cui ulcere magno crura

crura a protracto morbo mucoſo tumebant. Hæc ſub dexterrimi Chirurgi adminiſtrationem diutule clinica meum tandem auxilium imploravit. Manifeſta mucoſi morbi Chronici diagnoſi, de induſtria facere pericula animus erat. Quam ob rem ex artis inſtituto Purgantia, Decocta leniora diaphoretica & diuretica in uſum ſunt vocata; & quamvis urina mucoſo laborantibus familiaris eſſet hypoſtatica, nihilominus tamen in pejus ruebat ulcus, ſignaque inſtantis leucophlegmatiæ aderant. Hinc exploratæ virtutis memorata laxantia digeſtiva mane & veſpera devoranda felici adeo eventu præſcripſi, ut quinque fere pollicum diametri ulcus intra ſpatium binorum menſium ad conſolidationem ferme pervenerit: ipſe autem gravi morbo implicitus inceptam curam abſolvere mihi denegatum eſt. Quo ſimili ac ante modo ad priſtinam latitudinem pervenit ulceris plaga, quidquid extus adplicaverit Chirurgus, donec ex morbo convaleſcens ego, uſu comprobata Pharmaca, quibus denuo in melius evaſit, ægrotæ propinaverim. Pari ratione animadvertebatur in femina mediæ ætatis ſecundis nuptiis facta mater. Hæc ſcabie ferina in facie prehenſa eſt cum alvi & ventriculi moleſtia, indeque oriunda febricula lenta anomala: ſolis tamen memoratis Laxantibus per aliquot tempus ingeſtis ſanitati optimæ reſtituta eſt.

ÆGROTUS SECUNDUS.

Honeſta ſexagenaria febre autumnali intermittente laboraverat cum nauſea mordaci ventrisque cruciatu. Medicamentis faſtidioſa contenta in inteſtinis heterogenea ex voto me expellere non ſivit.

ſivit. Alvus etſi putrida ramentoſa fluxerit, non vero interaneorum animalcula exitum petierunt. Febris quidem imminuta, aſt valetudinariam abhinc vitam degit: perpetuam enim ſenſit præcordiorum moleſtiam, atque ad talos deſcribendum conſenſum; Eryſipelas quoque tranſitorium faciem occupavit, dein brachium gangrænam validam mentiens. Sanguis de vena miſſus nulla inflammatoriæ cruſtæ indicia exhibuit. Veruntamen propter intenſe urgentem febrim ac catervatim in ſimilibus comitantia ſymptomata, Antiphlogiſtica cura adminiſtrata eſt. Atque altera vice vena pertuſa, perinde ac prima coriacea cruſta immunis cruor erat. Purgantibus repetitis multum putridi magmatis foras educebatur, unde valde levata eſt circa præcordia. Eryſipelate fere diſſipato in brachio, alia exanthemata circa talum ejusdem lateris dextri exorta ſunt, non ſimplici plaga, ſed multis maculis puſtoloſis ruberrimis, quemadmodum in igne ſacro fieri conſuevit, brevi dein in tumorem æqualem elevatum ignitum, tandemque in gangrænam abeuntia, quo in magnum vitæ diſcrimen devenit. Cautela opus erat, ut, quanquam multa ſaburram vitioſam indicarent, tanquam morbus idiopathicus tractaretur gangræna, quâ ſuperatâ, purgantibus repetitis contumax demum malum exſtirpaſſe, atque ad priſtinam ſanitatem ſub Divinis auſpiciis perduxiſſe ægrotam, gratus recordor. Quæ Eryſipelatoſa exanthemata ſpectant, mox latius perpendentur.

ÆGROTUS TERTIUS.

Vir quidam eruditus verminoſis ac mucoſis ſymptomatibus aliquando obnoxius intermittente autum-

autumnali correptus eſt, ſub paroxysmos febriles vomitus violentos ſuſtinuit, ſemel atque iterum per bihorium protractos, nec facile compeſcendos. Diebus tamen intercalaribus alvus Rheo & Sale Polychreſto ſolvebatur nonnihil mucoſa; nono riguit, vehementerque ſudavit atque urina hypoſtatica reddita eſt, quod oppido rarò ipſi contigit, quippe ſæpiſſime morbo & acuto quidem affecto bis tantum tale phænomenon obſervare dabatur. Febris ab eo deceſſit, Medicamentis adverſarius, alvus reſtitit, ſenſimque in lentam matutinam incidit, cum capitis gravedine, oculorum ſplendore, lingua denſo agmine flaveſcente obſeſſa & ſtomachi faſtidio. Totum corpus leviter dolebat, dum vigiliæ pertinaces ſomnum media jam nocte, terrore ſubito, ſæpe cum violentâ maxillæ inferioris contractione ſpasmodicâ, quâ linguæ ſubinde leviora vulnuscula dentium ope illata ſunt, abruptum excipiebant; tum meteorismus, & vermiculatio, ut lecti ſtragula vix ferret, ſudor matutinus, ac tandem intertrigo moleſta ad corporis medietatem & femora, quæ per quatuor hebdomadas urgentia, ſupra laudatis quotidianis laxantibus integre ſublata ſunt, ut firma poſtea valetudo inſecuta ſit.

Epicrisis.

Numeroſos hujus indolis caſus, ſæpe in oculares morbos & pſorophthalmias peſſimas deſinentes, Epidemia noſtra exhibuit. Exanthemata vero ejusmodi non adeo timenda ſunt, quin potius una cum febriculis nocturnis ſalubri criſi a nocivis reliquiis corpus liberant. Validiſſimo conamine intermittentium vi profligatâ, truncatæ tamen medelæ

delæ pœnas luit noſter. In ſimilibus Camphorata quidem cum Mannatis a primariis viris laudantur, cum & ſua utilitate minime deſtituuntur Rheum, Panchreſtum merito in Chronicis Pharmacum, & Salia digeſtiva. Eligat tamen optimus quisque Medicus, quænam aliis alia exhibenda ſunt: primarum autem viarum utcunque degenerationi majora hæc præ illis ſpondent, nec raró, reſtricta tantum doſi, ſed vice repetitâ datâ, blandam diaphoreſin eliciunt; quo in caſu utramque indicationem abſolvunt, quæ a Mannatis ac Camphoratis polliceri poſſunt. Attamen ſingularem quoque facultatem in hiſce poſſident Camphorata Medicamenta, cum materiei exanthematicæ ad corporis periphæriam eliciendæ, tum febrilium ad hanc eliminandam neceſſaria moliminum fovendorum; ut in quibusdam præ laudatis præſtant. Plurima harum febrium naturam, effectus, prognoſin, criſin, & ſigna ſpectantia ſciſcitantes egregiam ſæpeque laudatam diſſertationem Cel. RÖEDERER & WAGLERI (*l*) adeant, quam diurna nocturnaque pervolvere manu neminem pœnitebit.

SCHOLION.

Ulcera & *ſcabiem*, quin *intertriginem* cum *cutis exulceratione*, ac *ſcabiem lethalem*, *infantium* quoque *intertrigines* & *capitis Achores*, immo etiam *intertriginem gangrænoſam*, uno fere eodemque tempore in Epidemia Gottingenſi noſtræ quam ſimillima obſervarunt acutiſſimi modo laudati viri (*m*). *Scabies* denique & *impetigines* HIPPOCRATES jam a pituita

(*l*) *De morbo mucoſo.* ſect. II. 11. pag. 40. & ſeqq.
(*m*) Sect. I. IV. pag. 15. & ſeqq.

tuita oriundas pronunciavit (*n*); & quod non ſine ſumma adtentione accipiendum, ubi inquit, *oriuntur autem albicantes vitiligines ex maxime quidem lethalibus morbis, velut quæ tabes dicitur* (*o*). Quæ noſtris egregie collineant.

Theoremata Practica.

I. Indiſcriminatim de Exanthematicis Chronicis judicium habere, periculo plenum & ſuſpicioſiſſimum negotium eſt.

II. Ex his quæ cum Morbo mucoſo-verminoſo incidunt, diagnoſis ex præteritis & præſentibus acquirenda eaque firmanda eſt.


III. Quâ ſignis ſuis cognitâ, oculis nimirum, linguâ, alvinâ contentione, urinâ ac pulſu, integrum eſt adaptatam medendi viam incedere.

IV. Primis denique proſpiciendis viis, præcordiorum ſolitæ in hiſce anxietates radicitus extirpantur; quibus impedimentis ſublatis, ſponte ſua corporis periphæriam petit materies exanthematica, vel eo verſus ducere impune licet.

(*n*) De *interm. affection.* Foesii ſect. V. pag. 525. lin. 14.
(*o*) *Prænot.* Foesii pag. 114. E.



S. ERY-



δ. ERYSIPELAS IN VERMINANTIBUS.

Ægrotus Primus.

Feminam ætatis mediæ prehendit Eryſipelas in facie ingens: tumore cum rubedine ſplendente, totamque ſuperiorem faciei partem, palpebris clauſis, iisque admodum elevatis occupante. Veſiculæ hinc & inde ſero acri turgidæ effloreſcebant. Pulſus cum non admodum durus eſſet neque celer, omiſſa venæ ſectione, fomenta ex flor. Sambuci cum ſero lactis ebutyrati & julapium antiphlogiſticum ex Aqua Sambuci & Rob ex baccis ejusdem, addito ſale medio, de quo frequenter aſſumſit, in uſum vocabantur. 2°. iisdem continuavit: Eryſipelas eodem in ſtatu; noctem tamen nonnihil moleſte tulit. 3°. eadem ac pridie ingeſſit Pharmaca: Eryſipelas ultra non proſerpſit, præcordiorum vero hodie moleſtiam queſta eſt; nulla interea retroceſſæ materiæ exanthematicæ ſigna. Turbarum pacandarum gratiâ lene paregoricum præſcripſi, quod habebat Aq. ſt. Foeniculi unc. ij. Syr. Diacodii unc. j. ut caperet cochlear quavis hora. 4°. ad noſtram accedens intellexi binos excreviſſe lumbricos teretes, moleſtamque præcordiorum anxietatem valde imminutam eſſe; quam ob rem in infeſtos indicationem dirigere apprime conſentaneum viſum eſt. Pulveris laxantis anthelmintici præbium mane exhibui, quo tertium

lumbricum exclusit: unde Erysipelas iterum multo melius & palpebræ detumescentes. Extractum corticis Peruviani debitâ quantitate julapio adjungebatur, ut materiæ exanthematicæ parili modo prospicerem. 5°. oculi aperti; anxietas tamen iterum major, pulsusque parumper agitatior. Vesicatoria duo tibiis adplicata sunt & Medicamentum ex Cornu cervi usti cum Rhei tantilla quantitate, addito Rob Sambuci ex vehiculo discutiente, felici cum eventu propinatum est. 6°. enim, 7°. & 8°. sub iisdem cautelis atque auxiliis, Erysipelas, cute jam furfuraceâ cum squammulis deciduis, videbatur sublatum, urina hypostatica ac pulsus fere naturalis. 9°. & 10°. Julapium sine pulveribus assumsit. Nihilominus tamen lethalia tanta symptomata nostræ, cujus res in vado appareret, acciderunt, ut siderata evaserit, & irritis in auxilium aptis tentatis mediâ hac nocte exspiraverit.

Epicrisis.

Probabile videtur, summa animi pathemata, animatæ potentiæ morbificæ reliquias exacuisse, vel Erysipelatosæ materiæ utcunque residua ad teneriora encephali stamina per metastasin translata fuisse, quibus phreniticorum more occubuit, quo tempore jam rediisse sanitas apparebat. Ex infausto vero hocce casu multa scitu perquam utilia disci possunt, in posterum utilitatis minime expertia. Pluribus autem similibus observationibus constitit, nihil ad potentiam animatam exagitandam potentius esse ipsis vehementioribus animi pathematibus, quippe sæpius comperi, nonnullos, diu jam Anthelminticis usitatis, vehementi terrore aut iracundiâ perculsos, hoc modo ab infestis suis

hostibus

hoſtibus liberatos eſſe; utpote validiori inteſtinorum contractione ſive affectione nidus videbatur ſolutus, acerrimis antea vix deſtruendus, quo pacto leviſſimo negotio nunc expellebantur vermes. Ceterum & Eryſipelas hacce in conſtitutione maligne ſæviiſſe, ſequentium hiſtoriæ vindicant.

ÆGROTUS SECUNDUS.

Senex viduus triſtis melancholicus, ſexagenario major, mucoſo chronico langueſcens, febriculâ ſubdolâ corripitur, prius parvi tantum momenti cum incipiente in facie eryſipelate. 2°. jam omnibus exacerbatis totam faciem occupavit eryſipelas. Curatio antiphlogiſtica tam quoad externa quam quoad interna duntaxat religioſe adminiſtrabatur: multa interea verminantium propria ſymptomata manifeſtabantur; mictus etiam nonmodo ſtrangurioſus, ſed vera iſchuria cruciatus eſt moribundus ſenex. Omnibus enim abſque deſiderato auxilio adhibitis, in gangrænam abeunte eryſipelate phrenitice occubuit a principio undecimo.

ÆGROTUS TERTIUS.

Pauperrima ad ultimum graviditatis terminum, eryſipelate per totam faciem correpta eſt. Pulverem Smalti cum farinâ triticeâ huic impoſuerunt. Cum vero Medicum adhibere vellent, me arceſſiverunt. Urina a naturali haud aliena, pulſus parum quoque mutatus: in anamnæſin inquirenti quædam mucoſo verminoſa phænomena ſemet mihi manifeſtare viſa ſunt. Quam ob rem leviora ſaltem medicamenta ex Cornu Cervi uſti, pulv. laxante Anthelmintico, Syr. 5. rad. aper. & Aq. cort.

aurantiorum præscripsi, quæ per aliquot dies continuavit. Erysipelas absque ullo vitio relicto fugatum est, vermibusque dein aliquot foras rejectis, fœtum exclusit. Animata vero potentia post partum, ut mos est, magis quam antea sæviit, dum nostra pharmaca omnia, etiamsi ex gratissimis ob artis inde capescendam utilitatem proprio sumptu ipsi elargirem, reformidavit. Cumque ipse gravi morbo lecto diu adfixus essem morem hujus curæ perficiendæ mihi gerere non potui. Brevi deinceps contigisse, quod nervose adeo in hisce præcepit in omnia intentus Medicinæ Parens, de quo supra jam verba feci: *Quos longa exercet lienteria, cum feris, torminibus & doloribus; cum hæc quieverint intumescunt. His superrigere malum est* (o*); moleste audivi. Enim vero prætermodum intumuit venter & lapidis instar durus evasit, vitamque haud diu post cum morte commutavit. In tribus aliis ægrotis simili fere modo observata sunt eadem. Prima quoque occubuit, altera evasit; tertiæ aliquot septimanis post partum variis animatæ potentiæ symptomatibus vexatæ totum etiam corpus ad adspectum ferme turgere cœpit, cum oculis madidis renitentibus: cornea citra inflammationem lymphâ mucidâ, atque ut apparebat purulentâ, obfuscari inque suppurationem abire festinavit. Hæc mentis plane compos instantem mortem duplicatis passibus se invadentem prævidens, in maritum, caramque sibi prolem lachrymarum imbrem profusit, ac subito exspiravit.

(o*) Dureti *Comm. in coac. præn.* cap. XXI. n°. 2. pag. 336.

Ægro-

ÆGROTUS QUARTUS.

Virgo honesta, quæ oblectamenti caussa Delpho insulam nostram petiit, leviore erysipelate sub ingressu afficiebatur. Ex oculis renitentibus una cum pupillis amplioribus, vermium sublatentium indicia suspicabar, cum & extrema immodice frigerent, ac levior circa umbilicum perciperetur affectio, cutisque sudore insuper frigido subfœtido maderet. Quam ob rem Terrestria quædam addito Rheo exhibita sunt. Erysipelate fugato, aliquo dein tempore post, in febrim tertianam simplicem, dein duplicatam incidit subbiliosam, cum nauseâ & mordaci oris ventriculi dolore. Palato minus placuerunt ingrata. Apozema resolvens cum Acidis gratis saponaceis, cujus ope materies febrilis & vermium nidus egregie reserari potuerant, propinavi. Extremis hactenus frigidis, minus fausti ominis id mihi habebatur. Afflicta quoque, cum separata a suis in domo aliena ægrotaret, vix erigenda erat. Quoniam autem ferarum intestina pervagantium magis ac magis sese manifestabant indicia, exhortatus sum nostram, ut, quæ morbi naturæ e re forent apta, alacri animo assumeret. Mixtura familiaris Anthelmintica præ ceteris mihi arrisit, quam tamen recusavit, minus ingratam atque inefficaciorem expetens. Eadem vero vespera cum febre vacaret, petierunt sodales ut familiaritate consortii cum iis uteretur cubiculumque desereret. Quod dum annuit, cyathulum Vini Rhenani & frustulum unum alterumve piscis cujusdam siccati, cui nomen linguatula (*p*), nostratibus *een Schar*, quo avide

(*p*) Pleuronectes oculis dextris, Ano sinistro, dentibus acutis. LINN. *Syst. Nat.* X.

avide delectabatur, comedit; cubitum iverunt, & nostra cum aliâ, itineris nempe sociâ. Sed mediâ nocte tantis corripiebatur anxietatibus, ut perterrita hæc lecto exsiliret, familiamque excuteret: ad me quoque adcurrentes, efflagitarunt ut quam primum adessem virgini moribundæ. Recta me ad nostram contuli, & statim ac lecto assiderem, manus meas fortiter præhendit frigida obrigescens atque anxie exclamitans *och myn God ik kan u niet zien!* Bone Deus non possum te videre. & tanta revera pupillarum dilatatio apparuit, ut admota candela, iridis nihil distingui poterit; adeoque verâ amaurosi, quam in verminantibus passim observavi, prehensa erat. Extrema admodum frigida, pulsusque debilis, neque ultra loqui poterat, aut ego interrogare; omnia quippe in mortem properabant, quemadmodum lethalis syncope brevi insequebatur. Tanti enim temporis non supererat, ut spiritus alicujus volatilis 30 vix passuum distantiæ arcesseretur; quin vita cum morte commutasset.

E p i c r i s i s.

Præsagia multa eaque funesta de frigore cum rigore & dusphoria tulit Hippocrates (*q*). Quin frigus extimarum male habuit (*r*). Salita etiam interaneorum infestorum propagationi favere, (forsan eorundem symptomata parili modo acuunt,) supra ex Jacquin (*s*) jam annotavi.

(*q*) *Coacar. præn.* circa exordia variis in locis.
(*r*) Ibid. no. 491. & Aphor. I, 7.
(*s*) Cap. II. §. XX. not. a.

Ægro-

ÆGROTUS QUINTUS.

Juvenem verminoſa febre prehenſum una cum eryſipelate in collo ſuppuratorio per aliquot tempus, quoniam malum idiopathicum & topicum reſpiciebam, absque fere ſenſibili levamine tractaveram, quum obortâ ſolutaque alvo ramentoſâ, facillimo negotio, paucisque in poſterum medicamentis feliciter ſatis proceſſi; quippe ulcera ſordida citius antea conſolidata ſunt, & corpus in priſtinum reſtitutum eſt.

ÆGROTUS SEXTUS.

Matrona nobilis frequenter eryſipelati obnoxia plus vice ſimplici acerrime eadem correpta eſt. Huic adverſam quamvis totam curam antiphlogiſticam religioſe adminiſtrarem, nihil fere profeci. Caſu tamen accidit, ut manifeſta animatæ potentiæ diagnoſis in conſpectum prodiret, in quam medendi via jam intenta, non mediocrem opem ipſi attuli; quemadmodum multo mitius eam prehendit eryſipelas. Nam cum levem ventris fere ſemper circa umbilicum ſenſit affectionem, inſequente faciei rubore, præbium unum alterumve pulveris laxantis anthelmintici ab hoc tempore aſſumſit, donec non amplius ruberent genæ; quo factum eſt ut per aliquot tempus integre hoc vitio libera vixerit.

EPICRISIS.

Symptomaticum eryſipelas dari perinde quam *Idiopathicum*, agnorunt fere omnes. In Eryſipelate a

saburrâ in ventriculo oriundo vomitorium vel purgans commendarunt. Bilem præterea incusarunt non modo vetustas, sed & recentiores & hujus ævi primarii salutaris artis Patroni (s). Erysipelatosæ matronæ curam gessi, quæ mordaci intestinorum dolore torquebatur, consuetaque majore circa præcordia anxietate, mitescente postquam alvum foetidissimam ichorosam atque atro-viridem deposuerat; multaque his intermistis ramenta verminantium frequentia deposuit, quibus perquam levata est. In anula post vehementiora alvina tormina perpessa similia ferme observata sunt; auris insuper sinistræ tumescentia ex erysipelacea rubedine huic aderat. Fusiore vero ramentosâque alvo ductâ, fugata quoque brevi sunt. Quid frequentius a vermibus, quam saburra biliosa vitiata in intestinis genita? Quodnam magis ab eadem caussa originem ducens obviam symptoma, quam genarum ruberrima suffusio? quæ, tametsi inconstans sæpeque recurrens animadvertitur, aliquando per horas faciei vasis inhæret. Quare mirum non est, animatam potentiam morbificam, aptam sæpe natam occasionem præbere ad erysipelas tam crebre efficiendum, perviis adeo factis, dilatatisque tenerrimis faciei vasis, ubique fere nervis comitatis, atque adeo violenta caussa constrictis.

(t) Quamvis affectum demonstratione non egeat in gratiam tamen Medicinæ Tironum non possum quin in conspectu ponam. P. Foresti *de Tumoribus præter naturam* lib. II. obs. I. cum F. Hoffmanni Tom. II. sect. I. cap. XIII. §. VII. pag. 100.

Ægro-

ÆGROTUS SEPTIMUS.

Artus inferiores non minus ſymptomatico hocce eryſipelate affici, ſequentes hiſtoriæ commonſtrant. Puella 12, 14ve. annorum, pupillis oculorum ampliſſimis amauroſin temporariam ſubinde perpatiens, ac prævio ventris cruciatu, eryſipelate valido gangrænam minitante ſupra malleolum prehenſa eſt. Ex manifeſtis interaneorum indiciis Anthelmintica purgantia dabantur a principio, ſubque alvum fuſiorem cortex Peruvianus: extus vero conſueta auxilia in uſum vocabantur. Infeſtis tempore opportuno evocatis, intra quatriduum magnum hocce periculum evanuit & dicere licet quod etiam noſtra priſtinâ ſanitate reſtitutâ gaviſa ſit.

Plurima hujus indolis ſimili cum felici eventu obſervata ad manus ſunt, quæ brevitatis cauſſâ tranſeo. Hanc vero viam ſequi, ſi quando ob alia contra indicantia non licuit, plerumque exitiale deprehendi ejusmodi Eryſipelas. Cujus quæ ſequitur enarratio utcunque exemplo ſit.

ÆGROTUS OCTAVUS.

Virgo honeſta, a longinquo mucoſo-verminoſo malo cachectica, atque jam Phthiſeos abdominalis phænomena edere cœpta, magna cum virium proſtratione, gangrænâ prius ſupra malleolum, dein per univerſum pedem, validâ corripiebatur. Cataplasma contra gangrænam extus applicabatur, præmiſſis eſcharæ mortuæ debitis inciſionibus, ingeſtâ pari ratione Mixturâ gratâ cardiacâ vires vitales excitante. Nulla altero die neque

ter-

tertio ſigna ſuppurationis, cum præſentis tum futuræ aderant; contra in ſphacelum lethalem, largiori corticis Peruviani Extracti uſu minime avertendum, celerrime omnia properabant. Obortâ etiam magna præcordiorum anxietate horâ quartâ pomeridianâ a principio tertio, mente ſtatim capta eſt, & brevi poſt vitam cum anima efflavit.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Eryſipelatis differentia generica ingentis utilitatis eſt in praxi clinica. In ſymptomatico autem primarium morbum depellere opus eſt, in idiopathico vero topicum malum.

II. Quod a bile cauſticâ originem ducit, magnâ cum cautelâ tractandum, ne perverſâ medelâ in Dyſenteriam malignam abeat.

III. Similiter exiſtimandum eſt de extus applicatis. Quoniam, præterquam quod caute cum iis mercandum ſit, ſolis iisdem vix vel numquam in fugam datur verminoſum Eryſipelas.

IV. Pari quoque ratione ſentiendum de Alvum ducentibus. Hæc quanquam in verminoſâ complicatione admodum proficua ſint, ibidemque primariam indicationem abſolvant, cane tamen & angue pejus fortiora purgantia vitanda ſunt.

V. Tutiſſima Remedia ex Cornu cervi uſto petuntur, quippe domeſticum fere cum Rob Sambuci adverſus Eryſipelas habetur Medicamentum, & egregie quoque lumbricis inimicum eſt.

VI. Quod ex animata potentia malleolum occupat Eryſipelas, hacce in conſtitutione plerumque gangrænâ comitatum animadverti.

FE-



ε. FEBRIS ACCESSORIA INFLAMMATORIA.

ÆGROTUS PRIMUS.

Mercenarius quidam annorum 36. menſe Decembri 1761. anginâ afficiebatur inflammatoriâ cum ingente ſtrangulatione. Sanguis, arceſſito Chirurgo, e brachio miſſus eſt, venaque ſub lingua pertuſa; purgantia quoque ceteraque externa apta viſa, inter quæ haleces ſalitæ hirundinumque nidi, omnia tamen absque neceſſario ægrotantis auxilio, ingeſta atque adplicata ſunt. Cum verò caſu quendam decumbentem viſitarem in pago illo, in quo habitabat noſter, accidit, ut proximi illius cognatione petierint, vellemne moribundo homini, quantum in me eſſet, auxilium ferre; cubiculum introivi, noſtrumque in ſella, quam duo adſtantes tenebant reclinatam, nam recte ſedere, aut lecto incumbere haud poterat, ſummis anxietatibus præhenſum conſpexi. Remotis quæ extus adplicata fuerant, collum admodum inflatum, rubicundum & ab acribus irritatum deprehendi. Defatigatus inſuper usque adeo ut ſyncopen momentaneam expectarem, atque eum ulterius vexare, ſupervacaneum fore exiſtimavi. Præcibus tamen ejulatu ac ſummâ animi commotione futuræ viduæ, infantium, ceterorumque adſtantium, ad hominem ſub Divinis auſpiciis

ſpiciis revocandum incitabar. Quod inopinato mihi & præter ſpem accidit; idque quidem ſequente methodo. Pulſus quamvis nonnihil contractus eſſet, intermittens tamen per intervalla, integrum mihi haud videbatur, in tanto vitæ diſcrimine ſanguinem mittere, præſertim cum præmiſſæ levaminis nihil attuliſſent. Adhæc pupillæ magnæ nigerrimæ. Quam ob rem complicati potius, quam ſimplicis inflammatoriæ indolis morbi idea naſcebatur, vermiumque ſupicio vehementer adaugebatur: quare & anxietates ſpaſticæ magis ab inferiore regione, quam ſolâ laryngis phlogiſticâ coarctatione oriundæ mihi videbantur. Unde & aliquanto magis ſanandi ſpes affulgere poterat, quam in verâ paracynanche. Cataplaſma itaque tantum reſolvens emolliens faucibus irritatis admotum fuit; & quam primum aliquid levamen perciperet, vapores emollientes ore haurire calidos ſimul imperaveram. Pomeridiano tempore, quum matutino ægroto adfuiſſem, jam nunciarunt noſtrum nonnihil levatum eſſe, ſemelque atque iterum vaporibus uſum fuiſſe, quare gargarisma valde diſcutiens ex Aq. fortiter infuſ. Sambuci, additis debitâ quantitate Alumine uſto & Sale Ammoniaco cum Oxymelle Scillitico, memoratis proſpere evenientibus, præſcripſi; cujus protracto uſu miraculi inſtar evanuit letifera viſa ſtrangulatio, ut commodo ſuo ſedere & lectum petere poſſet. Altero vero die, diſſipatâ, prouti apparuit, faucium inflammatione, ſigna Peripneumoniæ acutæ exſeruit noſter; tuſſis moleſta pariter cum reſpiratione difficili & pulſu inconſtante. Propinata hodie Peripneumoniam reſolventia, ſine moleſtia deglutivit. Attamen vero *tertio* iterum major faucium affectio, unde priora auxilia denuo in uſum

usum vocabantur: Tussis quoque sub vesperam auctior, & dolor latera feriens urgebant; quibus quoque consuetis remediis mitigatis paulisper, *quarto* die manifestiora potentiæ morbificæ animatæ indicia prodibant in conspectum. Dato igitur, ad infestos educendos, per epicrasin leniente cathartico, vermem teretem deposuit, & quatuor subsequentibus diebus octo alios. Pectoris symptomata medicamenta pauca postularunt; ast Angina, quæ, obortis vermium pathematibus in pulmonibus & pleura, tecta latuit, ita rursus recruduit, ut exitus in abscessum averti haud potuerit. Ruptus est trium septimanarum spatio a morbi principio; neque peculiare quid hunc comitavit, quam molesta maxillæ inferioris contractio, quâ ægre aliquando os aperire valeret, præ se ferens. Ad pristinam sanitatem brevi dein pervenit.

EPICRISIS.

Non mirum est faucium strangulationes tam familiares esse vermibus obsessis, cum eadem phænomena hystericis & hypochondriacis passionibus obnoxiis jugiter eveniant. Validiora insuper potentiæ animatæ pathemata vividiore stimulo nervorum conjugationes in consensum trahere solent, unde ad irritationes phlogisticas admodum faciunt (*t**). Nuper admodum simili in casu medicinam feci matronæ honestæ graviter atque acute decumbenti, quæ inter symptomata complicatissimæ febris pneumonicæ, tantas gutturis constrictiones una cum voce clangosa patiebatur, ut de ipsa

(*t**) Plura de his vide supra schol. ad ægr. XII. sect. II. cap. III.

ipſa actum fore crediderim. Emiſſis autem lumbricis aliquot, mucidæque materiæ multo, ſymptomata hæcce fugata ſunt. Plurima huic aderant vermium indicia, in oculis, urina; inconſtanter dolor feriebat nunc latera nunc abdomen, tandem fauces, ut nullum mihi dubium eſſet, quin a vermium irritatione inductæ ſint.

Ægrotus Secundus.

Honeſta femina mucoſo chronico morbo jam aliquamdiu correpta fuit, una cum peculiari linguâ ſiccâ, contractâ, acutâ, ſcabrâ, valdeque moleſtâ, ut ſacchari cryſtalliſati aliquid ſemper ore volvere & maſticare coacta fuerit, quo ſalivam eliceret eâque linguam atque oris interni parietes humectaret. Binos jam famigeratos Medicos Roterodamenſes conſulerat, quorum alter labem ſcorbuticam inveteratam malum ſalutaverat, acidum vero ſpontaneum alter: medicamenta ab his præſcriptis aſſumſit absque ſenſibili effectu, quorum pertæſa me quoque in conſilium vocavit. Linguam inſpiciens, eandem modo ſupra memorato coloris ceterum naturalis, neque ſquallore aut muco tenaci albido obſeſſam animadverti. Contractiorem autem linguæ apicem conſiderans, ad debitam oris interni examen incitabar; nec immerito. Tumefactam autem conſpexi glandulam ſublingualem ſiniſtram adeo, ut totum illud ſpatium, quod inter linguam & dentes anteriores maxillæ inferioris eſt, tumore molli occuparet. Unde mihi nata ſuſpicio eſt, an non ſalivæ & folliculorum glanduloſorum impedita excretio a glanduloſa extumeſcentia dependeret, atque ideo contracta & arida lingua eſſet? Quam ob rem pericula facienda erant, quæ non fruſtra

frustra quoad tumorem instituta sunt. Datis nimirum partitis vicibus pilulis e Cicutæ maculatæ Extracto, pondere granorum binorum, & numero tantum nonaginta, a singulâ pilulâ quotidie per octiduum, dein duplicatâ dosi, sensimque adscendendo, fugata prorsus adparuit ranulam æmulans protuberantia; manente tamen ut ante siccitate. Cumque tempus etiam aliquod frustra perdideramus, & ceterum sana videretur; neque ullum vitium in conspectum prodiret; curiosus quamnam de peculiari vitio illo proferret sententiam, per litteras consului Ill. *Præceptorem* GAUBIUM, nostramque Leidam misi; &, quidnam ego exhibuerim, quidve etiam priores Medici judicarint, simul annuntiavi. Peculiare vitium sibi apparere respondit; nec simile unquam observare sibi contigisse candide fassus est; utrum tamen malum topicum idiopathicum, an vero in systemate biliario esset; ægre discernendum judicavit Cel. Vir. Resolvendi scopo præscripsit ℞. Aquæ marinæ filtratæ, lib. ij. Spir. Mindereri exquisite saturati unc. vj. Mell. pur. unc. ij. M. ut caperet omni mane dimidium hujus liquoris partitis vicibus, incipiendo tamen a minore quantitate; ut sensim assuesceret. Dein ℞. Sem. Piperis drachm. iij. Cubebarum drachm. j. Masticbes drachm. ij. Ceræ flavæ q. s. ut fiant pastilli mansules, singuli drachmæ mediæ; quorum omni mane manderet unicum; ac salivam proritatam exspueret. Per quatuordecim dies accurate assumsit tum liquorem tum masticatoria; quum alvinæ contentiones atque anxietates præcordiorum in scenam prodierunt; quibus tempestive consuetis auxiliis prospiciebatur. Dimidiâ vix Mixturæ parte ingestâ, tantus exortus est dolor intestinorum acutus adeo; ut omnibus

N nu-

numeris inflammatorio responderet. Curatio antiphlogistica tota quanta in usum vocabatur, unde sanguis de vena missus densâ crustâ coriaceâ tectus erat. Repetitâ adhuc bis largâ venæ sectione, sub prudenti opiatorum administratione morbi vehementia infringebatur. *Nono* ab ingressu judicata est urinis hypostaticis, alvoque pituitoso-ramentosâ; inter vero varia ramenta membranacea semiputrida, frustum prælongum, digito crassius semiputridum quoque excrevit: haud facile tamen distingui poterat, utrum alterius cujusdam speciei lumbricus esset, num vero tunicæ villosæ intestinorum abscessæ pars; externâ saltem facie, quod circulorum distantiam attinet, multum accedebat illi, cujus effigies in Actis Edinburgensibus reperitur (*t*), tantæque ferme longitudinis erat. Reliqua curatio Extracto corticis Peruviani, paucisque blande Laxantibus tandemque Martialibus absolvebatur. Lingua aliquantum evasit humidior, non vero sanæ plane similis; nec diu post a colicis doloribus evasit libera; ultimum enim medicamentum assumsit 27. Augusti 1762. Et 22. Octobris diarrhœa mucosa graviter affecta fuit, quam exceperunt aphthæ densissimæ continuo renascentes. Inter alvinas hasce secessiones ramenta quædam insigniora deposuit: de vermium singulari specie nil quidquam detegere potui. Ad finem vero Novembris febre lenta prehensa fuit: lingua & tunc quidem temporis parum humidior, ast duobus vix elapsis mensibus, mordaci denuo colico dolore affecta est, qui tamen nunc meris consuetisque leniter alvum ducentibus ab ipso quidem ingressu datis, fugabatur. Semel atque ite-

(*t*) *Medical Essays.* Tom. II. art. XXVI.

iterum postea similes ventris cruciatus perpessa est. Vermes sub his non visi, alvus ceterum mucosa ramentosa. Frequenter etiam post torminosas ejusmodi secessiones erysipelas faciem occupavit: lingua in præsens usque tempus eodem in statu mansit, attamen vero suo modulo pulchre valet.

EPICRISIS.

Quanquam, propter similitudinem magnitudinis & a se invicem annulorum distantiæ, ramentum excretum simulacrum quoddam lumbrici ex Actis Edinburg. allegati habuerit; atque eatenus specie quisquam capi potuerit; verosimile tamen magis apparet, ipsius tunicæ villosæ partem insigniorem, habitâ intensioris intestinorum inflammationis ratione, membranis intestinorum integre exeuntibus plerumque comitatæ (*u*), abscedisse, valvularum plicis annulos prorsus referentibus. Constitit præterea ad quamlibet dissipatam ægritudinem ad naturæ magis consentaneam conditionem rediisse gustus organon, uberioreque muco fuisse obductam linguam, tametsi ad pristinum statum haud integre redierit. Quare haud adeo a vero alienum alicui videri posset, linguæ vitium in nostrâ a tubi alimentarii glandularum degeneratione ortum fuisse, quoniam in his plerorumque morborum & symptomatum, tam Acutorum quam Chronicorum, tubo alimentario cum contiguis accidentium, latere sæpe sæpius animadvertitur; quin & frequentissima dysenteriæ, quæ & suâ vice pessimas

(*u*) Conf. Cel. BOERHAAVE *de cogn. & cur. morb.* §. 965. & Ill. VAN ZWIETEN in eundem locum.

ſimas inteſtinorum inflammationes inducere ſolet, cauſſa reperitur; unde magna huic cum mucoſis intercedit cognatio. In præcipuis hiſce a naturali mutationibus lingua conſcia fit, ſive mucoſis, ſive putridis vel inflammatoriis, aut ſcirrhoſis, ut mirum non ſit eandem, abundante muco, latam humidam, deficiente vero, contractam atque aridam cerni (*u**). Magnas interea virtutes Aquæ marinæ ineſſe, cum deobſtruendi, tum vermes expellendi, præter Dioſcoridem (*v*) multiplici experimento comprobavit magnus in Medicina RICHARDUS RUSSEL (*w*). Ego quidem ſimplici fere hujus aquæ trimeſtri ſpatio potatione, adjutâ deinceps conveniente Medicinâ, ægrotum tabe fere inteſtinali confectum, atque hanc ob cauſſam a vero Aſclepiadei alumno letho dicatum, Divino favore ſanitati reſtitui.

ÆGROTUS TERTIUS.

Honeſta mulier, aliquot liberorum mater, ſucculenta, ætatis mediæ, menſe Aprili 1763. acutâ febre prehenſa eſt. Pulſus adtactu durus, inflammatorius; dolor in latere punctorius; lingua ſqualida flaveſcens; urina flammea. Sanguis mittebatur inflammatorius, dolor tamen non ſublatus eſt. Dabatur mixtura antipleuritica ex mente Cel. BOERHAAVE. 2°. Dolor mitior, & inconſtans, qui, cum oculis renitentibus & pulſu minus duro &

(*u**) Plura de hâc infrà cap. IV. conf. & ROEDER. & WAGLER *de morbo mucoſo.* var. in locis.

(*v*) Apud R. A. VOGEL in *Hiſtor. Mater. Med.* pag. 380.

(*w*) *De Tabe glandulari, ſive de uſu aquæ marinæ in morbis glandularum diſſertatio.* Oxon. 1750.

& intermittente, in ſuſpicionem de vermibus me adduxerunt. De venâ alterâ vice pertundendâ mutato conſilio, lene præſcripſi catharticum, quo alvus fuſa ducta eſt.

Linguæ nihilominus ſquallor magis magisque ex flavo in fuſcum mutatus, ut ante veſperam jam denſo agmine os & fauces obſeſſiſſent naſcentes aphthæ nigræ. Verminoſa duntaxat indicatio manifeſta cum eſſet, pulveres ex Cornu Cervi uſto & Cort. Peruviano dabantur & Julapium antiſepticum reſolvens. 3°. Iisdem utebatur, febris valida, aphthæ copioſæ, lingua tumida nigra; collutorium aptum inſuper dabatur. Dolor latera deſerens iſchia petiit, tantaque ad veſperam hæc cruciavit vi, ut altâ voce immaniter clamitaret: cataplaſma reſolvens dolenti loco adponebatur. 4°. Dolor mitior, non tamen integre ſublatus: aphtharum copioſarum cauſſâ, quoniam corporis in præſenti turbandi locus non erat, ad duplicatam Corticis Peruviani quantitatem & ſingulam Rhei, pondere drachmæ mediæ præbium aſſumſit omni bihorio; quorum uſu circa veſperam lumbricos teretes prægrandes eosque vivos cum levamine omnium ſymptomatum excrevit tres, urinamque ſimul miſit hypoſtaticam cum incocti quodam, mucoſæ indolis. Denſiſſimis hactenus aphthis os & fauces obſeſſæ, quæ cum ceterorum reliquiis corticis maxime Peruviani protracto uſu, aptoque gargariſmate, brevi tollebantur, ut tota curatio abſoluta eſſet a principio quarto decimo.

SCHOLION.

Frequenter mucoſis *aphthæ* eveniunt, tam Chronicis & Benignis, quam Acutis & Malignis in qui-

bus sæpius cum dolore pedum desiderantur, immo in mucosis acutis jam inde a 4°. ad 14. perstant, quin & 7°. & 9°. die, in quibus crebre criseos salutaris vicem faciunt, horumque morborum individui fere comites sunt. Mirum igitur non est, familiares adeo esse verminantibus, quippe mucosum vitium semper supponunt, in quo proprie dicendo critice agunt; quum turbæ ab animata potentia sub judicationem sensilibus atque irritabilibus C. H. partibus illatæ ad symptomaticas commode ejusmodi evacuationes producendas conferre videantur, quemadmodum ceteris paribus in evacuationibus aliis protractis, anxietatibus magnis præcordiorum, viriumque collapsione, critica materies jam subacta & mobilis reddita, a cute & renibus per metastasin ad intima penetralia fertur. In his contingunt per accidens, in illis autem e natura morbi mucosi directe proveniunt, sæpeque cum urinis hypostaticis procedunt, quas raro vel nunquam in accessoriis conspexi, etiamsi ante aphtharum invasionem copiose sedimentum subsederit: ut dubium non esset, quin cursu mutato per intestinorum & oris spiracula exitum nunc petierit. Hinc graviora multo argumenta fiunt, aphthas HIPPOCRATI cognitas fuisse, nam cum morbi mucosi comites individui sint, atque eadem ratione quam oculorum lemæ, & partium obscœniorum locorum ulcuscula (veræ aphthæ) considerari debeant, sufficienter patet, ejusmodi critica morborum molimina, quibus maxime redundat, ipsi clara fuisse. Inter enim varia loca, vehementer in diversum trahere videntur, quæ graphice scripsit: *Multi ex faucibus laborabant, voces vitiatæ erant, febres ardentes una cum phrenitide, serpentia*

tia oris ulcera, *pudendorum tubercula*, *lippitudines* (οφθαλμίαι), *carbunculi* (*x*). Ex antecedentibus enim & consequentibus apparere videtur, morbos in hacce constitutione maxime ad catarrhalium genus accedisse: *annus autem austrinus erat humidus & lenis*, *hyems quidem salubriter agebatur præter tabidos* (*x**). In constitutione vernali *alvi perturbatæ erant* — *urinæ turbulentæ* — *aquæ inter cutem*, *tabidi multi* (*y*). Similiter paullo inferius: *Multis os serpentibus ulceribus affectum ulcerosumve fuit*, *fluxiones ad pudenda multæ* &c. ubi multi intestinorum lævitate laborabant, & tormina aderant cum doloribus (*z*). Intimam autem cum oris ulcusculis colunt affinitatem pudendorum ulcuscula, quæ mucosis affectis frequentissima sunt: plus simplici vice de eodem molesto dolore in glande penis, erumpentibus brevi dein aphthis, questos audivi, pari ratione quam de quo in lingua eandem ob caussam crebro conqueruntur; quare non sine ratione Ill. VAN ZWIETEN, cui magna in Medicina auctoritas est, huic sententiæ favere videtur (*a*). Sed ut ad rem propius accedam: *Thersandri uxor aquæ intercutis specie quæ pituita alba dicitur*, *non admodum laborans*, *cum lactaret*, *graviter febricitavit. Huic ex reliquorum incendio lingua succensa est. Sub hoc tempore lingua etiam velut denso grandine exasperabatur*, & *lumbrici ore rejecti. Ad vigesimum vero diem non est ab-*

(*x*) *De Morb. vulgar.* Lib. III. sect. III. FOES. sect. VII. pag. 1083. B.
(*x**) Ibidem 1082. B.
(*y*) Ibidem 1085. F.
(*z*) Ibidem H.
(*a*) *Commentar.* &c. Tom. III. pag. 196.

abſolute judicata (*b*). In hac cum mucoſo vermi-noſo morbo exſtiterunt.


Theoremata Practica.

I. Inflammatoria cum mucoſo malo, perſonam agente animatâ potentiâ vel non, magna complicatio eſt.


II. Suæ minime utilitatis expers eſt, aphtharum in veras & ſymptomaticas diſtinctio, quoniam pro diverſâ ejus indole Medicina adtemperanda eſt.

III. Aphthæ cum mucoſi morbi individui comites ſint, ſæpe & plerumque tam in lingua quam in locis obſcoenis ad certiorem eorundem diagnoſin faciunt.

(*b*) *De Morb. vulgar.* Lib. IV. Foes. ſect. VII. pag. 1121. H. cum *Coacar. Prænot.* no. 544. Foes. ſect. II. pag. 206. cum Dureti pag. 446. & 336.



ζ. MU-



ζ. MUCOSO-VERMINOSA GRAVIDARUM ET PUERPERII ACCESSORIA.

Ægrotus Primus.

Egena menſe graviditatis ſexto, inter plura mucoſi chronici ſymptomata, tanto colico dolore correpta eſt, ut viva voce & ſuas & vicinas ædes expleret; recta in lecto ſedens atque ambabus palmis ventrem præ dolore premens, corpus anxie quaquaverſum agitavit. Ingens aderat meteorismus, ut abdominis ferme diſruptionem minitaret. Varia irrito eventu a Chirurgo ingeſta erant, quum me etiam atque etiam oraret, ut opem ferrem miſeræ. Omnibus rite conſideratis periculum in morâ eſſe ſatis conſtitit. Oculi renitentes & pulſus exilis inflammationis abſentiam, contra animatæ potentiæ morbificæ præſentiam indicabant. Hinc purgans Anthelminticum ſatis prompte propinavi, hâc cautelâ, ut paregoricum vi purgantis ingeſti proportionatum ſimul exhibuerim, quod ſtatim darent, quando turbæ naſcerentur majores; guttas quoque XXX. Tinct. Aſæ foetidæ acciperet toties, quoties novas anxietates ſuperiora peterent. Egregie hæc omnia ſucceſſerunt: lumbricos enim tres cum levamine doloris mordacis excrevit, cum muci viſcidi copiâ magnâ; unde paregoricum datum eſt: altero vero die præbia

aliquot Terrestrium assumsit. Urina hisce peractis evasit hypostatica; & binis adhuc mixturis ingestis ex Tinct. cort. Peruv. Spir. Meliss. Magistralis, & Aqua Majorana, septimanæ spatio, ex tanto periculo rediens, suo tempore sani infantis partum edidit.

Ægrotus Secundus.

Alteram gravidam eodem fere tempore tractavi, quæ post varios horrores, dolores capitis, dorsi, tandem laterales, anxietates præcordiorum enormes cum febre magna sustinuit. Huic, ob pulsum duriorem sanguis mittebatur, dum febris fervor, biliosæ indolis, Acidis saponaceis compescebatur. Terrestribus tandem, Rhabarbarinis, addito sale medio, datis, etiam hæc nono a principio e gravi morbo judicata est, insequente alvo atro-putrida ramentósa, quæ dolores & anxietates sustulit; finitoque graviditatis termino, vivam quoque vegetamque prolem emisit.

Ægrotus Tertius.

Mulier tertium graviditatis mensem agens teterrimis ciebatur anxietatibus, spasmodicis-convulsivis; dolores perpetiebatur abdominales tam fixos quam vagos, & contractiones vehementes, quæ si imum ventrem petierint, inaudita fere symptomata excitarunt: nimirum violentâ spasmodicâ contractione semel atque iterum extra labia pudendi os uteri protrudebatur, quo tempore simul aderat tortuosa stranguria, tribus integris diebus valde nostram excrucians. Alio tempore tanta oris uteri contigit dilatatio, ut sub nixus vehemen-

tes magna aquarum copia elaberetur. Rursus insolitam mammarum intumescentiam experta est, quâ dimidium magnitudinis consuetæ superarent. In hâc oculi splendidi, lachrymosi; pupillæ magnæ amplæ; lingua lata humida flavescens; facies pallida; pulsus ratione symptomatum varius. Præmissis incidentibus, dabantur purgantia anthelmintica per epicrasin, ceteraque ad auxilium apta. Quibus prospere cedentibus, lumbrici aliquot excreti sunt, materiæque viscidæ subbiliosæ multum; ut reliqua facillimo negotio fugata sint, nostraque finito imprægnationis stadio vivum sanumque pepererit infantem.

Ægrotus Quartus.

Vegeta vigesimum ætatis annum vix attingens femina ab ipso gestationis initio multis diversimode a se invicem malis afficiebatur, cum verminosis, tum insolitis. Frequentissimos insultus epilepticos leviores quotidianos fere perpessa est, quandoque comatosa per aliquot horas jecit, aut in sella sedit, aut humo prostrata est, insequente risu involuntario fatuo, ut mente omnino capta videretur. Hæc omnia tamen citra faciem ægritudinis nostræ accidebant. Et quamvis sarta, multoties levi administratione, drachmâ sc. Tincturæ Asæ fœtidæ, aut spiritus alicujus volatilis attractione, symptomata silerent, & multorum lumbricorum foras expulsione præsentiam sui pro tempore non facerent, ex integro tamen morbi fomitem exstinguere non potui, quidquid genus auxiliorum in usum vocaverim. Nam cum partus instaret, pulcerrimam oculis adspiciendam puellulam edidit, dum infelix mater quæ tanta pathemata subierat,

idque per menſes ſucceſſivos, diebus nunc paucis exſtincta eſt, alvo obortâ ſolutiore, continuo fluente atrâ putridâ, ſævis comitatâ torminibus, quæ adhibita medicamenta eluſerunt.

Ægrotus Quintus.

Matrona honeſta tertiâ vice gravida, a principio geſtationis quotidiana alvina tormina, nunc tempore matutino nunc veſpertino aggredientia, perpeſſa eſt, cum genarum ruberrimâ ſuffuſione, atque in brachiis exanthematum efflorefcentiâ, quæ tandem in choleram vehementem, cum ſyncope & præcordiorum tantâ anxietate, ut ejus vitæ timerem, abierunt. Aptis interea auxiliis malo occurrebatur, dum pharmaca reformidans vix aſſumſit, quæ ineluctabilia ſymptomata avertere poterant; ſalutiferam quippe fore quam paſſa fuerat evacuationem, ἄνω ϗ κάτω, & melius ſe habituram exiſtimavit. Elapſis vero aliquot tantum ſeptimanis, altera major memoratâ prehendit eam anxietas, cum ſudore frigido, vomitu ſubbilioſo & geſticulatione moleſtâ ſtipata. Quare, magnum in quo verſabatur periculum perpendens, & pavens ne pejora ipſi acciderent, manus demum utilitate dedit victas. Terreſtribus atque Rhabarbarinis vitioſa bilis emendabatur foraſque educebatur; nihilominus tamen hæmorrhagia uterina inſequebatur valida, cum abdominis ac totius corporis convulſione, tremore & frigore. In quo vitæ diſcrimine Opii Tincturâ cum Sp. Nitri dulc. ſpaſmos violentos & hæmorrhagiam inde oriundam ſopire conatus ſum, quod Divinis auſpiciis exoptate contigit: nixus celeriter inſequebantur, ovumque integrum decem circiter hebdomadum enixa eſt. Lecto

nunc

nunc affixa assumsit memoratis similia; unde factum est, ut, post quosdam emissos lumbricos, & materiæ multum heterogeneæ subbiliosæ putridæ, ad pristinam sanitatem pervenerit.

ÆGROTUS SEXTUS.

Muliercula, gravida secundis nuptiis, ætatis mediæ; vehementi colico dolore affligebatur: varia huic adversa jam assumserat a Chirurgo quodam, cum petieret ut ipsi mederer. Recognitis omnibus, nihil mali subindicari apparebat, nisi materies quædam acris; aut vermis rodens in quavis interaneorum parte hepati proxima, vel in ipso jecinore. Pulsus parum a naturali mutatus, urina rubicunda cum sedimento saturatioris flavedinis; lingua pariter flavescens; pupillæ amplæ nigræ; dolor fixus eodem fere loco inhærens. Acidis resolvenentibus, Antispasmodicis & absorbentibus, uti solebam, incassum malum impugnavi; rebellis autem dolor mansit, tam prompte alias simili medelæ obediens. *Secundò* Enema oleosum immittebatur, quod vespera reiterabatur, additâ Elect. Hier. picr. Galeni, quibus symptomatum atrocia nonnihil levata est. Salinis nunc incidentibus cum Syr. Taraxac. cum Rheo ex Aq. Fœniculi resolutionem quandam, sive vermium nidi destructionem, seu obstructionem utcunque reserare, nondum sanandi spe abjectâ, conatus sum. *Tertio* vero, quanquam urina coloris minus saturati erat, admodum tamen augebatur doloris vehementia, una cum præcordiorum anxietate. Nihil huic superandæ, præter sæpius exploratum oleum animale Dippelii, par visum est: quod ex Elæosaccharo & vehiculo simplici partitis vicibus pro-

propinabatur. Clyſma quoque iterum injectum eſt, ut & cataplasma ex Speciebus Emollientibus abdomini impoſitum. Dolor quidem miteſcere aliquomodo coepit, atque inferiora petere; rurſusque redire & priſtinum locum adire continuavit. Ex manifeſtâ autem vermium diagnoſi, omnibus quippe potentiam morbificam animatam indicantibus, non dubitavi, quin vermes nido ſuo remoti, atque inteſtina jam perreptantes, purgantibus foras eſſent educendi; & quum jam iterata purgantia data fuiſſent absque ſenſibili ſolamine, Mercurii dulcis grana aliquot, ut in ægroto hujus ſubdiviſionis primo, addito Scammonio tempore matutino aſſumſit; quod neque opem tulit miſeræ: & etiamſi clyſmate actuoſum reddere tentaviſſem medicamentum, hocque repugnante Ipecacuannhæ doſi furſum evocare, nihil quidquam profeci, aſt triſtis erat eventus. Dolor quidem minus urgere videbatur; ſed metaſtaſis ad caput nihilo ſecius ad veſperam ipſi contigit, ſimilisque deſcriptæ in ſuperiore ægroto (*c*) corneæ obſcuratio, & brevi dein tempore vita exſtincta eſt.

E P I C R I S I S.

Superiores caſus (*d*) in animum revocantes nonnihil forſan lucis difficili huic morbo afferre poſſe viderentur; niſi dolor ex fixo in vagum abiisſet in noſtra. Quare ſæpius anceps animus hæſit, forentne a Mercurio dulci aggravatua. Quemadmodum diu ab ejus uſu abſtinueram. Aſt re propius perpenſâ, potius ab indole morbi oriunda appare-

(*c*) Vid. ſect. III. *ægrot. III.* δ.
(*d*) Vid. cap. III. ſect. II. *ægrot. XI. XII. XIII.*

parebunt, quam a mala adminiſtrata medendi methodo. Etenim in ægroto primo cum euphoria operaverat idem medicamentum, neque febris præſentia huic interdixerat, cum nulla, vel lenta ſaltem adeſſet: præterea corneæ obſcuratio in memorata puerpera absque ſimilis pharmaci uſu ſponte oborta fuit, immo & HIPPOCRATES funeſte hanc ſuo jam tempore damnavit: *ſi* enim *lippientium oculorum ſordes circa eorum aciem appareant*, — *aut eorum adſpectus ſqualidus & minime lucidus*, — *hæc omnia mala perniciosſaque exiſtimanda. Quin etiam per ſomnum an ex oculis aliquid ſubappareat ſpectare oportet. Ubi namque non commiſſis palpebris ex albo quid ſubapparet, id ſi neque alvi profluvium, neque medicamentum purgans expreſſerit, neque ita dormire conſueverit æger, pravum eſt indicium & lethale admodum* (*e*). Cum verminoſis tamen magna ſemper cautela requiritur, cum inopinato aliquando interimant. Ita memini mortem ſecutam fuiſſe in puella ex bilioſo-verminoſâ febre comatoſa facta, decem tantum granis pulv. Herb. Gratiolæ aſſumtis. Tanta enim copia glutinis tenacis ſuperiora petens ſtrangulationem noſtræ intuliſſe videbatur, & frigidis mox extremis, occubuit. Nam quæ frenis dociles plerumque ſe gerunt, alio tempore indomabiles reperiuntur. Quam ob rem ſatius eſt, ut ſibi caveant Medicinæ tirones ab ejusmodi præceptis nimis indiſcriminatim & absque limitatione quadam traditis; unde & minus tute videtur Mercurii dulcis grana duodecim & Scammonii tantum quatuor grana exhibere (*f*). Magis autem

(*e*) *Prænot.* Lib. FOESII ſect. II. pag. 37. lin. 13. & 22.

(*f*) Conf. BAGLIV. *Prax. Med.* Lib. I. *de Lumbricis Puerorum.* pag. m. 60.

autem rei consentaneum videtur purgantium vim Mercurium superare, saltem non infra esse. Egregia formula conflatur ex Rhei Elect. scrup. I. Scammonii & Merc. dulcis gr. v. Verum quidem est, L. Riverium Filiolo Magistri Imberti, post varia remedia frustra tentata Calomelas Turqueti gran. duodecim exhibuisse cum levamine omnium symptomatum, ut *intra 24. horas febris expers apparuerit, atque ita curatus sit, ut aliis remediis non indiguerit.* (g). Similiter cum Scammon. gr. sex octo Calomel. in puero quatuor annos nato, qui etiam intra paucos dies omnino convaluit (h). Omnibus etiam notum est, Cel. Boerhaave (i) Merc. dulc. ipsis infantibus in corneæ obscuritate ad grana sex dedisse, clysmate educenda si minus prompte exirent. Sed distinguere oportet inter intestina sanorum & ubi animata potentia jam morbifica, aut quævis alia heterogenea materies iisdem inhæret. Sapiant variorum Medicorum de ambigua Mercurii dulcis operandi vi judicium Tirones Medici apud Cel. F. Hoffmannum (k). Dum, si unquam, hic semper cum circumspectione agendum.

S c h o l i o n.

Mucosa & Verminosa febris in gravidis admodum complicata est, sæpeque infeste abortum affectis inducit. Copiosa bilis secreta, muci intestinalis abundantia, vermiumque irritamenta, consueta uterum gerentium symptomata intendere atque

(g) *Observ. Med.* Cent. I. obs. XXVIII. pag. 472.
(h) Cent. II. obs. V. pag. 494.
(i) *De morb oculor.* cap. X. §. LXXII.
(k) *Cons. & Respons. Med.* Cent. I. sect. I. c. pag. 151.

que aggravare ſolent, ut ex tanto malorum concurſu diagnoſis plerumque admodum compoſitæ & abditæ indolis ſit. Lingua ſubaphthoſa lata humida, aut ad radicem aliquando ſubflaveſcens; urina hypoſtatica alba, mucoſa, ſubbilioſa, prægnantium nauſeam, vomitum, proſtratum appetitum, animi deliquia, vertigines & ventris demum affectiones, ab his quæ in verminantibus fiunt, diſcernere non parum faciunt; quo cognito, materia morbifica ſcabris Terreſtribus, addito Rheo, evocare præſtat. Nauſeabundis autem Acida vegetabilia & Mineralia, vermibus ſimul inimica propinanda ſunt, dum interea anthyſtericis vulgo dictis, caute mercandum eſt, ne Medicina abortus cauſſa evadat, eundemque acceleret (*l*).

Ægrotus Septimus.

Femina quadragenaria major, gravida quoque ſecundis nuptiis, enititur partum ineunte menſe Octobri 1761. quinto morbi die arceſſor, quo febre tenebatur lenta, non magni ut videbatur momenti. Mixturam antacidam, lactis ſymptomatibus ſimul proſpiciendo, ipſi propinavi cum Syr. 5. rad. aper. & Aqua Sambuci, qua uſa eſt ad nonum. Tuſſis vero decimo moleſta, altera mixtura dabatur ex Antim. diaphor. Oxymell. Scillitico & Aqua Hyſſopi, quam etiam cum levamine aſſumſit. Attamen vero undecimo anxietates magnæ ortæ ſunt. Nihil hactenus mali ſuſpicans, cum nulla, niſi tuſſis ſicca, animatæ diagnoſeos

(*l*) Confer quoque digniſſimas obſervationes ex Epidemia Gottingenſi a Waglero collectas *Lib. citat.* ſect. II. VIII. pag. 89 & 90.

noſeos adeſſent indicia, Sp. Mind. drachm. iij. & Tinct. Caſtor. drachm. j. præſcripſi, & fugata anxietate mixturam continuavit: Lumbricos, ni fallor tres, haud ita diu poſt, excrevit cum levamine præcordiorum angoris, ceterarumque in pectore, nimirum tuſſis & impeditæ aliquando reſpirationis, moleſtiarum. Aſt non obſtante ſalutari iſto molimine ſtatim os internum totum, & imas fauces obſidebant aphthæ denſiſſimæ, & denſo quidem adeo agmine ut ne aciculæ cuſpis interponi iisdem poſſet, ad usque labra extrema tegentes. Ex artis inſtituto omnia huic congrua adhibita ſunt absque deſiderato auxilio, ut & ſaturatiſſima Decocta Corticis Peruviani. Diem obiit ſupremum quintodecimo a principio, aphthis neutiquam deciduis.

ÆGROTUS OCTAVUS.

Puerpera diebus aliquot a partu præterlapſis de dolore colico queſta eſt, qui deinceps iſchia petiit. Lactis ſecretio valde imminuta eſt. Anxietates præcordiorum & dolor acerbus circa veſperam augebantur perquam, magnumque fecerunt in noſtram impetum. Subinde quædam in ventriculo contentio: conſuetis phænomenis animata potentia morbifica manifeſtabatur, cui adverſa & lactis retroceſſi ſymptomatibus regendis præmittebatur Apozema ex rad. aperientibus cum Spir. Mindereri & Syr. ſimili aperiente, excipiendum purgante medicamento terreſtri, quibus binos vel tres lumbricos excluſit tanto cum levamine, ut dolor prorſus miteſceret, una cum reliquis moleſtis ſymptomatibus. Lactis penuria, ſecretione copioſiore

ſiore, de die in diem ſublata eſt. Cortice tandem Peruviano aptisque viſceralibus tonicis datis, quatuordecim dierum ſpatio perfecte convaluit.

ÆGROTUS NONUS.

Similibus ferme pathematibus, maxime vero præcordiorum, lactis defectum ſubiit primipara, eodem antea abundans. Lumbrici aliquot exiverunt ſponte, quo factum eſt, ut binis Medicamentis ad reſiduum materiæ heterogeneæ educendum, corpusque ad priſtinum tonum revocandum datis, ad optimum corporis habitum redacta, ubera turgida infanti viciſſim præbuerit.

ÆGROTUS DECIMUS.

Viri a ſecretis uxor, iteratò pepererat menſe Septembris 1762. Partus naturalis erat, & lochia ſatis abundeque, lactis quoque jam copioſa ſecretio, quæ ſimili ut ſupra dictum eſt modo, imminuebatur, unde mammæ flacceſcentes. Hæc etiam cruciatus magnos perpatiebatur ex imo ventre, prius ſuperiora dein iſchia petentes, atque anxietates enormes 22°. quo ad auxilium ejus vocatus ſum. Oculi concavi, cum pupillis amplis, madore ſplendebant: pulſus febrilis agitatus: meteoriſmus moleſtus; levamen ab emiſſo ructu.

Quare flatibus emittendis operam dando formulam ex partibus duabus Sp. Cort. Citrior. & ſingula Liq. anod. min. Hoffm. & Tinct. Caſtorei præſcripſi, de quo guttatim ſumeret, donec allevaretur: ad febriles motus compeſcendos Mixtura deinceps dabatur ex Sale tart. vitriolat. Rob Sambuci & Aqua ejusdem. Noctem quietius transegit;

 dolo-

dolores vero ab iſchiis lumbos & dorſum verſum vagati ſunt, 24°. cum ceteris paribus non pejus ſeſe haberet, noctemque haud inquietam ſubiiſſet, latera nunc petierunt. Quibus occurrendis terreſtria quædam, junctis diſcutientibus, ex Aqua ſedativa aſſumſit. Dolor per totum diem rebellis, & 25. ingente cum præcordiorum anxietate ſyncopen minitante ſtipatus. Enema carminans & lubricans oleoſum alvum modice cievit, ſubbilioſam, & paullo poſt, atro-viridem ramentoſam. Salia digeſtiva cum Syr. Cichor. cum Rheo ex Aqua Rutæ tam ad bilem vitiatam corrigendam, quam lochia ſimul regenda, ex uſu apparuerunt. Cum vero tormina magis augeſcerent, quam ut, medicamento hocce molita dejectione, miteſcerent, leniens involvens medicamentum ex G. Arabico, Syr. Diacod. & Aqua Rutæ huic ſubſtitui 26. quo juris carnium pauxillum ſorbillaverat, unde ſtatim doloris incrementum; tanta erat internarum partium ſenſilitas. Pomeridiano tempore trium horarum ſomno connivit: crudeſcente iterum ad veſperam doloris acerbitate, alterum enema oleoſum infundebatur, cui ſeceſſus copioſè iteratèque inſecuti ſunt magmatis putridi valdeque heterogenei. Nox ipſi fuit tolerabilis 27. attamen verò mane rurſus increverunt tormina ab aſſumto potu calido, quæ anodyno iterum ſublata ſunt. Dejectiones vero poſt heſternum clyſma, tametſi meris oleoſis conflatum eſſet, adeo liquidæ, ut verâ diarrhœâ prehenſa videretur. Hæc ſub lochia parciora & lactis in ſanguinem refluxum minus metuenda, quippe vice inverſa parcimoniam illorum ſalutariter Natura compenſat, dum horum peſſimas ſæpe ad alia loca avertat metaſtaſes. Quod & in noſtra animadvertere licuit; nam exinde

de ad 10um. Octobris omnia ſymptomata videbantur ſuperata, indies magis fractâ eorum vi. Attamen verò cunctatione tantum novam capeſcuerunt facultatem, ut eo acrius iterum inſanirent. Acerbiſſimus autem dolor prehendit crus, ſimulque ſtranguriam mordacem adjecit. Sublatis hiſce tam externis quam internis auxiliis, animata potentia indiciis nunquam manifeſtioribus ſeſe prodidit, quæ ſub alvum fuſam reſtitaverat, atque validioribus demum nunc pharmacis fugata eſt. Quâ ſuperatâ brevi tempore poſt convaluit noſtra; nam ultimum medicamentum accepit die 21°. Octobris, atque incorrupta deinceps ſanitate gaviſa eſt.

ÆGROTUS UNDECIMUS.

Honeſta Gemellipara ſimili fere modo magnis præcordiorum anxietatibus aliquot a partu diebus corripiebatur, ut accelerato nuncio auxilium meum rogarent. Partum naturalem, nec laborioſum fuiſſe, nec dolores poſt eum expertam eſſe noſtram, & ſufficienter hactenus lochia fluxiſſe, ex nutrice intellexi. Pulſus ex prægreſſa anxietate debilis intermittens, noſtraque frigido ſudore adhucdum madida imbecilla perquam: pupillæ erant amplæ nigræ, facies pallida, oculi concavi: anxietates ex prægreſſis abdominis torminibus ortæ fuerunt ſuperiora verſus. Cum aptis adminiculis ad ſe rediiſſent corporis functiones, medicamentum laxans ipſi datum eſt, quo, alvo mucoſâ ductâ, melius ſe habebat altero mane. Lactis repulſioni Mixturâ diapnoicâ cum Sp. Mindereri proſpiebatur, anxietatibus autem denuo reſurgentibus clyſmate leniente. Dolores etiam in noſtrâ ab infuſo

enemate resuscitati, alvo tamen liquidâ pituitosâ ramentosâque depellebantur. Quapropter manente hodie alvinâ contentione ad vesperam alterum medicamentum infundi jussi, quo vix applicato, parili modo ac prima vice & in ægroto proximo, magno ventris cruciatu luctabatur, præcordiorum angore syncopen minitante stipato, ut adstantes ejus vitæ timerent. Enema autem cum parum efficax esset, alvum tardam vix duxerat, unde & turbæ videbantur auctæ, quibus placandis in præsentiarum quavis hora præbium Cornu Cervi usti dabatur tanto quidem successu ut pro tempore cessarent. 3°. vero vocationis elutio purgans per inferiora ingerebatur, citam & fusam alvum nunc inducens, unde vespere paregoricum assumsit. Anxietates vespertinæ hodie delitescebant, 4°. verum cum matutino tempore nostram convenirem, tantis iterum anxietatibus correpta est, omne captum excedentibus: scilicet erecta in strato sedebat, anxie spiritum ducens, ac multo plangore interrupte pectoris angustiam designabat; simulque indicabat ut adstantes majorem a lectica ambitum facerent, immo ut præsidium (*een scherm*, nostratibus admodum familiare, præsertim puerperis,) amoverent, ut auram copiosam, ajebat, caperet, quippe ad summum pervenerat agonia. Tantis conflictabatur pathematibus. Facies erat pallida, extrema frigida, oculi intenti cum pupillis amplis. Cum autem memorata symptomata fere post alvi lotiones nascerentur, post fugatos tumultus hosce, leniora laxantia anthelmintica oretenus dabantur, quibus DEO auxiliante quatridui spatio, lumbricis putridis & pituitæ multo emissis, omnia ita cedebant, ut nostra hâc viâ alimentum a Sapientissimo rerum Conditore tenellis dicatum uberibus distentis postea infanti præbuerit.

Epi-

Epicrisis.

Binæ ſane complicatorum morborum hiſtoriæ, quæ pluribus obſervationibus corroborari poſſent; quum vero maxime inter ſe æquales ſint exemplum ſubjeciſſe ſufficiat. Satis enim conſtat quam compoſitæ indolis eſſe debeat ejusmodi morbus, ubi puerperæ conditio, vulneratis maximopere congruens, lochiorum inevitabilis excretio lactisque neceſſaria, tantis pathematibus, quantis ab animatâ potentiâ excitari ſolent, vexantur, ut ſæpenumero exitialia decumbentibus eveniant. In multis enim, tam quæ debitâ curâ, cognitâ morbi indole, Dogmaticè tractabantur, quam quæ Empiricis comiſſæ fuerant, eosdem funeſtos deprehendi. In plerisque quidem, inter variam medendi methodum, proſpere evenit, quam primum malum epidemicum ſemet manifeſtaverat, ſtatim Laxantibus lenioribus materiem heterogeneam mucoſam, lumbricos ipſos foras expellere; additâ aliquando abſorbentium debitâ quantitate, ad lactis aceſcentiam avertendam æque, quam dolores creberrime in verminantibus obvios ſedandos; dum interea aptis aliis remediis lactis ſecretio & lochiorum, ſi ita e re videretur, promovebatur. Mirum interim videri poſſet, alvi lotiones, in puerperis præ purgantibus oretenus ſingulari ſemper prærogativâ donatas, ſymptomata in ambabus hiſce feminis auxiſſe. Illud autem rationi conſentaneum eſt, quoniam multiplici experientiâ conſtat, frequentius nihil verminantibus accidere, quam ſymptomatum aggravationem, quando ſimul quaſi & ſemel ad inferiora non alliciantur vermes, quod raro debilibus injectionibus præſtari poteſt;

dum heroica in ejusmodi ægrotis exulant. Vehementer quoque hallucinantur ex urinâ hypoſtaticâ, quanquam & diebus criticis ſubſideat, præſagium ſalutare ferentes, quod tantum rite procedit, ſi foras excluſi fuerint vermes, aut in mucoſo ſimplice, ut ſæpius monitum eſt: in ambobus hiſce caſibus tempore ſtetit hypoſtatica. Aphthæ quoque ejusmodi malis ſociam ſeſe addunt, exitialem plerumque eventum habentes, ſin minus abſentia febris detur, & vermes vix vel pauca tantum ſymptomata efficiant; quemadmodum in *Therſandri uxore* ſupra jam vidimus. Eodem modo, quatuor quinqueve a partu ſeptimanis vermes agitatos exitum molientes animadverti; quod in primipara morte comitatum conſpexi, quo tempore ad auxilium ejus advocatus eram. Plerumque tamen Epidemiæ phænomena ad 4um 5^{umve} a partu diem, lacteæ forſan febris ope, in actum ducebantur; quanquam probabile admodum eſt, vermium nidum a partûs nixibus, indeque oriundis inteſtinorum contractionibus, fuiſſe ſolutum, ac pro varia corporis conditione ſerius ocius in ſcenam prodiiſſe vermes. Hinc, etiamſi, quæ tracto, morbos epidemicos ſpectant, non poſſum quin verbo moneam, ob frequentiam infeſtorum interaneorum animalculorum, etiam citra conſtitutionem epidemicam copioſorum, ad conſueta præſertim in oculis verminantium phænomena adtendere, quippe præſente animatâ potentiâ convenientiſſimis alias medicamentis opera abutitur, niſi primaria morbi cauſſa eradicetur: nulla præterea propemodum potentia major quam illa, quâ tot exitioſa puerperis proveniant, excogitari poteſt; quippe quæ ſuâ naturâ lac in ſanguinem retropellit, atque alvum liquidam hiſce movet, & lochio-

lochiorum fluxum liberum impedit. Si vero moderate alvus fluat, non tanti, repetam, periculi eminet, siquidem uterinas evacuationes hâc ratione moderantur, ac pessimas sæpe ad caput aut pectus metastases avertunt. Liquida vero minus existente artifici manu huic adversa propinanda sunt, quod plerumque Terrestribus, addito Cortice Peruviano, aliquando Gum. Arabico, pulchre efficitur.

S c h o l i o n.

Quemadmodum Lactis muliebris a partu in mammis secretio multimodis minuitur, inter quos symbolam suam conferre solent vigiliæ, curæ & defatigationes nimiæ, nec non evacuationes copiosiores omnes, ita etiam a vermibus illud fieri sæpe comperitur. Mirum igitur, raros tantum hâc caussâ inductos observatos casus exstare, quibus aliorum periculis roborantur. Andry binis in nutricibus obambulantibus lactis defectum annotavit (*l*): quarum altera nullam aliam molestiam querebatur, & nocturnas tantum anxietates altera. Urina turbida lactescens vermes in hâc prodidit; pharmaca verò convenientissima frustra assumta in illâ. Ambæ tamen post numerosos vermes & quotidianos excretos lacte abundarunt ut ante. Plurimas egregias historias his addere possem, si non ex datis animatæ potentiæ quoque lactis retropellendi efficaciam sufficienter constaret. Hinc intelligitur quanto

(*l*) *De la Gener. des vers.* 1701. pag. 82 & 83. in altera editione ad hunc articulum observationes illæ non leguntur.

quanto validius agat, si mucosis morbis acutis sociam se addat, quod plerumque aliquot a partu diebus evenire solet. Verminosæ autem mulierculæ ut & omnes verminantes pituita vel muco abundant, una cum bile debili etiamsi copiosa, quæ jam graviditatis initio choleram multis inducit, sæpeque ad abortum facit; ast copia multum minuta toto gestationis tempore non raro vermes quiete intestinis inhabitare animadvertuntur, donec validioribus a partu agitationibus pessimis symptomatibus, ast signis satis conspicuis in oculis, lingua, cardialgia syncopticâ, atque urinâ, si eadem cerni integrum sit, prodeunt (*m*). Sed eadem fere eveniunt puerperis solo mucoso vitio jam impraegnationis tempore prehensis; quo respectu egregie collineant quæ de mulieribus paludosos locos inhabitantibus, deque pituitosis & lienosis prædixit HIPPOCRATES; atque accommodate ad sensum communem evadunt quæ ipsorum ægrotorum historiis in Epidemicis expressit. Nam præter retentionem purgamentorum in *Philini uxore* (*n*), ex capitis dolore, stomachi anxietate, delirio, convulsionibus perpetuis, urinis crassis & turbidis, manifestum fit, materiam crudam tenacem subbiliosam jam ante partum intestinis inhærentem, caussam febris istius ardentis & malignæ exstitisse; præsertim cum lochia decimo quarto post partum die defecerint, quo tempore plurimum sponte desinunt. Similiter *Epicratis uxori* accidit (*o*); jam tertio ante partum die *vehementi rigore correpta est, nec (ut ajebat) incaluit,*

(*m*) Confer *Hist. de l'Acad. R. des Scienc.* 1709. pag. 30.

(*n*) *De Morb. Vulg.* Lib. I. *ægrot. quart.* FOESII Sect. VII. pag. 976.

(*o*) *Ibidem Ægrot. Quint.* pag. 979.

luit, *& poſtridie eadem adfuerunt. Tertio die filiam peperit*, *ceteraque rite atque ordine proceſſerunt. Altero a partu die eam febris acuta prehendit*, *cum oris ventriculi & locorum muliebrium dolore. Quæ quidem omnia ex ſubdito peſſo allevata ſunt*, *ſed tum capitis*, *tum cervicis ac lumborum dolor invaſit*, *neque ſomni ulli aderant. Ex alvo bilioſa omnia abundeque colorata ſeceſſerunt.* In qua, auctore FOESIO (*p*) febris illa ex crudis & frigidis plurimis ſuccis, admiſtis etiam bilioſis orta apparet, unde forſan de urinis nigricantibus ambigere poterat quis, quippe quæ puerperii purgationibus potiſſime, quam morbi malignitate tali colore tinctæ exierunt; usque enim quadrageſimum diem bilioſâ materie luctata, octogeſimo tandem judicatione prorſus eſt abſoluta & febre liberata.

Neque illa (*q*) *quæ in Thaſo ad frigidam decumbebat*, *ubi filiam enixa eſt*, *nec purgationes irent*, & *tertia die febris acuta cum horroris ſenſu correpta fuit*, ex ſolis retentis partus repurgamentis videtur laboraſſe. Quoniam *ex longo ante partum intervallo ex febre decumbebat*, *cibumque faſtidiebat.* Similibusque fere quam *Philini* & *Epicratis uxoris* pathematibus, maxime alvo perturbatâ bilioſâ, ad octogeſimum diem, quo exſpiravit, conflictabatur. Quibus ſatis mihi conſtare videtur, ut ſupra jam indicare coepi (*r*), & pluribus argumentis ex natura conſtitutionis epidemicæ demonſtrare haud difficile eſt, memoratas puerperas conſtitutionis noſtræ ſimili morbo prehenſas fuiſſe. Similiter con-

(*p*) *Ibidem loci.*

(*q*) *Morb. Vulg.* Lib. III. *ægr. ſecund.* text. 72. FOES. Sect. VII. 1096.

(*r*) Vide Cap. III. Sect. 1. *Schol.* 1.

conſtat tempeſtates humidas, atque omnes inde oriundos morbos, ut & conſtitutiones epidemicas utcunque, puerperis maxime funeſtas & exitiales eſſe.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Cognitâ in gravidis indole mucoſâ, quantocius blandis Laxantibus, quod plerumque Rhabarbarinis, additis Terreſtribus egregie efficitur, evacuanda morbifica materies.

II. Verminoſa vitia, ob alvinas contentiones, facillimas ad caput metaſtaticas depoſitiones, atque alia peſſima ſymptomata in puerperis ad lactis ſecretionem & uterinas evacuationes impediendas, & alvi fluorem inducendum, valde metuenda ſunt.

III. Lactis in ſanguinem repulſiones nullibi fere crebriores, quam in puerperis mucoſo-verminoſa febre prehenſis, contingunt.

IV. Aureum præſagium, *Quæ ante partionem in modum choleræ morbi affliguntur, faciles quidem partus edunt. Febre autem tentatæ, malignè habent, tum vero præcipue, ſi quid fauces vexet, aut in febre maligni aliquid appareat* (s), non modo graphice naturam hujus morbi exprimit, ſed etiam egregie deſideratam medendi viam commonſtrat.

(s) *Coacar. prænot.* no. 535. cum 537.

4. *PHTHI-*



η. *PHTHISIS ACCESSORIA VERMINANTIUM.*

§. LI.

Supereſt ut de verminantium *Phthiſi* breviter dicam. Hæc autem Mucoſis chronicis verminantibus interdum accedit, ſenſim ex primâ officinâ, tuſſi ſiccâ, moleſtâ, per intervalla auctâ, pectoris anguſtiâ, tandem humidâ pulmones feriens, in phthiſin vix ſanabilem tranſit. Proprietatibus morbi indolis mucoſæ procedente, facies cernitur pallida, oculi concavi, ſplendentes, pupillæ amplæ nigræ: Lingua lata humida ſæpeque aphthoſa eſt, cui ad marginem dentium foveæ impreſſæ conſpiciuntur, vel rubra cum papillis elevatis; aut cum ſymptomatibus tuſſis ſtomachicæ & hypochondriacæ nauſeâ ſcilicet, cardialgiâ, appetitus proſtratione, gravationis circa cordis ſcrobiculum ſenſu, flatulentiâ aut dolore vario hypochondriorum vel laterum, umbilicum aliquando verſus, vel ex eo ſuperiora petentium ſtipatur; quibus & origine proximæ ſe jungunt vigiliæ, capitis dolor, ſalivæ profluvium aliquando, ut & tumor pedum oedematoſus ſplendens dolens, aut ſurarum acerbus, brevi non raro diarrhoeâ colliquativâ ad vitæ exitum comitata. Aliarum huic cogna-

cognatarum in modum triplici formâ opprimit illa phthiſis: nimirum vel tuſſi ſicca, puſtulis pruriginoſis, ventre tympaniâ diſtento, cum totius corporis marceſcentiâ: vel facie catarrhalis cum tuſſi humidâ, dum corpus pravis humoribus circumfluit, & viſcera ſuccis cacochymicis ſcatent: vel denique vera tabe φθοὴ, τύν, & φθίσις dicta, prævia nonnunquam hæmoptoë, vel etiam abſente eadem; ſimili quoque modo a prava viſcerum abdominalium conſtitutione genita. Raro niſi circa exordia mali medelam capit, & quæ propter mitiſſima phthiſeos ſymptomata vix periclitari apparent, placide exſpirant inopinate. Prima, nondum inveterata aliquando ſanatur (*s*); ſimiliter ſecunda, hactenus ab indurationibus magnis liberis viſceribus; ægerrime admodum tertia, maxime ſi jam purulenta evaſerint ſputa: vix enim tunc per trimeſtre ſpatium animam trahunt. Quantum vero in his aſſequi potuerim, ipſæ curationes oſtendant.

1. Inter plurimos caſus occurrit femina, jam inde ab aliquot ſeptimanis clinica. Querebatur hæc de tuſſi moleſtâ ſiccâ, ſubinde dolor punctorius lateralis obſcurus aderat, ſudoribus innatabat, nulla vero ſputa mittebantur, ſed copioſus ſalivæ rivus; pupillæ magnæ nigræ, genarum rubra ſuffuſio. Multa a Chirurgo quodam aſſumſerat inutiliter; obortis autem novis anxietatibus, alter Chirurgus in conſilium vocatur, deque inſtituenda venæ ſectione cum acriter certaverint, demiſſis ambobus, Me advocarunt. Ex manifeſtâ animatâ diagnoſi Antiſpaſmodicis tumultus compe-

(*s*) Conf. *Epicriſ.* ad *ægrot. prim.* hujus ſectionis. *a.*

pescere studui, quod minus prospere fragrantibus, egregie vero terrestribus successit: purgantia hisce interposita sunt, dein visceralia, tandem Martialia. Lumbricos & materiæ mucosæ putridæ multum excrevit, sputa pauca; ut singulâ tantum mixturâ, quâ pectoris symptomatibus occurrere opus erat, indiguerit. Post multa gravia passa pathemata quatuor septimanarum spatio integre convaluit. Plerumque res salva fit; si prima mali aggressione, tussim alvo fusiore avertere integrum detur, secus si aliter eveniat.

2. Altera femina diu jam dolore per intervalla molesto, eo fere loco ubi intestinum cœcum internis parietibus adjacet, affecta, tussi catarrhali tenebatur; aliquando præcordiorum anxietatibus: convenientissima visa Medicina frustra adhibebatur, & quamvis copiosam materiam heterogeneam putridam, ramentosam quoque, tam sponte quam medicamentorum ope, deposuisset, atque apta phthisi mederi solita assumsisset, nihilominus tabe trium mensium spatio misere confecta, vita functa est. Manentibus anxietatibus & tussi sub qualibet medela rebellibus.

3. Puerpera aliquo tempore post partum tussi afficiebatur prius sicca tolerabili, dein auctâ spasmodicâ convulsivâ gravi. Pluribus irrito eventu tentatis, inter quæ pulv. Buxi humili, in similibus casibus a *Præceptore quondam venerando* præmaturo fato eheu functo, Cel. Wintero valde commendato, tussis symptomaticæ suspicio incidit, cui obsequendo dabantur anthelmintica purgantia felici tanto successu, ut vermes aliquot semiputridos emitteret, & pituitæ non parcam quantitatem. Melius multo se habuit, cum & tussis valde immi-

nu-

nuta esset: pharmacis autem fastidiosa substitit, brevi dein novam recidivam perpessa salutem suam Chirurgo minus perito commisit, atque multis frustra lacessita vitam tabidam demum cum morte commutavit.

4. Talis erat deploranda sors novæ nuptæ, quæ post editum suo tempore partum, subinde de molesto circa cordis scrobiculum sensu querimoniam habebat una cum tussi sicca; oculi splendebant, pupillæ parumper solito dilatatiores, lingua papillis elevatis rubicunda humida, raro aphthosa; urina plerumque hypostatica; lactis defectus. Animata potentia hisce sublatere mihi videbatur, aptis igitur in eorum necem datis, lumbricos deposuit; pharmaca vero cum palato minus placuerint fere cunctabatur. Hectica sensim obrepsit, sputaque copiosiora exierunt. Mutato aëre, institutaque vectione, pulchre ad pristinam sanitatem se redire spe vana lactabatur. Ibidem loci conditum confortans ad vires restaurandas assumsit. Domum vero reduci, omnia exasperata sunt; pedes circa talos leviter tumere ac dolere cœperunt, tandem acerbissimus dolor suras occupare, insecuta brevi postea diarrhoeâ colliquativâ, quâ etiamsi viribus fracta, mente tamen constans inter manus mariti ejus cari, absque violentia placide obiit, infante jam fato cesso. Neque huic parum diu supervixit viduus, quippe citato cursu vitæ curriculum ætatis flore absolvit. Medicamenta quoque reformidans debitam viam insistere neglexit, variaque sibi comparavit, vel hos & illos Medicos consuluit: & cum raucedine tantum laborare illis haberetur, a periculo alienus credebatur. Aliter tamen res evenit. Similia quam perfuncta uxor in oculis lin-

gua

gua atque urinis edens phænomena ſenſim in hecticam cum ſudoribus nocturnis copioſiſſimis incidit; modoque parili pedum ſurarumque ſymptomatibus perpeſſus, diarrhœa colliquativa prægreſſa, mentisque compos vivere deſiit. Ex repentino mali in noſtro progreſſu, videtur manifeſta contagioſa fuiſſe in uxore phthiſis; id quod primariorum Medicinæ ſcriptorum una vox eſt (*s**).

5. Tandem me cogit colophonem huic hiſtoriolæ imponere caſus puellæ cujusdam, quæ vermibus laborans interdum aliquos excreverat, ſenſimque in tuſſim ſiccam raucedine quadam junctam inciderat; oculi concavi, ſplendentes peculiari verminantium madore, nigræque amplæ pupillæ erant. Poſt aliquod tempus ita transactum hæmoptoën validam ſuſtinuit, ulcere pulmonum comitatam; novaque oborta inflammatione, cum frequenti alvina contentione nauſea & vomitu, in conclamatam demum evaſit.

SCHOLION.

Quas breviter abſolvi *Phthiſes*, *Acceſſoriæ verminantium* plerumque *Phthiſes abdominales* audiunt, Harum plurimæ inveniuntur in peculiari diſſertatione ſub nomine *Phthiſis hæmorrhoidalis* in Germania ventilata (*t*). Concinnam & accuratam noſtra-

(*s**) Præ aliis multis vide D. SENNERT. *Oper. Omn.* Tom. III. Lib. I. Part. II. Cap. XXXIV. *De Catarrho* pag. 184 & F. HOFFMANN. *M. R. S.* Tom. III. Cap. XI. §. XVIII. pag. 287. interea fertur facile communicari uxori, non autem illa uxoris facile marito. CHESNEAU apud G. P. NENTER. *Fundament. Medicin.* Tab. LVI. V. pag. 373.

(*t*) Præſide G. F. SIGWART, Reſpondente G. H. FEHLEISEN. Tubingæ 1756.

ſtrarum dedit deſcriptionem accuratus WAGLERUS (*u*). Quid vero pluribus opus eſt, dum ipſe Medicinæ Parens, quique veſtigia ejus preſſerunt ſedulo has notarunt (*v*). A pituita quidem easdem oriri credebant, cum caput pituita plenum ægrotaret, ſed & ex aliis quoque partibus in pulmones derivari poſſe. Nam cum *morbi omnes partim quidem ex his quæ corpori inſunt, pituita & bile oriri dixiſſet* HIPPOCRATES (*w*); ita & *ex his quidem cauſſis pus in pulmone colligi* (*x*). Quam autem a capitis pituita naſci contenderat, ſatis conſtat ex abundante muco per univerſum corpus oriundam. *Fit quoque ſuppuratus*, inquit, *ſi ipſa pituita ex capite in pulmonem defluxerit, ac primum quidem ut plurimum latenter defluit, tenuemque tuſſim exhibet, ſputumque paullo ſolito amarius exiſtit, colorque tenuis adeſt. Progreſſu vero temporis, tum pulmo exaſperatur, tum intus a pituita inhæreſcente & putreſcente exulceratur, pondusque in pectore & dolorem acutum ante & retro exhibet, corpus vehementer incaleſcit, pulmo a calore ad ſe pituitam* EX TOTO CORPORE, *præcipueque ex capite trahit* (*y*). Quæ ſi conferantur cum natura morbi mucoſi, ab humore bilioſo inerti & mucoſo abundante geniti, bene cum hodiernis obſervationibus convenient; quin ſi his jungatur aurea in has Coaca prænotio genuinum illius ſenſum pulchre callebit quisquam: *Quibus cum febre lateris dolore accedente, al-*

(*u*) *De Morbo Mucoſo.* pag. 87 & 93.
(*v*) Conferri omnino meretur Cel. VAN ZWIETEN, *Commentar.* Tom. IV. pag. 56 & ſeqq.
(*w*) *De Morbis.* Lib. I. FOESII ſect. V. pag. 446. lin. 33.
(*x*) *Ibidem.* pag. 450. lin. 32.
(*y*) *Ibidem.* lin. 46.

alvus aquosa multa bile permista transmittens allevationem adfert : deinde vero cibos aversantur & sudoribus diffluunt, cum bene colorata facie ac humescente alvo, & dolor aliquis oris ventriculi succedit, ii diutius morbos trahentes pulmonum vitiis laborantium more intereunt (*z*). Hæc autem proprie illa phænomena, quæ sub specie secunda comprehensi, cujusque simulacrum ad ægrotum primum exhibui, præsagiunt. Aphthosam quoque conditionem (*a*) perinde ac cutis exanthemata (*b*), in hisce annotavit, nec sine magna veri similitudine, oculorum & pupillarum degenerationes. Utinam jam inde ad nostra usque tempora similium observatarum, quas veteres tam accurate notarunt, ut alteram Phthiseos classem ex catarrhalibus constituerint, continua series esset! De Tussi quoque a vermibus omnis ævi Medicorum schola mentionem injecit, eandem siccam, tenuem, irritantem frequenter, aliquando inanem nihil egerentem, vocavit; sæpeque optimum vermium signum concurrens habuit. FORESTUM supra jam vidimus solâ hâc tussi, ut signo, puellam quartanâ a vermibus per sex menses misere vexatam simplici medicamento, quo quinque emissis febris fugata est, liberasse.

THEORE-

(*z*) N°. 67. FOESII Sect. II. pag. 127.

(*a*) *De Morb.* Lib. II. pag. 478. lin. 23. VAN ZWIETEN Tom. IV. pag. 57.

(*b*) *Prænot.* FOESII pag. 114. E.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Cum raucitate conjuncta diu perseverans Tussis sicca tabem prædicit.

II. Quæ per periodos vexant Tusses intestinorum malis conditionibus plerumque natalem debent.

III. Omnibus mucosis Phthisis accedens ancipitis eventus est, quoniam ad pulmones jam delata pituita, vel in iisdem acris facta, inveterati mali ægerrime extricandi soboles est.

IV. Ob tussim spasticam effrenem male sæpe habent Phthisici vermibus obsessi, unde simul magnum sanationis prosperæ impedimentum.

V. Eadem de caussa sudoribus & diarrhoeâ colliquativis citius quam simplici mucoso intereunt.

MANTISSA.

Veterum monumenta collustrantes magnam eorum sedulitatem, quam in humorum morbosa qualitate impenderunt, merito mirari debent; quâ observando naturam tantum, Peripateticorum quæstionum non habitâ ratione, prærogativâ qualitate donatam præ alia vix cardinalem caussam agnoverunt; sed prouti tempus atque occasio ferrent, morbos tractarunt & communicarunt. Revera multi morbi dantur, qui facie inflammatoriarum, vel nervosarum affectionum in modum decurrentes, fundamentum suum primarium in materia frigida inerte ponunt (*d*), quæ vitali vi, calore stagna-


(*d*) Vide Cel. GAUBII *Institut. Pathol. Medicinal.* §. 278, 283, 288, 373.

ſtagnatione, vel motu progreſſivo impedita externâ exhalatione, acris facta peſſimas tragœdias ludit. Hinc inde quidem videntur veteres pituitæ, quam in capite plurimum ſecerni ſtatuebant, bilem, quippe calidiorem ex hepate ſecretam, defectu cognitionis mirandæ microſmi ſtructuræ, recte tamen quoad eventum, junxiſſe. Folliculorum autem tubi alimentarii glanduloſorum degenerationes, raro exiſtunt, quin ceterorum viſcerum abdominalium, maxime vero hepatis, poſt ſe trahere ſolent, unde & bilis ſolito copioſior ſecretio fit, ut ſæpius indicatum eſt. Nam cum ex natura quidem rei ipſius ſequi videretur, ut adeo oppoſitam inter ſe habentes indolem humores, bilis nimirum & lenta pituita, nunquam ſimul prædominentur; atque eadem de cauſſa non deeſſe ſingulares illud obfirmantes obſervationes (*d**), ple-

(*d**) Faceta & notatu ſimul digna hiſtoria eſt, quæ in vita Joh. Heurnii exſtat: „ Cum Clariſſimus Lipsius tædioſiſſimo malo conflictatus fuiſſet, febriles inſultus varios expertus, ſtomachus, totumque corpus ei flaccidum & marcidum: contigit quodam die, ut aſſumto pharmaco alvum exoneraret Senſiit autem, dum naturæ neceſſitati pareret, ingentem ſe copiam alvo effundere, eamque continuo & cohærentem. Intuetur quid ſit rei, videt attonitus ſe ejusmodi maſſam effudiſſe, quæ formam & characterem inteſtinorum plane exprimeret. Conſternatur, illicoque Heurnium vocat, de vita ſua actum dicens, nam omnia ſe inteſtina effudiſſe. Inſpicit alvi proluviem Heurnius & læto vultu ad Lipsium verſus: reſpice, inquit, trophæa de tuo morbo: hic focus & ſentina totius mali jacet. Nam erat lenta & viſcida pituita, paulatim in tota inteſtinali fiſtula coacervata a ſedentaria & ſtudiis contabeſcente vita, ejus figuram referens, *in vita* Joh. Heurnii pag. 6. ante *Oper. Omn.* poſita.

plerumque tamen & vero consentaneum animadvertitur, ambas simul, & bilem copiosam & mucum intestinalem, maxime omnium in verminantibus obesse, quod summus Naturæ Dogmaticus extra dubium præcepit. Cum enim omnibus notum sit copiosam mucidam materiem intestinis inhærere, in qua, si adsint, stabulantur vermes, præsentiam illorum ab abundante bile indicare quidem voluit: *At quæcunque jejunæ multis diebus aliquantum biliosa vomitione rejiciunt, si neque uterum gerunt, neque febre detinentur, interrogabis num lumbricos rotundos una, cum vomitu refundant* (e). Utinam igitur in terris uliginosis & aëre continuis vaporibus referto salutaris artis Antistites hoc thema ad antiquam fidem suis illuminatiore in ævo captis observationibus locupletare pergant! Certe majus continuo incrementum intricatissimorum mucosorum morborum classis captura est, dum ea inflammatoriorum & nervosorum secundariorum sub veram faciem prodibit.

(e) *Predictor.* Lib. II. Foes. sect. II. pag. 108. E.




SECTIO



SECTIO QUARTA.

PLEURITIS ET PERIPNEUMONIA CUM VERMIBUS.



§. L I*.

Hactenus dixi quæ per varia genera febrium, maxime in conſtitutione æſtiva & autumnali, perpetua fuerunt; nunc vero explicabo quæ tempeſtate hyemali & vernali cum lateris dolore graſſata ſunt. Quod ut ordine fiat, haud alienum ab inſtituto meo fore exiſtimavi, ſi commentariolum quendam *Pleuritidis verminoſæ* in genere præmittam, ut propter rerum pertractandarum copiam, in ſcholiis enarrationi clinicæ ſubnexis, omnis evitetur ambiguitas, & Tirones melius capiant, quinam ſint morbi de quibus hacce in ſectione agatur.

§. L I I.

Attenta auctorum lectione docemur, dari *Pleuritides* & *Peripneumonias verminoſas*, diverſas ab iis, quas ſola in ſanguine producit diatheſis phlogiſtica. Ne autem vel ſpeciem hujus ex ipſo Hippocrate, aliisque veterum recenſeam, multi poſt Gabuci-

NIUM Pleuritidis mere verminosæ, fecerunt mentionem; quod vel apud BONETUM (*f*) videre licet. De Natura vero ejusdem non æque sentiunt: utrarumque verò, cum non desint exempla, paucis indicare expediet, quæ maxime ex utraque parte dicuntur, quo facilius nostram quoque historiam expendamus.

§. LIII.

Cuncta symptomata, quæ Pleuritide laborantibus evenire solent, spectabantur in puella, quam curavit GABUCINUS (*g*). *Dolor* (huic) *imprimis aderat punctorius in Thoracis parte dextra; tussicula quædam sicca, vel levi quaque occasione commota, pulsus arteriarum durus, serræque haud omnino dissimilis, ac recurrens, spiritus offendens, continens febris. Cum & interdum videret totum corpus frigidum, nonnunquam calidum, cum malarum alterius rubedine fieri, sumpto ad Lumbricos necandos & educendos medicamento, statim plures eduxit atque incolumis evasit.* — Similis naturæ Pleuritis occurrit apud BALLONIUM (*h*) in puero. *Detrahebatur audacter sanguis, dolores non concedebant, inopinato Vermes exclusi sunt, &*

(*f*) *Sepulchr. Anatom.* Tom. I. pag. 637. obs. 38. & MANGET. *ib. loci.* ANDRY Historiam exhibuit *Pleuritidis* a *Tænia* productæ, *de la Gen. des Vers.* Præface pag. III. Confer & *Histoire de L. A. R. des Sc.* 1709. pag. 31. 4°. BIANCHINI alias ab *Ascaridibus. Lib. citat.* pag. 214 — 216. vel *Comment. de reb.* Vol. I. pag. 240. perinde ac DARLUC *Rec periodique* Tom. VII. pag. 55 & 56. vel *Comm. de reb.* vol. VIII. pag. 446.

(*g*) Apud BONETUM. *loco supra citato*, & ANDRY *Lib. citat.* pag 311.

(*h*) Tom. II. *op. omn. Epidem. Ephemer.* Lib. I. pag. 14.

& dolores quieverunt. Pariter contigit apud L. RIVERIUM (*i*). *Puella quinto morbi die tres aut quatuor Lumbricos excrevit per clysterem, ac diebus sequentibus quam plures, tum exhibitis medicamentis Lumbricos expellentibus, tum purgante medicamento, & ita curata est.*

Magnus & nunquam satis laudandus F. HOFFMANNUS similes, sed cum differentia quadam commemoravit. *Lumbrici*, inquit, *quoque ob Tussim febrem & lateris dolorem Pleuritidem mentiuntur, quæ tamen a vermium symptomatibus, dolore sub costis spuriis, febre acuta & tussi sanguinolenta distinguenda* (*k*). Et alibi. *Vermes sæpissime dolores pleuriticos sub costis spuriis mentiuntur, quum in Intestino colo versantur* (*l*). Quam sententiam jam fovisse videtur HELMONTIUS (*m*), ubi in simili Pleuritide *archeum in stomacho propter vermem irritatum, qui acorem produxerat, inque pectore punctorium dolorem incusavit.* —

Attento interea cuivis facile patet, priores ex GABUCINO, BALLONIO atque RIVERIO relatas species, saltem primam, magis accedere ad veram Pleuritidem, quam sequentes ab HOFFMANNO traditas, magis ad spuriam vergentes; quippe dolores laterales inferius, quam in memoratis locis irritasse apparuerunt. Obiter tamen notandum, revera quidem sanguinolenta sputa in verminosa pleu-

(*i*) *Observation. Cent.* I. Obs. LXXV. pag. 487.

(*k*) *De caussis morbor. latentib.* Tom. III. Sect. I. Cap. VII. §. LIII. *op. omn.* Tom. I. pag. 332.

(*l*) *Oper. Supplem.* Tom. II. part. II. pag. 583. seu *Dissert. exhib. Praxin clinicam Morborum Infantum* Cap. V. No. 3.

(*m*) Apud BONET. *loco citato.*

pleuritide prodiiſſe, & febrim acutam eandem comitatam fuiſſe. Plus ſemel ambo hæc phænomena animadverti; ut vix niſi urinâ, diſtinguenda ejusmodi, a vera Pleuritide eſſet.

§. L I V.

Unde minus appoſite regerere nequeunt, proprie loquendo, tantummodo *Pleuritidis* vocabulo inſigniendum eſſe ejusmodi lateris dolorem, qui, cum inflammatione, membranam coſtas veſtientem, aut ipſos intercoſtales muſculos, ferit; dum particula ιτις tantum inflammationem denotat, & ſublatis vermibus in hiſce, quas depingo, Pleuritidibus, plurima ſæpe ſilent ſymptomata, etiamſi ſatis ſæviiſſent. Utrisque autem Pleuritidis nomen tribui fas eſt. Nam ſi per Pleuritidem intelligatur, dolor latera pungens cum pulſu excitato & reſpiratione oppreſſâ, moleſtaque tuſſi, allegata ſupra exempla *Pleuritidis veræ Verminoſæ*, evidentiſſimum præbent indicium. Inſuper quoque ſcire oportet, vermes irritatione ſua inflammationibus producendis capaces exiſtere, quemadmodum in exemplo ex Gabucino allegato, omnia ferme inflammatoriæ pleuritidi reſponderunt. Si enim animata potentia experientiſſimo Gabucino haudquaquam ſuboluiſſet, in antiphlogiſtica adminiſtratione perrexiſſet. Verum dantur Pleuritides omnibus notis inflammatorias æmulæ. Tales autem exhibuit tam dives obſervationum, modo laudatus T. Bonetus (*n*), *quæ in omnibus veram & legitimam, non autem ſpuriam æmulabantur, cum ſanguinis expuitione, ſpirandi difficultate, febri & aliis*

(*n*) *Loco citato.*

aliis ſymptomatibus, quæ veram Pleuriſin comitari ſolent. Quotidiana enim cadaverum in Xenodochio Ferrariæ ſectio docuit, viſcera interiora, ſtomachum ſc. & inteſtina, Lumbricis & Vermibus tota fuiſſe infarcta.

§. LV.

Utriusque præterea generis Pleuritides uberrime quoque proſtant. In Epidemia autem, quæ regnavit *St. Jean d'Angeli* (*o*), ægrotantes quadruplici modo infeſtabantur.

Alii enim Pleuritide & Peripneumonia ſpuria, absque ullo malignitatis indicio correpti, per tres, aut ad ſummum quinque dies ægrotarunt, niſi in quibusdam in ſequentium quandam ſpeciem abierit.

Secunda ſpecies ſub forma febris continuæ decurrit, decumbentibus capitis dolor & renum, vigiliæ pertinaces, dejectiones purulentæ & verminoſæ, ſæpiſſime ſudores copioſiſſimi & ſymptomatici, nullum levamen adferentes, Tuſſis ſicca, reſpiratio brevis & profunda, nullus tamen lateris dolor, nec etiam pectoris pondus adfuerunt. Ultra ſeptem dies non durarunt: & quamvis pectus parum videbatur affectum, eadem tamen poſt mortem quam cætera exhibuerunt phænomena.

Tertia ſpecie prehenſi laterum dolore, ſpurias plerumque coſtas obſidente laborarunt, violenta ſub tuſſi, quæ ſicca & moleſta. Sputa in his ſub initium morbi fuerunt ſaponacea & alba, in progreſſu vero craſſa & quaſi purulenta. Oppreſſio non adeo fuit moleſta, attamen ſub vigore morbi eadem

(*o*) *Recueil Periodique* &c. Tom. VII. pag. 136 & ſeqq. vel *Comment. de reb.* vol. VIII. Part. iij. pag. 449 & 450.

eadem ac in præcedente apparuerunt ſymptomata.

In *Quarta* denique ſpecie, præter ſymptomata ſecundæ & quartæ, notabili oppreſſione una cum ſputo rubiginoſo & ſanguinolento afficiebantur. — Plurimi ægrotantes vermes aut per vomitum aut per alvum reddiderunt. In quibusdam poſt mortem luſtratis viſceribus, membranam pulmonum propriam, atque pleuram in coagulum craſſum, ſolidum & quaſi purulentum mutatum, inque corde polypos immenſæ magnitudinis repererunt (*p*).

§. LVI.

Immo maligniores, quin inflammatoriæ & ſuppuratoriæ ſphaceloque ſtipatæ inveniuntur apud ſupra laudatum RAULIN (*q*). Etenim „ ad finem „ menſis Aprilis acciderunt febres continuæ, ſim- „ plices quibusdam, aliis vero inflammatoriæ: „ aggrediebantur ſemper cum perfrictione; & „ omnium moleſtiſſimum inflammatoriarum ſymp- „ toma erat dolor hypochondria & muſculos in- „ teriales viciſſim occupans. Inflammatio quam „ cito diaphragma adiit, unde & pleuram petie- „ bat; dieque morbi quinto ægrotantes opprime- „ bantur; aliquando quarto, aut tertio." Et maximopere verminoſas fuiſſe apparet, quoniam iterata purgantia, vermifugis nupta, ab initio poſt primam ſecundamve inſtitutam ſanguinis miſſionem deſiderabant. *Il étoit des malades qui rendoient jusqu'a cent vers*; fuerunt ægroti qui reddiderunt usque centum vermes (*r*).

Quin

(*p*) *Ibidem Loci.* pag. 139.

(*q*) *Des maladies occaſionnées* &c. pag. 157. Confer ſimul *Recueil periodique* &c. Tom. VII. pag. 168 & 207.

(*r*) *Ibidem.* pag. 158.

Quin ejusdem malignæ naturæ, quamvis mitiores ſub ingreſſum, & vagæ in quibusdam, quæ regnarunt exeunte anno 1751. ex eodem auctore diſci poteſt (s). Initio nempe aderat dolor acerbus in latere qui rurſus diſparuit & renaſcebatur; oppreſſio hic tolerabilis, excepto in doloris ſævitie; plures tamen ab eadem quam quidem a præcedenti epidemia perempti ſunt (t). Præterea tuſſi afficiebantur ſicca; cum dolore vero obſcuro minus tuſſiebant, ſputaque excreverunt lymphatica (u). *Sanguis de vena emiſſus cruſta inflammatoria dicta, erat obſeſſus ut in vera Pleuritide, &c.* (v). Vehementiores tandem adhuc fuerunt quæ regnarunt in Conſtitutione annorum 1748. & 1749. dum & cadaverum hiſce demortuorum ſectione conſtitit, pulmones repertos fuiſſe ſphacelatos & omnes lobulorum cellulas lymphâ craſſâ gelatinoſaque turgidas. Singulum modo vermem teretem in ventriculo repererunt; inteſtinum vero duodenum & tenuia, admodum dilatata, iisque repleta fuerunt. (w).

§. LVII.

Pleuritides igitur & Peripneumoniæ non ſemper ſymptomatice exiſtunt, ſed etiam malignæ epidemicæ, eodem ex gremio quam ceteri morbi maligni oriundæ. Annonæ caritas, ejusque prava conditio memoratam conſtitutionem anteceſſit, quam tanquam cauſſam proxime prægreſſam ſalutavit

(s) *Obſerv. de Medicine.* pag. 299.
(t) *Ibidem.* pag. 301.
(u) *Ibidem.* pag. 302 & 303.
(v) *Ibidem.* pag. 306.
(w) *Ibidem.* pag. 307.

tavit Doct. Auctor (x). Initio quippe invaſionis perinde laborarunt plebs & proceres. Pauperes vero copioſe excreverunt vermes, quorum inteſtina iisdem ſcatebant; quod non ita contigit, quibus ampliori fortuna proſpexerat DEUS. —— Vermibus denique potiſſimum proſpiciebatur, directâ primariâ in eosdem indicatione. Pulſu depreſſo, febreque abſente, dabatur emeticum; præſentibus præprimis nauſeâ atque vomendi conamine. Pulſu vero duro, poſt emeſin vena ſecabatur iterum ſi opus eſſet. Reiterabatur emeticum, ſi quando perſeverarent vomendi conatus, aut ventris fluxus; mox tempore matutino vel alternis diebus ingerebatur ptiſana regia dicta cum Senna Tamarindis & Anthelminticis.

§. LVIII.

Quapropter ratione cauſſarum irruentium multifariam exiſtunt Pleuritides verminoſæ; & vermes ſive per ſe, vel, eos comitantibus aliis cauſſis, epidemicos morbos maxime intendunt; unde & pro varia conſtitutionis indole ſimpliciſſimæ, bilioſæ, aut putridæ & ſuppuratoriæ naſcuntur. Hiſce prælibatis epidemiæ noſtræ morbos ſecundum hanc normam videamus.

§. LIX.

Sub finem hyemis 1761. (§. XVI.) potiſſimum menſe Martio & Aprili 1762. obſervatæ ſunt *Pleuritides & Peripneumoniæ leviores*, quæ nihil peculiare præ ſe tulerunt, niſi quod encephali perturbatio

(x) *Ibidem.* pag. 311 & 312.

batio repente aliquando manifeſtaretur: emiſſis vero foras lumbricis, brevi iterum temporis ſpatio ad ſanitatem redierunt affecti. Incipiente deinceps magis æſtuare cœlo, nondum finito Aprili menſe, jam tum acrius inſurrexerunt, non ita ſimpliciter ſed etiam ſub forma *febrium bilioſarum*. Maximam tum intulit vim epidemia in ſexum ſequiorem, ex quo feminam ſexagenariam ſervare non potui, quin paraphrenitide metaſtaticâ perierit. Duæ tamen ſimili morbo, quamvis acriter ægrotantes, priſtinam ſalutem adeptæ ſunt. Plurimi vero integre judicabantur intra ſeptenarios tres. Eodemque tenore, etiamſi pauciores afficientes, redierunt ſub finem autumni, bilioſæ rurſus pariter ac verminoſæ febres. Quidam peripneumoniam exhibuit ex ictero; contra ex peripneumonia acuta icterum alter. Menſe Octobri febrem ſimplicem bilioſam, quinto ab initio, in ſævam pleuritidem bilioſo-verminoſam abeuntem in ruſtica procera, quæ tamen uno eodemque tempore ad ſalutarem finem perducta eſt, animadvertere dabatur. Sub hacce periodo non adeo malignæ & pertinaces vexarunt, quam ſub verna conſtitutione.

Dolor in hiſce potiſſimum feriebat dextrum, in illis vero ſiniſtrum latus. Tuſſis prius ſicca, irregularibus afficiens paroxyſmis, ſub veſpera plerumque aucta, doloris ſenſationem augere conſuevit: progreſſu morbi quidem humidior, raro tamen ſputa cocta, contra ſpumoſa cruda, ſubbilioſa, putrida rejecit. Dolor capitis & lumborum plerisque familiaris. Sudores copioſi in bilioſis, non plane critici, in quibus vigiliæ pertinaces: attamen non ita copioſi, ſiniſtro latere laborantibus. Pulſus nunc durus, nunc intermittens, in

aliis

aliis magis regularis. Pupillarum denique plerumque cum vermibus dilatatio consueto major, & oculi renitentes.

Quibus sanguis mittebatur, in priore memorata periodo, inque etiam plerisque biliosis non remittebat semper lateris dolor, cum pristinus brevi rediret, etiamsi & pro tempore levati apparerent; sin minus vermes exitum petiissent: neque sanguis in his inflammatorius; vix quidem coadunationis crassamenti aderant indicia, quod tamen in Verminosa Pleuritide citra epidemiam frequenter observare contigit. Anthelmintica purgantia optime his ex usu fuerunt, & si quando circa quartum quintumve diem serius ocius vermes excludebantur, ægroti facillimo negotio ad sanitatem, paucis indigentes ad integram saburræ extirpationem, sive viscerum tono restituendo, aut expectorationis levioris promovendæ gratia pervenerunt. Atque hæc quidem in pluribus levioribus perpetua fuerunt, in quibusdam vero etiam post animatæ potentiæ morbosæ expulsionem magis moti sunt dolores in hacce periodo, attamen multo magis in describenda. Plus quoque negotii fuit, quando diebus judicatoriis superessent, ut infra in singulis patebit.

§. L X.

Complicatæ autem admodum, quæ anno nimirum exeunte 1760 & incipiente modo 1761; itidem eodem finiente, infestarunt pleuritides & peripneumoniæ, plurimum *putridæ* refertæ vermibus, quin *inflammatoriæ* & *suppuratoriæ*, difficilis judicationis. Quorum quidem decursus erat, ut incipiente verminatione putridæ constiterint, donec

mi-

mitiores evaſerint, menſe Martio & Aprili 1761 (§. LVIII.). Redierunt ſimiliter putridæ, comatoſæ phræniticæ valdeque complicatæ Januario & Februario anni 1762. ſuppuratoriæ ſimul tunc temporis, uſque fere in ſolſtitium æſtivum: & omnium peſſimæ, ut ſupra jam indicavi (§. XV.) anno 1763. quarum uni & alteri medicinam feci.

§. LXI.

Duplici tamen præ cæteris *modo* videbantur infeſtaſſe, vel ſub *catarrhalis*, vel *veræ pneumonicæ* facie, utraque formâ putridæ febris tecta. Communia quidem phænomena quædam manifeſtabant, veluti præcordiorum moleſtam ſenſationem cum ponderis ſenſu in pectore, capitis & lumborum dolorem, coma, catoche &c. omniumque conſuetorum ſymptomatum aggravationem. Attamen *Catarrhalis* quanquam caput & pectus moleſte afficiebat, doloribus ſubrheumaticis omne corpus ciebat, aliquando acriter: alii de ſtupore in manibus ac pedibus queſti ſunt, nonnunquam de dolore in cruribus & tibiis, plurimi in parte ſiniſtra; dum horrores vagi pro ægrotantium conditione incerto calore ſecuti, ſudores frigidi acritici cum extremitatum perfrictione, reſpiratio difficilis cum moleſta capitis affectione creberrime obſervabantur. Sputa pauca ſpumoſa, vigenteque ſummâ putredine, coloris fuſci putrida. Lingua in morbi principio vix mutata, dein alba facta, rimas tandem egit profundiores nigerrimas, quæ ſiccæ aut aridæ minus bonum indicium tulerunt, quam ſi denuo humida evaſerat lingua. Urina per totum fere morbi decurſum limpida, in paucis parvo enæoremate ſuſpenſo, in quibusdam ceſſato delirio cer-

nebatur hypostatica verminantium consueta. Capitis affectio multis quoque mitior quam in putridis pneumonicis, ut interdum ex delirio ad se redierint: in rigidis autem res aliter comparata fuit; nam si eâdem catarrhali prehenderentur exitiale plerumque fuit cum vermibus ad caput metastasis, sin minus liberaliter fluxerit alvus. Commune quoque phænomenon erat, ut circa vesperam omnia intenderentur, & cum vermibus pejora longe symptomata, maxime vero præcordiorum & pectoris angor, capitisque aggravatio, ut & visus obnubilatio animadverterentur; inque his lingua magis squalida, arida, nigerrima. Nonnullis quidem animadvertebantur phænomena, quæ sub febris nervosæ nomine ex Magni HUXHAMII observatione, cui tot Medicina debet, comprehendit Doct. JOHN BALL (*y*). Plurimi tamen catarrhali putridâ tenebantur; quapropter, & a vermibus in intestinis stabulantibus critice molientibus, vel artis auxilio magis in diarrhœam proni erant, quâ sæpe salutaris morbi facta mutatio est. Fatendum tamen, in minus primarum viarum saburrâ obsessis, vix sensibilem evacuationem, præter eam quæ a vesicatoriis eliminabatur, animadversam esse. De salivæ vero copiosiori in fine morbi affluxu, diuque aliquando protracto, sæpe sæpius dubitavi, utrum vermium symptoma, num vero critice morbum solvens considerandus esset; quamvis nequaquam obsim, quo minus eandem critice plerumque in similibus casibus evenire posse credam.

(*y*) *The modern Practice of Physic.* by JOHN BALL. Lond. 1760. vid. *comm. de reb. gestis* &c. vol. X. part. II. pag. 255.

§. LXII.

§. LXII.

Catarrhali hacce detenti, Pleuritidis veræ notas haud exhibebant, cum pectoris & lateris affectio symptomatice provenire haberetur. Quare præter Diluentia Resolventia, Vesicatoria Epispastica, Mannata, Rhabarbarina & Salia digestiva, Cortex Peruvianus maximam curæ partem absolvit.

1. Verbi Dei minister catarrhali hac una cum vermibus & putridi magmatis copiâ magnâ in intestinis laborans in coma somnolentum inciderat, quo per dies quatuordecim affectus diarrhœâ criticâ ramentosâ cum urina hypostatica ex albo flavescente judicatus est. Pupillæ admodum dilatatæ erant, adeo, ut iris vix distingui potuerit; immodicam salivæ quantitatem effudit, aliquot librarum nychthemeri spatio, per septimanas successivas, eodem modo ac si Mercurium eum in finem assumserat. Summa debilis hujus constitutio, vix alia præter pharmaca ex nobili illo Peruviano antidoto, Rhabarbarinis maritata, admittebat; dum spasmi ceteræque turbæ aptis his adversis, ex Aquis analepticis, adjutis vesicantibus auferebantur; & noster postea firma sanitate gavisus est.

2. Vigil nocturnus jam trium hebdomadum spatio, comate vigili subdeliroso, cum pupillis admodum dilatatis, sudore cum extremorum perfrictione perfuso, vix febre remittente cum pulsu inconstante, urinâ tenui flocculosâ, graviter ægrotavit; quem latis vesicatoriis quatuor simul

plagis impoſitis, & coactæ alvi ſolutione cum inſequente putrida verminoſa ſeceſſione, Cortice plurimum Peruviano, aptisque diluentibus proficiens, auxiliante ſummo Numine, revocare, propter pueros minutilos, mihi gratulatus ſum. Huic etiam mox hypoſtatica evaſit urina, quamprimum exitum petiit putridum magma: & cum mente, jam ex delirio redux, conſtabat integer, de immanibus cruciatibus per univerſum corpus, brevi quoque diſſipatis, queſtus eſt.

§. LXIII.

Lente ingrediente catarrhali hacce cum levioris horroris ſenſu, primâ modo morbi elapſâ ſeptimanâ, Medicinâ haud factâ ægris appoſite, fiebat ad caput metaſtaſis: aſt ſubito invadens cum febri valida ab ipſo morbi principio, vel tertio, aut ad ſummum quinto die, ferox delirium excepit immanem capitis dolorem, viſûs obnubilationem, auriumque tinnitum in uno & altero linguæ aphoniâ ſtipatum. Ad quinque vocatus ægrotos ſerò hoc pacto Medicinam parantes, duobus tantum exoptatam opem ferre potui.

1. Primus Nauta, cujus ſalus duobus antea Chirurgis commiſſa erat, ad quem tertius ego vocatus ſum. Urina tenuis limpida, parum floccoſa: lingua nigerrima, fiſſa, arida: tendinum ſubſultus: pulſus intermittens: facies ſqualida contracta Hippocratica: Tuſſis ſicca: ſputa pauca ſubputrida tenacia. Irritâ ipſi facta Medicinâ phrenitice occubuit tertio vocationis die.

2. Daniſta vitam agens otioſam, catarrhali putridâ afficiebatur. Absque levamine ſanguis a Chirurgo miſſus eſt; dum ſævo adeo prehenſus eſt delirio

lirio æger, ut quatuor viri robusti vix istum tenerent, ne lecto desiliret. Arcessitus ego quatuor simul imponi tibiis & cruribus vesicatoria jussi, apponique similia plantis pedum & nucho acria epispastica; & facili nostro in assumendo, sub delirii intervallo, promptissimum purgans propinavi, quo copiose secessit alvus, putrida, ramentosa, tantoque cum levamine continuo fusa, ut caput integre liberatum sit & pectus; subsidente statim urinâ hypostticâ. Mitioribus ceterum ad reliqua subigenda indigens, septem dierum spatio, sanus evasit.

3. Rusticus ex simili morbo fatis cessit, quinto a principio, qua nocte ad auxilium ejus vocatus eram.

4. Nobilis vir a secretis eodem modo catarrhali una cum comate diliroso prehensus, latis vesicantibus & epispasticis, salutariter fluente alvo, paucisque postea ingestis purgantibus, ex atris faucibus ad pristinam sanitatem DEO auxiliante revocatus est.

5. Rusticus exercitatus spiritibus ardentibus justo nimis deditus similiter adfectus, eodemque modo administratus, imperfecte judicatus est. Signis dein felicioris sanationis jamjam ex gravi morbo phrenitico nonnihil perspicuis, honestam missionem parcimoniæ caussa impetravi: nostrum interim denuo curæ commiserunt illius, qui prima morbi invasionis tempore saluti ipsius præfuit. Recidivam vero passum, ut mos in putridis est, nisi integra fomes extinguatur, brevi post, vitam cum morte commutasse nostrum moleste audivi.

§. LXIV.

Pneumonicæ vero *putridæ febres*, ſub forma veræ magis Pleuritidis & Peripneumoniæ infeſtarunt; & inflammatoriæ indolis exquiſitæ putridæ plurimis phænomenis erant tectæ. Aliquando in initio leviorem tantum dolorem exſerebant, ſævientem poſtea admodum, evocatâ primarum viarum ſaburrâ; aut, materiæ morboſæ verſus caput inductâ metaſtaſi, recrudeſcebat, cum ex periculoſiſſimo illo ſtatu ad ſe redierint ægroti. Urina in his plerumque turbida, jumentacea, non ſubſidens coloris ſubflaveſcentis, vel ſubſidente cum hypoſtaſi inæquali diſrupta; aut etiam cum albo ſedimine; nullum autem ægrotum mihi repræſentare poſſum qui rubicundam, ſimilemve in fundo matulæ deponentem materiem reddiderit. Lingua lata alba, ſqualida, & veluti in reliquis putridis, humida, plerumque cruſtâ denſâ atro-fuſcâ obſeſſa, & magis quidem quam in ſupra memoratis continuis putridis. Pulſus vacillans, quibusdam mollis, aliis intermittens, raro durus vel vere inflammatorius, niſi ſub vermium irritationibus, quo tempore ſimul magis intendebantur & tuſſis & lateris dolor una cum febrili paroxyſmo. Tuſſis quoque pro intenſiori ſymptomatum gradu adficiebat. Sudores fere copioſi acritici plerumque, niſi ſubſidente urinâ. Denique vel vigiliæ erant pertinaces, aut comatoſe tenebantur affecti. Alvus initio quidem erat adſtricta, donec critice, aut medicamentorum ope ſolveretur, quod plerumque ſalutariter evenit decumbentibus. Et quoniam putridis fere familiare eſt, per pulmones ſcilicet per ſputa ſeſe evacuare, apta Apozemata cum Salibus mediis, Syrupis offici-

officinalibus tum Mellitis cum Manna potiſſimum in uſum vocabantur. Kermes minerale in nonnullis, tam ſputis referendo, quam egregiam vim anthelminticam exſerendo, ex uſu fuit.

Prævisis nunc quæ pertinent ad univerſa genera febrium pneumonicarum verminoſarum, ad ſingulorum quorundam curationes veniam.

ÆGROTUS PRIMUS.

Cultor terræ rigidus exercitatus, febre corripitur pneumonica, cum lateris ſiniſtri dolore; urina coloris naturalis erat; lingua parum obſeſſa; pulſus non admodum durus nec inflammatorius; caput vero & totum ferme corpus dolebant. — Ab Electuario diapruno cura inchoabatur, ſuperimpoſitâ mixturâ ex Sale medio, Syr. è quinque rad. aper. & Aqua Sambuci. Vermes prodierunt die tertio: mitigitato lateris dolore & pectoris anguſtiâ, integrum fuit ſola dare Anthelmintica. Septimo autem ab invaſione tuſſis aucta de novo eſt; fugata tamen rurſus, datâ ex Antimonio diaphoretico non edulcorato, Syr. 5. rad. aper. & Aqua cochleariæ mixturâ; undecimo a principio die ſanitati reſtitutus eſt, ut rebus ruſticis vacaret. Sputa perpauca excrevit & urina poſt emiſſos vermes in hypoſticam evaſit.

ÆGROTUS SECUNDUS.

Femina ætatis mediæ febre pneumonicâ lecto adfigitur ſubbilioſâ; &, una cum moleſtâ præcordiorum anxietate, doloroſa ipſi fuit inſpiratio. Facies tamen erat pallida, oculi renitentes, pulſus modice tantum mutatus, plurimum inordinate

intermittens. Multa cum lumbricos manifestarent, ab initio purgans anthelminticum dabatur: aucta vero magis ac magis est anxietas, etiamsi lumbricos aliquot ab assumpto medicamento dejecisset, ut subinde in animi deliquium ægra inciderit. Hæc cum turbis reliquis, rejectis denuo lumbricis, siluerunt. Dolor vero in latere rediit, & tussis quæ antea sicca fuit, vexante animatâ potentiâ, nunc vero humida evasit; sputa tamen cruda spumosa parum cocta. Ad septimum urina sedimentum album deposuit cum antea jumentacea turbida steterit. Mixtura laudata ex Antim. diaphor. &c. ter iterata radicitus morbum sustulit, ut quatuordecim dierum spatio pristinam recuperarit salutem.

EPICRISIS.

Ambæ hæ febris pneumonicæ cum vermibus leviores fuerunt species. Sputa raro in hisce prodeunt cocta, si vermes mature exeunt, quoniam & tunc salutaris per alvum criseos vice funguntur. Aliquando tamen accidit, ut in ejusmodi leviori specie ab initio comate afficiantur, quod vel sequens exemplum manifestat.

ÆGROTUS TERTIUS.

Puella viginti annorum acuta pneumonica febre comatosa decubuit a principio: urina subjugalis perturbata, pulsus intermittens, sudore perfusa, subinde vehementer angi animadvertebatur. Unde probabilis mihi cum esset de vermibus suspicio, Apozema resolvens incidens leviter alvum ducens, præ ceteris mihi arrisit. Quo assumto, altero die

lumbricum

lumbricum unum & alterum, inter ſummas anxietates excrevit cum materiæ mucidæ multo, alvoque liquida.

Mente vero jam inde conſtans mixturam excepit terreſtrem, lenioribus tantum laxantibus nuptam; ſed alvo etiam ex hac nimis fuſa, permanentibus inſuper anxietatibus, paregoricum veſperâ datum eſt, quo egrie ambo hæc ſymptomata ſiſtebantur. Quarto vero iterum propinavi mixturam laxantem anthelminticam, felici adeo eventu, ut eodem medicamento ter iterato, debellatis feris alvinis, expulſaque materie pituitoſa non pauca, nihil aliud aſſumſerit. Intra dies quatuordecim, urinâ ſub alvo fuſiore jam hypoſtaticâ, ad ſanitatem perducta eſt, pauca ſputa excernens.

EPICRISIS.

Decocta ſaturata radicum aperientium, ſimiliumque ſpecierum reſolventium Graminis nimirum, Fœniculi, Leviſtici, Petroſelini, Parietariæ, cum Salibus mediis Manna aut Syr. cichorei cum Rheo, in ejusmodi affectibus ubi pulmones lentâ pituitâ, cum feris in inteſtinis, opprimuntur, præ contractioribus purgantibus in principio ſeligenda eſſe, iterata evicit experientia. Sed hoc quidem perpetuum non ita accipiendum eſt, quin inductâ per metaſtaſin encephali perturbatione, fortiora tunc deſiderentur. Quod tamen plerumque ex linguæ inſpectione, quæ in poſtremo caſu vel arida aut nigra, in illo verò in interſtitiis tantum folliculorum glanduloſorum, verminantium conſueta eſt obſeſſa, diſcerni poteſt. Capitis igitur affectionem in noſtra vermium conſenſui potiſſimum tribuendam fuiſſe, quoniam poſt primam

lumbricorum expulſionem non rediit, ipſa ægroti hiſtoria exhibet. Et iisdem in caſibus proſpere mihi ceſſit memorata methodus: præſentiſſima quoque deprehendi Terreſtria non alcalina, quæ arbitrio cujusvis, prout vis morbi poſtulat, aptis aliis nubi poſſunt; quippe ſerpentino inteſtinorum ductu, ferarum expulſionem egregie promovent, idque minori cum agitatione; præſertim ſi nidus jam deſtructus ſit.

ÆGROTUS QUARTUS.

Viginti & aliquot annorum homo, nuper junctus matrimonio, ex itinere, quo ſub tempeſtate nimboſa, in cymba aperta maris ſævitiem expertus erat, jam non nihil langueſcens domum redux graviter ægrotare cœpit, unde adjumento indigens ad ipſum arceſſitus ſum, lumbricis fere ſemper ſcatens, ne nunc quidem iisdem vacare, oculi ejus renitentes lachrymoſi, cum pupillarum majore dilatatione ſatis abundanter manifeſtarunt. Morbus autem ſub facie febris pneumonicæ prehendit eum cum lateris dolore; & quoniam non admodum vexabat lateris dolor, dabatur, propter vermium manifeſtam diagnoſin, ex induſtria omiſſâ eandem ob rationem venæ ſectione, Apozema reſolvens alvum leniter ducens cum Electuario diapruno ſolutivo a principio. Alvus inde liberaliter ducta eſt, cum levamine tuſſis doloris & reſpirationis oppreſſæ, urinâ jam tertio morbi die deponente ſedimentum ex albo leviter flaveſcens; & cum omnia ex voto procederent, quieſcentibus lumbricis, ſalutaria naturæ molimina perturbare, a potentioribus religioſe abſtinui per octiduum:

decimo

decimo vero morbi die, cum ex voto non respon-derent naturæ conamina neque critice solvi mor-bus mihi videretur, manifestâ, ut ante, animatâ diagnosi, mixturam familiarem anthelminticam nostro imperavi. Vermes per biduum pertinacis-sime medicamento repugnantes, nequidem alvo a dato medicamento ductâ, ingentes turbæ effece-runt.

Nocte autem inter undecimum & duodecimum ab ingressu tanto corripiebatur, cum pulsu duro, summoque præcordiorum angore, colico dolore, quo intestinorum merito metuerim inflammatio-nem: sanguis nunc magno vulnere missus est, at-tamen nullam inflammationis crustam cruor gessit. Animatam quidem potentiam cum hujus doloris caussam haberem, nulla in sanguine visa phlogi-stica diathesi, Terrestria anodynis juncta ex Aq. Fæniculi formâ mixturæ assumsit cochleatim, cum doloris & anxietatis levamine. Oculis insuper leviore flavedine tinctis, pariter atque urina colore croceo, bilem a vermibus fuisse motam, obicem-que posuisse ductui choledocho, manifestum habe-batur: quam ob rem, postquam emolliente & carminante clysmate dolori prospexissem, Acida Saponacea ipsi ex usu fuerunt. Attamen vero nondum finito ipso duodecimo die alterum colicæ accessum passus est, iisdem atque in priore comita-tum phænomenis; unde & cum pulsus admodum esset elevatus & durus, iterum, ne in veram in-testinorum inflammationem, ut simili in colico do-lore evenit, abiret, sanguis missus est; & ne nunc quidem naturali fuit alienus. Clysma perin-de atque in superiore paraxysmo infundebatur, dum simile cataplasma abdomini imponebatur. Dolo-re, reliquisque mitigatis symptomatibus, nondum

vero

vero emiſſis lumbricis, etiamſi liquide ſatis fluxerit alvus, validiora demum Anthelmintica mercurialibus mixta animatam cauſſam eradicarunt, & hiſce colophonem impoſuerunt.

Epicrisis.

Magna illic quoad vermes, qui tamen quiete morbo ſubfuerunt complicatio; critice vero haud excluſi & a leniente cathartico moti, tam ſævæ colicæ cauſſam ſubminiſtrarunt. Huic quidem defuit, quod tantum non omnibus evenit in tantâ morbi vi, ad caput ſcilicet metaſtaſis, mature hic jam omnibus ſalutariter molientibus; ceterum in latebris ſuis firmiter inhæſiſſent infeſta animalcula, probabile eſt, mature judicatum fuiſſe noſtrum. Plerumque enim vermes ſolent peſſima ſymptomata excitare, morbumque protrahere, vel cito lethi metum inferre, ſi quando diebus judicatoriis ſuperſint.

Ægrotus Quintus.

Piſtor jam aliquo tempore, ex ſimili morbo epidemico clinicus, menſe Majo finiente, valetudinis curam Chirurgo minus perito mandaverat; qui venæ ſectione, expectorantibus, purgantibus, aliisque, tempus aliquot absque ſenſibili ægroti levamine triverat, meum tandem auxilium imploravit. Obpreſſio pectoris illi fuit moleſta; tuſſis continua fere ſicca, lancinante ſubinde leviter lateris dolore, pulſus vacillans intermittens, lingua ſubpinguis fuſca tremula, urina tenuis citrea cum enæoremate, dum ſudoribus innatabat æger. Vigiliæ aderant pertinaces, quas opiatis iſte incaſ-

ſum

ſum auferre anniſus erat: nec mente plane conſtabat, multa autem verba profuſe loquebatur. Hæc morbi diagnoſis, quæ habebatur Peripneumonia notha putrida cum metaſtaſi ad caput. Tuſſi pectorisque obpreſſioni quamprimum, ſi quid levaminis tribuere par eſſem incidente reſolvente mixtura, qua tuſſis mitigata eſt, proſpexi; quo impetrato perpendens totam rei cardinem in eo verti, quod putridum magma, quam primo quoque tempore, ſimul & ſemel ſubigeretur, deque corpore eliminaretur, pulſusque inconſtantes refrenarem, noſtrum more putridarum verminoſarum curæ ſubjeci. Epiſpaſticis & veſicantibus pedibus applicatis, alvus ciebatur purgante medicamento, atro-putrida, ramentoſaque: allevatus noſter admodum, & tuſſis cum multo minus moleſte vexaret, pulſusque magis ordinate cum eſſet, non fluctuavi animo, quin ſtatim ipſi Corticem Peruvianum, addito Rheo, ex Decocto aperiente, propinarem. Ad quintum vocationis diem, iisdem adhibitis jam hypoſtatica ſtetit urina cum ſedimento ex albeſcente flavo: delirium vix amplius aderat; ſudor jam criticus levans, & moderate magis quam acceſſionis meæ tempore; pulſus minus intermittens, magis conſtans, adeo, ut reliqua ſymptomata faciliimo negotio ſubigere, integrum adpareret. Somnus autem per trium ſeptimanarum abſentiam rediit, lingua pellem exuit, abiitque febris, dum alvus naturalis evaſit; nec ullum in pectore relictum veſtigium fuit. Tam acute decumbens homo, intra trium hebdomadum ſpatium, ad ſaniſſimam valetudinem ſub Divinis auſpiciis, qua quidem dudum antea frui non contigerat, pervenit.

EPICRISIS.

Epicrisis.

Hujus typi morbi maxime videntur accedere ad descriptas supra putridas & catarrhales febres. Intercedere tamen cum illis magnam differentiam exinde patet, quod pectus magis quam synochæ putridæ obsideant, & in initio tanquam veræ pneumonicæ febres invadant: cum hisce, quod facilius quam catarrhales putridæ ad salutarem finem ducantur, neque adeo pertinaces existant, si apte iis medeantur; sudor hic quoque magis criticus, & non raro per omnes simul vias natura molitur. Alvus tamen liquide ducta, ramentosaque fluens in verminosis, plerumque præstat; dum subinde vehementiori malo, si ita e re videtur, occurri potest.

Ægrotus Sextus.

Prætor sexagenario major, peripneumonia notha corripitur subputrida, mente captus a principio. Epispasticum ex Raphano rusticano nucho imponebatur, vesicantia vero duo ad tibias. Pulmonibus præter modum obsessis, fortiora resolventia in usum vocare oportuit. Mixtura dabatur solventissima ex emulsione ammoniacali cum decocto valde incidente & Oxymelle scillitico. Altero vocationis die summopere ab assumto medicamento levatus, mente jam constitit; & quum nulla alia instaret indicatio, eandem mixturam continuavit. Tertio quo iterum ei adfui, multo adhuc melius cum se haberet, adeo hilarem se fecit hodie, ut de felici facta ipsi medicina, deque rebus domesticis erectus lecto insidens mecum confabulatus sit. Sextâ vero vespertinâ, cum domum

domum ego reverſus eſſem, brevi dein oborto ſummo præcordiorum angore, inſequente ſyncope lethali, vitam inopinatè cum morte commutavit.

EPICRISIS.

Probabile eſt noſtrum epidemice fuiſſe exſtinctum; & animatam potentiam ſurſum vagatam, exſtitiſſe cauſſam lethalis ſyncopes. Hinc, nunquam tutum eſſe procraſtinare alvinas evacuationes, apparet: parcendo ſeni, cum pulcre ipſi eſſet, neque mali nunc multum ſuſpicarer, alvum in craſtinum duxiſſem, quod præmaturâ morte præſcindebatur; unde ab ipſo initio laxantia ſolventibus jungere præſtat.

ÆGROTUS SEPTIMUS.

Singularem metaſtaſin, cujus jam in præfixa Hiſtoria mentionem feci, animadvertere dabatur in fabro ærario. Quadragenario autem majorem prehendit illum febris acuta pleuro-peripneumonica, cum dolore in dextro latere. Pulſus durus inflammatorius, reſpiratio impedita & tuſſis aſſidue vexans, ſuadebant iteratas inſtituere ſanguinis miſſiones, ceteramque adhibere curam antiphlogiſticam, quibus ex voto impetratâ reſolutione, proceſſit morbus optimis perfectæ coctionis ſignis ad nonum usque diem, quo tamen, absque ullo malo omine ſputorum contigit ſuppresſio, ut nullum amplius, quantum ſcio, ſputum excreverit. Indole morbi ex pectorali in regium ſeu icterum, cum inſequente alvo binioſa, mutata, aſſumſit medicamenta hiſce adverſa & congrua, unde intra paucos dies perfecte judicatus eſt. Probabile

babile eſt plurimos ægrotos, hâcce in periodo, eo pacto, quoniam vice verſâ (§. LVIII.) metaſtaſis contigit, futuros judicatos fuiſſe, abſentibus lumbricis. In hoc lumbrici non comparuerunt.

Ægrotus Octavus.

Sequentem caſum, quoad biliófas pleuritides, periculis de induſtriâ captis, adjungere juvat. Agricola ætatis mediæ, ſtaturæ eminentis, ineunte Majo corripitur febre validâ, quæ, finito paroxyſmo, deſeruit eum in tertium usque diem, adeoque tertiana legitima. Sub ingreſſum vero ſecundum prehendit eum acrius ante febris, ſimul cum dolore in latere ſiniſtro, & tusſi aliquando moleſta: dolor tamen magis vexabat quam tusſis. Quam ob cauſſam Pleuritis mihi videbatur ſymptomatica, ex quavis in abdomine hoſpitante materie, vi febris in actum deducta; nam defuit huic dolor, abſente febre, mox iterum fodiens ingrediunte eâdem, quin facies contracta Hippocratica, viriumque proſtratio, in tam robuſto & brevi ante morbi invaſionem homine, id manifeſtare videbantur. Pupillæ quidem huic non apparuerunt dilatatiores conſueto; attamen oculi nitore ſplendebant. Quare, omiſſâ, experimenti cauſſa, adhucdum V: ſectione, pulverem dedi laxantem cum Rheo, paucisque adjectis anthelminticis; ſimilemque dein Mixturam, ut quantocius alvo laxiori proſpicerem. Melius ſe habuit altero die, quo urina hypoſtaſin albidam depoſuerat. Quod ideo noto, quia hinc clarius patebit (z), quam fallax ſæpe ſit, ſi in verminantibus mature urina ſubſideat; cum poſtea multo magis ſæviant

(z) Cap. IV. ſect. V.

viant symptomata (*a*). A periculo autem, cum mihi abesse videretur, incidit experiri utrum salutare morbi indicium fuerit nec ne? Sepositâ igitur in præsenti supra laudatâ indicatione, quamvis mihi verissima & persuasissima, atque in animatam potentiam videretur dirigenda, consuetam formulam ex Antim. diaphor. Oxymell. Scillitico & Syr. Diacodii ex Aq. Sambuci præscripsi, unde multo pejus se habuit; nam dolor nunc adeo percussit latus, cum ei adessem *sexto*, a principio, ut sanguinis missionem procrastinare ausus non fuerim: parum tamen vel nihil monstravit crustæ inflammatoriæ cruor emissus. Levato vero aliquomodo dolore, animus erat curam antiphlogisticam prosequi. Dabatur eum in finem Apozema resolvens, pleuritidi accomodatum; quo dolor quidem minutus non vero sublatus est. *Septimo* iterum petiit, venam ipsi incidi convenirem, quod lubenter & experimenti caussâ concessi. Sanguis de vena ductus perinde atque in priore emissione vix inflammationis indicia manifestavit. Nonnihil iterum imminutus est dolor, quod merito vasorum inanitioni tribui potest: & ne ullum mihi de experimento dubium superesset, reiterabatur Mixtura secundum mentem magni BOERHAAVE in Pleuritide. Eodem tamen in statu mansit dolor, cæteraque symptomata; ut diem proferre ultra noluerim. Pleuritis autem ex intimis penetralibus sursum per consensum latus feriens, quod interrogatus noster annuit, se plus semel dolorem percepisse circa regionem umbilicalem, indeque latus afficientem, Antiphlogisticâ administratione subigi non poterat. Quamobrem prius data mixtura iterum in usum

(*a*) Hujus sectionis *ægroti nonus* & *undecimus*.

usum vocata est; & cum non satis alvus responderet, pulveris laxantis Anthelmintici drachmam mane & vespera assumsit ter. Alvo jam fusâ, sponte quasi abierunt & dolor lateris & febris; dum urina, quæ sub memoratâ inflammationis medendi viâ tenuis evaserat, iterum in hypostaticam cum sedimento lævi æquali ex albo flavescente mutata est; & quatuor deinceps assumtis pulveribus, convaluit integre; immodicus enim splendor albuginearum & facies contracta Hippocratica abierunt, postquam alvum liquido-mucosam deposuerat. Proximam nunc in caussam directâ indicatione, post infelicem medelam brevissimo temporis spatio, quatuordecim nimirum a principio dierum, & trium quatuorve a mutato consilio, sanus evasit.

Epicrisis.

Sufficiat hocce exemplo demonstrasse, quemadmodum ex singulis persequi licet, non susque deque faciendam esse Medicinam ejusmodi pleuritidi. Frequenter hâcce in regione sint hujus indolis lateris dolores, qui optime in oculis urina & pulsu ab exquisitâ Pleuritide distinguuntur; & à biliosis in eo, quod hæ latus afficiant plerumque dextrum, illæ autem frequentius sinistrum; quanquam semel atque iterum ambo laborare animadverterim. An huic ab ascaridibus inducta Pleuritis? Admodum probabile videtur, cum præter pupillarum dilatationem, plura & pathognomica verminantium symptomata adfuerunt. Sed manifestiorum exempla videamus.

Ægrotus

ÆGROTUS NONUS.

Viginti annorum Juvenis, narium hæmorrhagiæ creberrime obnoxius, vermiumque persæpe in oculis exhibens symptomata, circa præcordia, inque abdomine, ad umbilicum, nunc ad latera, tandem clinicus febre prehensus est. Colicus vero dolor & cardialgia mordaci cum tussi molestâ affixerunt nostrum; dum febris in principio lenta potius quam acuta urgebat. Facies erat pallida; oculi renitentes; pupillæ dilatatæ; lingua leviter tantum in folliculorum glandulosorum interstitiis, materie pituitosâ albescente obsessa; coloris præterea citrei naturalis erat urina. Anthelminticis purgantibus datis, alvus parum ducta est, sed dolor colicus & cardiogmus minus interea affixerunt. Eidem insistendo indicationi, tertio nihilominus increvit tussis; & cum alvus perparum descenderat, reiterabatur catharticum ex Elect. diaprun. Solutiv. drachm. tribus, quo liquide secessit: dolor vero ex intimo ventre costas petiit, ibidemque gravem non modo Pleuritidem mentitus est, sed revera produxit, quod vel pulsus durus & febris acuta, auctaque sitis & tussis manifestarunt. Vermibus nondum emissis, dum graviter urgebat Pleuritis, Medicina ambobus facienda erat. Sanguis igitur magno vulnere ducebatur largiter inflammatorius, & mixturæ ex Lapid. Cancror. drachm. ij. Nitri depurati drachm. j. Syr. Diacodii unc. j. ex Decoct. aperient. unc. viij. unciam omni semihora assumsit: dolor nonnihil minor erat, sed altero die, cum iterum magis intenderetur, secundâ vice sanguis missus est, etiam phlogisticâ crustâ obsessus: die tandem morbi *quinto*, post emissum lumbricum teretem

 vivum,

vivum, dolor & febris multum remiſerunt. Animatæ potentiæ occurrendo, ut ante, dabatur mixtura anthelmintica laxans, quâ vermes denuo agitati, *ſeptimo* dolores intenderunt. Cataplasmate lateri impoſito, ſedatus rurſus eſt, qua de cauſſa indicationem, iisdem ac memoratis auxiliis, ſequi poteram. Vermes jam dudum nido ſuo remoti, alvo fuſiore copioſè nunc exierunt. Tantâ catervâ inteſtinis egredientes dira veſtigia relinquebant; etenim *nono* morbi die magnam naribus ciebant hæmorrhagiam, ut exanimis fere, cum pulſu exili, ſudore frigido, vix lecto erectus inſidere valuerit. Turundis liquore ſtiptico naribus inmiſſis, ſedata hæmorrhagia eſt; ſed media nocte tantis prehenſus eſt convulſionibus, ut actum de illo fore, cum adſtantibus & ego crederem. Ad ſe rediens adſumſit fragrantis Tincturæ Aſæ fœtidæ drachmam ex vehiculo aquoſo, repetitis vicibus ad dimidiæ horæ vel integræ horæ ſpatium, donec convulſiones ceſſarunt. Reliqua tandem cura Mixturâ ex Terreſtribus, Cortice Peruviano, Pulvere Aromatico Roſaceo & Aquis Cardiacis, una cum Syr. Kermeſino abſolvebatur: *decimo quarto* die judicatus eſt integre, urinâ jam ſubſidente *quinto* ab initio.

E P I C R I S I S.

Vera Pleuritis inflammatoria a vermibus, quæ initio ſub lentæ febris facie ingrediebatur. Manifeſta vermium diagnoſis multum lucis teterrimis affulſit ſymptomatibus, quæ ſi tanquam morbi idiopathici fuiſſent adminiſtrata, minus tute pharmacis ceſſiſſent.

Ægrotus

ÆGROTUS DECIMUS.

Parentes puellæ aſthmati ſicco convulſivo, (quo prompte ſatis ſub paroxismo liberari ſolebat) obnoxiæ me vocaverunt nocte, ut ei opem ferrem, quia nunc graviter ægrotabat: Summas patiebatur anxietates in pectore, ſubque præcordiis; nulla interea tuſſis, neque pulſus durus aderant: ex magno autem capitis dolore gravativo, ferarum potius inteſtinorum, quam inflammationis indolis naſcebatur idea. Hinc cognitâ corporis conſtitutione, plus minus vermibus vexatâ, fragrantia Antiſpasmodica in necem eorum ex hauſtu aquoſo ſedativo propinavi, quibus pathemata aliquomodo mitigata ſunt. Mane vero accedens noſtram, pulſum tentavi admodum durum, dum acrem punctorium dolorem in latere ſiniſtro queſta eſt. Præſentiſſimum remedium, venæ ſectionem nempe, confeſtim inſtituendam curavi. Sanguine denſâ cruſtâ phlogiſticâ obſito, Mixt. antipleuritica magni BOERHAAVE dabatur. Altero die dolor iterum admodum urgebat, cum tuſſi moleſtâ & inſpiratione difficili, ut denuo ſanguis mittendus eſſet, qui æque ac ante frigefactus coriacea pelle obtegebatur; nec dolor integrè ſublatus eſt: efflorefcentiæ quoque latæ os & nares obſiderunt tertio a principio. Unde mihi, & ex urinâ jumentaceâ, nullum dubium eſſet, quin ſub herba lateret anguis, & lumbrici denuo perſonam agerent ſub inflammatoriâ Pleuritide. Cataplasmate lateri impoſito, majorem copiam Terreſtrium ingeſſi, eo pacto, ut omni bihorio acciperet drachmam integram Cornu Cervi uſti, interpoſito laudato medicamento ad horam cochleatim; quo factum, ut quinto lumbricum teretem vivum exonerarit, & omnis

 dolor

dolor fugatus ſit, perinde ac tuſſicula ſicca, & reliqua curatio finita eſſet a principio nono.

EPICRISIS.

Etiam ex vermium irritatione nata Pleuritis. Prægreſſæ anxietates & urina ſub morbi invaſione vix mutata difficilem reddebant phlogiſticæ diatheſis cognitionem, quæ pulſu tantum duro & læſâ reſpiratione internoſci poterat: complicatam vero Pleuritidem manifeſtabant, quippe exanthemata in facie cum plurimis ſymptomatibus ſæpiuſcule animatam intus potentiam declarant; aſt parata indigent medela, ut quantocius extirpetur infeſtorum fomes, Terreſtria perſæpe in ejusmodi caſibus, ubi heterogenei quid hæreat ſubter præcordia eximiæ deprehendi virtutis, dum fruſtra tempus & oleum redditur in conſuetis adhibendis.

ÆGROTUS UNDECIMUS.

Quinto morbi die ad ægrotum conſtitutionis rigidæ exercitatæ arceſſitus ſum pleuro-peripneumoniâ decumbentem. Huic quidem ingens pectoris anguſtia, reſpiratio moleſta dolore in latere ſiniſtro comitata aderat; pulſus plenus, mollis tamen, aliquando intermittens; urina turbida flaveſcens; lingua humida, ſqualida, fuſca. Pungente acriter in latere dolore, dum arteriarum diaſtole fallaci mollitie ferebat occulte latentem inflammationem, venam pertundi e re fore judicavi merito, & denſam cruſtam phlogiſticam emiſſus cruor etiam gerebat. Dolor poſt ſanguinis miſſionem nonnihil levatus eſt: Apozema antiphlo-

tiphlogisticum dein calide sorbillandum imperabatur: major denuo altero die animadvertebatur obpressa & dolorosa respiratio cum præcordiorum angore magno, quamobrem vena iterum secabatur, sanguine æque ac ante densa crustâ coriaceâ tecto. Quoniam autem præter pleuræ inflammationem, spasticas vermium irritatione inductas partium contractiones & præcordiorum inflationem pleuritidi subesse apparebat, Ung. Popul. latus illiniri jussi, ingerique præbia, per intervalla, tria ex Cornu Cervi usto & pulver. Laxantis Anthelmintici, quibus dolor aliquomodo mitigatus est, minusque tensa hypochondria: nocte vero vehementer motæ sunt anxietates, ut fere mori & suffocari homo videretur, subinde levi delirio agitatus, quamvis aliquid coctionis jam indicare urina cœpisset. Mane autem quum turbam perpessam nunciassent, indicationibus ambabus, pectoris nimirum & primarum viarum intentus, Kermes minerale ad singulum vel bina grana, ex Cornu Cervi usto, quoque trihorio assumere statim imperavi: immaniter quantum levatus, & inter alvi secessiones successivas lumbricum teretem ano excrevit; dum urina, ex jumentosa, hypostatica subsedit. Post novem præbia ingesta, ut integrum fomitem simul & semel exstirparem, drachm. Pulv. Laxant. Anthelmint. præscripsi; interea assumsit identidem Apozema resolvens, deinceps doses sex ex tribus drachm. memorati pulv. laxantis omni etiam trihorio, ut residuum vermium nidi mucosi, eorumque cadavera expellerentur. Expectorationis denique promovendæ gratiâ iterum grana duodecim Kerm. miner. duabus drachmis ejusdem pulveris jungebantur septimo, quæ ad idem temporis intervallum,

in doſes ſex æquales diviſa, feliciter non minus data ſunt, ut intra ſeptenarios binos, ſingulâ tantum mixturâ tonicâ exhibitâ, in priſtinum reſtitutus ſit.

Epicrisis.

Quemadmodum lingua, urina, pectoris anguſtia, ac præcordiorum angor plurimum veſpera & nocte exacerbans potentiam animatam hic ſubeſſe indicabant, ita e contrario fallax pulſus mollities latitabat phlogiſticam ſanguinis diatheſin, quæ epidemicâ obſervatione tantum in quibusdam diſci poterat. Nam cum pulſus mollis linguam ſqualidam comitaretur, acerrimo dolore interim percuſſo latere, aliquando, non vero ſemper, veluti in ægroto decimo ſexto, ſubeſſe inflammationem Pleuræ, indicabatur. Contrà ſerratus pulſus nonnunquam, ſine phlogoſi, cum magna lateris irritatione obſervabatur. Ceterum Kermes Minerale egregios præſtitit uſus, quoniam pulmones & alvum ſimul a retentâ materie liberavit, unde forſan ſalutaris pectoris morbis medendi vis, in hoc, ſimilibusque pharmacis, quærenda ideo eſt, cum primarum viarum rationem una habeant; quâ neglectâ præſente putredine, quæ tamen plerumque his adeſt, ſiniſtre eveniunt convenientisſima alias pharmaca. Dabatur in noſtris, Epidemiæ conſtitutioni conſentaneum, ex Cornu Cervi uſto, aut pulv. Laxant. Anthelm. prout res ſeſe dabant.

Ægrotus Duodecimus.

Quadragenaria major querebatur de dolore acri punctorio in latere ſiniſtro; & quamvis pulſus nonnihil

nihil durus esset, urina tamen colorem naturalem haud excedebat. Hypochondriorum contentio, & similis circa umbilicum aderat; unde nullum de symptomaticâ Pleuritide dubium. Mixtura consueta anthelmintica ingerebatur; quarto autem invasionis die, sputis prodeuntibus cruentis, venam incidi jussi; sanguis nullo modo inflammatorius prodibat. Decoctum aperiens, demulcente Syrupo edulcoratum, purgantibus interponebatur, quo, lumbricis jam nido remotis, atque exitum purgantium ope petentibus, tum quoad dolorem, quam tussim, admodum levata est. Urina septimo hypostatica. Octavo iterum purgantibus vacabat, quibus alvus copiosa quidem ducta est, ut ex heterogenea naturalis evasit. Quo brevi sanata substitit.

Epicrisis.

Supra (*b*) jam monui, non raro in verminosa Pleuritide excerni sputa cruenta, absente etiamnum inflammatione: præstat tamen naturam præeuntem sequi, & pro tempore symptomatibus singulis mederi, inque similibus, si opus est, venam incidere, dum primaria indicatio circa potentiam animatam versatur. Cognitâ igitur verminosâ indole, medicamenta purgantia, circa exordia data, omnibus antecellunt pharmacis, modo caute imminentibus diebus criticis exhibeantur, quippe omnium optime tunc temporis ingratos hospites, nido soluto, natura expellit. Redeunte vero hâc integrum est, debili opem ferre aptis auxiliis. Sed complicatiora demum videamus.

(*b*) §. LIII. pag. 234.

Ægrotus Decimus Tertius.

Die vicesimo octavo Decembris 1760. arcessitus fui ad hominem Pleuritide diebus jam aliquot adflixum, quem venæ sectionibus iteratis, irrito eventu, levare tentaverat Chirurgus in medendo satis versatus. Pulsum quidem tangens, percepi inconstantem, celerem vicissim & intermittentem cum tendinum subsultu, corpore, maxime vero brachio transitoriis convulsionibus quassato, sub delirio ingente. Lingua nigra, humida tamen; facies squalida & nonnihil trux. Urina nihilominus coctionis signa monstrabat, sed imperfecte cum sedimento mucoso, disrupto, coloris flavescentis. Ad ambiguum miseri hominis statum advertens ego animum, signis incipientis coctionis in urina visis, præ ceteris meum esse judicavi, turbulentos motus, quibus critica molimina impediebantur, compescere: idcirco tria statim imponi jussi lata vesicantia, ad tibias duo, tertium in nucho; simulque imperavi Apozema incidens resolvens ex Rad. aperientibus diureticis, Salibus digestivis, cum Oxymelle Scillitico, & Essent. Strob. pineor. quo assidue uteretur. Melius se habuit altero die, nec pulsus adeo turbulentus, nec motus convulsivi tam violenti; delirium quoque mitius, atque urina perfectioris coctionis sedimentum deposuit. Ne autem vomitione concitatâ novi nascerentur tumultus, Oxymell. Scillitic. loco Rob Ribium Apozemati substitui, ne a putredine subigenda desisterem. Duo tamen altera vesicatoria cruribus apponebantur, ut superstites effrenes motus in pulsu cohiberem; quod egregie ita votis successit, ut omnia symptomata

tertia

tertio vocationis die apparerent quam mitiſſima, & urina ſigna perfectæ coctionis tulerit. Quapropter, juncto Apozemati, Syrup. Taraxaci & Rheo jam de evocandâ putridâ materie cogitare cœpi; quo alvus bilioſa fœtida, putrida fluxit, cum levamine recenſitorum ſymptomatum, ut quarto noſtrum viſitans cum eo amice confabulatus ſim. Alvinis fœcibus jam in naturalem mutatis, more epidemice decumbentium tuſſicula moleſta pulmones feriit, ac punctorius dolor latus. Cataplasmate autem dolenti loco admoto, aliisque in Pleuritidem aptis uſitatis, peractâ expectoratione, decimo quarto vocationis integre judicatus eſt. Pedes denique ab infarctione viſcerum tumefacti Confortantibus amaris brevi quoque in priſtinum redierunt, & homo noſter poſtea firma ſanitate uſus eſt.

EPICRISIS.

Ab omni parte Pleuritidis putridæ inflammatoriæ exemplum hiſtoria ægroti hujus exhibet. Vermes quidem in hoc non viſi ſunt, plurimi tamen ſimiliter affecti eosdem excreverunt. Probabile admodum eſt ſymptomata maxime in noſtro fuiſſe aucta, quoniam curatio antiphlogiſtica tantum in uſum vocata, nec primarum viarum ratio habita fuit; tantum enim abeſt, ut ſecundum hanc normam feliciter redeat ſalus, ut e contrario non ſucceſſerit via hâc, ſin minus ab alvi ductione inchoetur, vel ſaltem quantocius inſtituatur, veluti qui ſequuntur caſus abunde commonſtrant. Verbo quoque obiter de veſicantibus moneam. Hæc autem copioſe quidem, & magnis plagis, variisque ſimul in locis adplicata, camphoræ inſperſionem,

nem, vel cum ſimili pharmaco Emulſiones, ad tortuoſam ſtranguriam tollendam non deſiderarunt, quamvis ſub forma varia, vel panis fermento, aut Emplaſtro, vel pici burgundicæ commiſtæ Cantharides eſſent; dum nihilominus egregios plurimum effectus inque etiam deſperatiſſimis caſibus ediderunt, pulſus effrenes moderando, criſinque perficiendo.

Ægrotus Decimus Quartus.

Singularis complicatæ Pleuritidis, non poſſum non mentionem hic loci facere. Quæ, etſi finitâ jam Epidemica Conſtitutione, juniorum Practicorum utilitati egregie ſervire aliquando poteſt. Decimo Octobris 1764. acceſſit ad me Cementarius, pleuritidi bilioſæ interdum obnoxius, quem, ante duos & quod excurrit annos, ejusmodi gravi pleuritide in hepatitidem converſâ, prehenſum curaveram feliciter. Morbus nunc ſubdole irrepſit: ipſe autem conſilium petitendi cauſſa me convenit querens ingentem præcordiorum anxietatem, lateris vero dolorem nullum; cum vero pulſus perquam agitatus eſſet, febrim quidem validam, non vero Pleuritidem præſagiebam. Spiritus Mindereri ex Aq. Sambuci noſtro propinavi, quo erumpente copioſo ſudore ex ἀκμῇ ad ἀπυρεξίαν febris pervenit: unde levatus quidem circa præcordia levioris pleuro-peripneumoniæ indicia exſeruit; quam ob rem Apozema reſolvens cum Sale Polychreſto & Mannâ ſtatim ipſi dabatur. Non ita vero diu poſt pulſus irregularis intermittens mali morbi teſtimonium manifeſtabat. Admovebantur duo veſicatoria tibiis: tertio melius ſe habuit, pulſus magis æqualis, & ſigna jam incipientis

coctionis

coctionis in urinâ. Hactenus veræ Pleuritidis in latere notas nondum edebat; quapropter, salutariter procedentibus Naturæ moliminibus, Medicamentum resolvens continuavit, cui ob metum putredinis nascentis, quod indicabat lingua squalida & fœces emissæ, Rob Ribesiorum jungebatur. Verum omnia ita exasperata sunt circa vesperam, ut vivâ nunc quidem voce acerrimum in latere dolorem testatus sit. Ad ægrotum arcessitus pulsum tetigi durum acceleratum vere pleuriticum, unde sanguinem mittendum statim curavi, qui magno vulnere ad uncias duodecim missus crustâ densâ inflammatoriâ erat obsessus. Levatus nonnihil noster est, non tamen integre. Fomentum ideo resolvens lateri apponebatur, dum Mixturâ memoratâ in Pleuritide usus est quâlibet horâ cochleatim. Dolor *quarto* continuo vexans alteram V. Sectionem desideravit. Sanguis idem atque in primâ missione. Dolor rursus mitigatus est: Pulsus inæqualis, multo tamen quam heri mollior. Vesicatoria duo altera cruribus applicabantur; dum doloris magis leniendi caussâ præscribebatur saturata Emulsio ex Sem. Pap. alb. unc. ij. Endiviæ, Portulacæ, Amygdalarum dulc. excorticatar. aa. unc. j. cujus sæpissime calide hauriret cyathum. Verumtamen, quod nunquam ante observaveram, increvit magis ac magis sub hujus medicamenti usu dolor intolerabilis, ut sanguis tertiâ vice vesperâ, æque atque ante coriaceâ crusta tecto cruore, mittendus esset, nec amplius assumere vellet medicamentum noster. Dolor iterum mitigatus non plane tamen sublatus est. Mixtura resolvens ex Lap. Cancror. Nitr. depur. &c. hodie dabatur, unde melius se habuit altero die a principio *quinto*, quo hypochondriorum ten-

sionem

ſionem magis, quam pleuriticum lateris dolorem teſtabatur: quare, præter pleuritidem veram inflammatoriam, aliud malum in prima officina ſublatere habebatur; quod duobus præbiis pulveris Laxantis ex Rheo & Sale Polychreſto, bis inſequente alvo nigrâ argillaceâ cum levamine ita conſtitit. Veſperâ vero denuo increvit dolor, & quartâ vice pertuſa vena eſt, cruore nullo modo mutato. Sanguis in vaſcula aliquot minora ſemper exceptus fuit, aſt ultimum vaſculum æque denſam tenuit inſulam, quam primum; & ne nunc quidem ſublatus eſt dolor. De ſubigendâ Pleuritide ſanguinis miſſionis ope dubitare cœpi, quoniam noſtro aderant phænomena in exquiſita pleuritide non ita reperiunda: quintum veſicatorium dolenti loco apponebatur, dum mixturam reſolventem aſſiduo ingeſſit. *Sexto* ipſi accedens, intellexi, noctem minus moleſte tuliſſe; pulſum tamen adhuc intermittentem animadverti, dum lateris dolor eodem in ſtatu manſit; ſputa erant pauca, urina hactenus turbida, nec plane ſubſidens. Viſis jam coctionis ſignis in urina, ex integro experiundi cupidus, de induſtria propinavi Decoctum diureticum reſolvens a magno Boerhaavio (*c*) ejusmodi in caſibus perquam commendatum. Sed quid contigit? Idem ſcilicet quod evenit Emulſioni fatum erat Decocti; omnia quippe exaſperata ſunt, & nihil amplius ab hoc medicamento ſumere voluit. Abſorbentibus autem iterum in uſum vocatis, allevatus ut prius eſt. Quapropter primarum viarum firmatâ diagnoſi, religioſe hanc viam ſequendam duxi; ideoque Enemate reſolvente alvus eluebatur, dum cataplasma cum ſapone veneto tantum Pleuritidi medendi

(*c*) *Lib. de Mat. Medica.* Sect. 853.

medendi lateri imponebatur. Dolor non incitatus *ſeptimo*, neque febris, aut pulſus; urina fere ut ante: Mixturam continuavit, cui ut tutius operaretur, Cornu Cervi uſti drachm. ij. & pulv. Laxantis epidem. drachm. j. ſexta pars quoque trihorio interponebatur: Veſperâ vero hauſtulum accepit ex Syr. Diacodio cum Aqua Hyſſopi. Egregie noctem tranſegit, ſomno placido nonnihil recreatus. *Octavo* & *nono* iisdem utebatur, & indies magis exſeruit reconvaleſcendi ſpem; nec ſputis, aut tuſſi hodie vexatus eſt: urina quoque magis ſubſedit, dum appetitus & ſomnus ſuapte redire cœperunt, atque *undecimo* tandem die ſedimentum ex albo leviter flaveſcens fundum matulæ petiit, quo integre urinis judicatus eſt. Memorata methodus ſalutariter admodum noſtro continenter adminiſtrata eſt; *duodecimo* vero Rheum cum Sale Polychreſto aſſumſit, quo alvum depoſuit ter minus nigricantem; dabatur & hauſtulum ut prius ad turbas pacandas veſperâ. Mixturâ & pulveribus denuò iteratis pulchre ita procedimus, ut *decimo octavo*, auxiliante *Summo Archiatro* colophonem difficili huic curationi impoſuit Mixtura, quæ habebat Antimon. diaphor. drachm. j. Tinct. Helenii drachm. iij. Aq. Sambuci unc. vj. Nullum relictum vitium querens noſter integerrimâ poſtea ſanitate uſus eſt. Quæ medendi via non carebat ſucceſſu, in illa, quæ ſequitur, Pleuritide.

ÆGROTUS DECIMUS QUINTUS.

Auriga, mediæ ætatis, ſucculentus, temperamenti ſanguinei, vehementer efflagitabat auxilium meum. Querebatur de dolore lateris punctorio, una

una cum difficili reſpiratione, febre, ſummoque capitis dolore; omnibus morbum compoſitum, quem ex itinere Hollandiæ domum redux contraxerat, indicantibus. Sanguis ſtatim ad uncias xij. de vena mittebatur, ſubinflammatorius; & purgans ex Elect. Diaprun. Solutiv. ad drachm. iij. derovandum deinceps propinabatur, quo alvus ducta liberaliter eſt; Apozema reſolvens incidens huic tandem ſuperinfundebatur calide. Cum jam urina nonnihil turbida eſſet *ſecundo*, & noſter ſatis bene ſe haberet, alteram V. Sectionem in præſentiarum intermiſi, quæ circa veſperam, urgente iterum admodum dolore, inſtitui fruſtra propoſui: urgente etiam cæphaleâ intolerabili, adplicabantur pedibus veſicatoria duo. Aſt magno impetu gravibus quidem affligentibus ſymptomatibus, ſummo mane oſtium pulſarunt *tertio* clamitantes, properarem ad auxilium noſtri, abituri ad exteros: inobedientiam heſternam, nunc pœnas luere, ſedulo admonitus rectâ me ad illum duxi, quem tantæ prehenderunt anxietates, ut ne momento quidem tranquille lecto inſidere poterat; oppreſſio ingens quoque aderat cum in pectore, tum in pulſu, & capitis dolor atrox. Manſuetior multo quam heri, brachium ſtatim imperatus porrexit Chirurgo, ut ferramento ſalutem ipſi adferret. Sanguis ſufficiente quantitate miſſus, nunc tectus erat cruſtâ vere inflammatoriâ, denſâ, compactâque admodum: quoad dolorem quidem allevatus apparuit, non vero quoad anxietatem, quæ eadem fere manſit. Hinc ſalutarem Abſorbentium uſum (in ægroto decimo quarto) in animum revocans, volupe erat, drachmam ſimilium, Lapidis ſcilicet Cancrorum, ex hauſtu diſcutiente exhibere, quâ vix in ſtomachum perductâ, tantum

non

non omnes turbæ ſiluerunt; duabusque adhuc drachmis ad trihorium datis, fugatus integre eſt dolor pleuriticus, & homo ſimili medicamento, interpoſito purgante & tonico, intra ſpatium undecim dierum perfecte convaluit.

E P I C R I S I S.

Ex binis hiſce ægrotis, diſtincta idea complicatæ quoque Pleuritidis acquiri poteſt. In his viſcerum abdominalium expanſio præter modum auxiſſe videtur præcordiorum angorem, quo mediante, diaphragma magis in pectoris cavum adactum eſt, unde difficilis reſpiratio, atque Pleuritidis gravitas major, quæ abſorbente vel antiſpaſmodicâ virtute prædito medicamento egregie compeſcebantur. Hinc liquet, quanta expanſio in ſimilibus affectionibus expectanda ab heterogenea materie, ſive animatâ, ſive bilioſâ, ſeu epidemicâ? Quid non ſatius, quam, linguâ ſaburram inteſtinalem indicante, primas ſemper adtendere vias: nec Lex, Cave, *ne purgans medicamentum in Pleuritide exhibeas*, ſuprema habenda; quoniam ſæpe ſæpius, ab ipſa morbi invaſione, crudis humoribus inteſtina obſeſſa ſunt, quod tanquam abſurdum nequidem rejiciendum, dum ex propriâ obſervatione HIPPOCRATIS *Batavi* conſtat, Pleuritides frequenter *incipi cum appetitu ciborum magno* (*d*), unde cum rigore & viribus labaſcentibus, ſequuntur omnia mala, quæ febrem incipientem comitari ſolent, atque neceſſario ex morboſâ jam redditâ digeſtione, materia fœculenta in putredinem proclivis

(*d*) *Aphor. de cogn. & cur. morb.* §. 883. & Ill. VAN ZWIETEN in eundem aphoriſmum Tom. III. pag. 19.

proclivis generari debet; quo in casu blandum Eccoproticum & Clysmata similia non minus quam Phlebotomia prosunt. Apparet praetera simul, quam proni in pleuritidem sunt autumnali febre, hepatitidem aemulante, detenti, quales passim exhibui? Ab hepatis nimirum auctâ mole, cujus extensione diaphragma ad pleuram & intercostalia vasa premitur, unde sanguinis circulatio ibidem loci necessario minus libere fieri potest: quin idem existimandum a vasorum communicatione & partium sensilium atque irritabilium consensu, quibus metastases crebre contingunt. simili modo Meteorismus a putrescente bile, vel quavis primarum viarum saburrâ, aggravare potest Pleuritidem, ita ut frustra venae sectione tentetur, absque laxantibus aptisque discutientibus. Hujus quidem indolis fuerunt bigae datae historiae, in quibus Absorbentia medicamenta feliciter operata sunt, quod iteratis sanguinis missione, aptisque resolventibus & demulcentibus fieri nequivit. Male igitur ejusmodi Medicamenta tanquam inania & nociva a nonnullis Medicis proscribuntur, quorum ope egregios tot effectus ab omni aevo attenta docuit observatio; quemadmodum Cornu Cervi usti *primus* in usum traxit & magnopere commendavit Galenus; & solo hoc saepe Pleuritidem curasse a Moinichen scripsit (*e*).

Ægrotus Decimus Sextus.

Rusticus exercitatus, aetatis mediae, cum jam per septimanam decubuisset, Naturae Medicatrici non amplius fidens opem meam poposcit. Pulsus erat mollis, regularis, parum febricitans; calor per

(*e*) Vide R. A. Vogel *Histor. Mater. Med.* pag. m. 352.

per univerſum corpus idem; cutis nec arida, neque humida; deque nullo dolore queſtus eſt; lingua autem denſâ tanta cruſtâ nigreſcente obvelata erat, ut nunquam credidiſſem, adeo poſſe obduci, niſi oculis meis eandem animadvertiſſem; reſpiratio libera; tuſſis quoque, dum noſtrum viſitavi nulla; urina hactenus cruda absque ſedimento. Itaque difficilis erat Diagnoſis Pleuritidis aut Peripneumoniæ vel veræ, ſive nothæ aut ſpuriæ: in poſterum tamen conſtitit ex inflammatoria tecta in ſuppuratoriam abiiſſe. Narraverunt præterea proximi, lumbricos aliquot ægrotum rejeciſſe, jam a morbi initio. Unde omnibus recognitis præſens morbus mihi habebatur febris lenta verminoſo-putrida. Putredinis ſubigendæ gratia dabatur Apozema reſolvens cum Salibus mediis, Acidis Oleoſis & Rob Ribeſiorum; altero vero die Elect. Hier. picr. Galeni drachm. iij. quo iterum inter ſummas anxietates lumbricum teretem cum materiæ putridæ nigerrimæ multo exoneravit. Urina hodie a principio *nono* hypoſtatica cum ſedimento ex albo flaveſcente. Iisdem medicamentis utebatur. *Undecimo* autem ob ingentem putredinem, quam lingua indicabat, augebatur quantitas Acidorum, & Corticis Peruviani drachma media quoque trihorio imperabatur. Urinæ hypoſtaſis ſub his copioſior, perfectior; & pulſus hactenus mollis & lentus, ut aſſolet, ſub Corticis Peruviani uſu, evaſit plenior, parum celerior, dum ſudoris plus erumpere cœpit. Omnia hæc, fateor, vehementer fefellerunt me, & plurimi ex his perfectam criſin eſpectaviſſent, præſertim cum materies fœculenta fere naturalis eſſet, & linguæ ſqualor valde imminutus. Præter tamen ſpem res aliter cecidit; nam tuſſis quæ hactenus fere nulla vel

exigua fuit, poſt decimum quartum aucta eſt, reſpiratio minus libera, indeque pulſus magis incitatus, quin ſputa quædam ſpumoſa rejecit *decimo nono*, quo eum viſitabam. In omnia ſedulo inquirens nulla veſtigia inflammatoriæ peripneumoniæ eruere potui, qua de cauſſâ tuſſis hactenus, pro maxima parte, mihi videbatur ſymptomatica verminantium conſueta: verens tamen ne quid mali ſublateret, Acida omiſi, dum ſolis Aperientibus ex Decocto vel infuſo & etiam formâ Emulſionis caute pergebam, atque iiſdem, ſi inexſpectatum quid accideret, in vaſis laxandis, iiſque lubricandis occupatus fui. Sputi interim non magis quam ante prodierunt, obortæ tamen novæ anxietates ſunt, & lumbricum iterum excrevit. Tuſſis nunc moleſta continuo irritans, atque omnibus rebellis, in præſenti mali habebatur ominis; neque amplius dubitabam quin brevi ruptura foret vomica, quod non ita diu poſt, *viceſimo* nempe *quarto* ab initio contigit. Quo facto febricula deceſſit, dum, copioſiore in urina cum hypoſtaſi, atque linguæ amiſſo ſqualore, rite proceſſit expectoratio; donec *triceſimo* morbi die, errore in pejus ruerint omnia: urina autem prodidit tenuis, tuſſis aucta fuit, & febris reverſa eſt; tenſionem præterea hypochondriorum queſtus eſt, & crus ſiniſtrum tumere ac dolere cœpit, ut novos ibidem futuros abſceſſus metuerem. Vaporum tamen emollientium continua inſpiratione, & cataplaſmatum ſimilium ad tibias applicatione, ut commodus foret exitus, quorſum vellet Natura moliri, factum eſt, ut ex voto rediret ſuppreſſa expectoratio, & ad finem continuaret, dolore & intumeſcentia pedum diſſipatis, tuſſi moderate vexante. Balſamica demum & infuſa vulneraria

gravem

gravem hunc morbum ad integram consolidationem perduxerunt intra dies quadraginta, nulla tabe superstite.

E P I C R I S I S.

Latuit hic Peripneumonia inflammatoria sub epidemica putrida febre verminosa, quæ iisdem phænomenis vomitu nempe, præcordiorum angore & alvinâ putridâ saburrâ decurrit, donec ad terminum, hacce in periodo, decimum quartum, familiarem pervenerit: sublato putrido magmate, simpliciore sed Acutæ facie sese prodidit, quod vel initio morbi nemo facile judicasset, multo minus eo tempore quo ad ægrotum vocatus sum. Neque eandem ab Acidorum usu inductam quis credat, quoniam simili modo in febribus pneumonicis phreniticis 1674. quæ ab ingressu pleuriticorum symptomata habebant, accuratus Epidemiorum observator SYDENHAM (*f*), tantum alias venæ sectionibus deditus, spiritu Vitrioli suppetias tulit, quem post V. sectionem cerevisiæ tenui instillatum pro potu ordinario concessit. Ut tamen fatear phlebotomia incipientem inflammationem antequam in suppurationem abiret auferre potuisse quidem videtur, sed non ita urgebat tussis & pectoris obpressio, ut summa appareret necessitas; cum & cibi adesset aversatio & hypochondria essent elevata, in quibus lædere venæ sectionem prænovit HIPPOCRATES (*g*).

(*f*) Sect. V. Cap. II. pag. 230. cum 223.

(*g*) Coacar. Prænotion. n°. 491. FOES. sect. II. pag. 196. & III. VAN ZWIETEN in hunc textum. Tom. III. pag. 40.

SCHOLIA AD HISTORIAM FEBRIUM PNEUMONICARUM.

Scholium Primum.

Ex hactenus recensitorum ægrotantium historiis, constat plerumque verminosas fuisse Pneumonicas febres, quales in præfixa historia ex variis fide dignis auctoribus recensui, in quibus post potentiam animatam fugatam, sæpe sublata fuit pleuritis, aut levi negotio in sanitatem mutata, si quando critice exiissent ingrati hospites; pertinaciores autem si contrarium evenerit. Unde sponte emergit quæstio, utrum Lumbrici soli exstiterint caussa efficiens, an vero alia remota hacce in constitutione simul concurrerit? Antequam nodum expediam, respondeo, ita docuisse medendi methodum & cadaverum sectionem Quercetanum (*h*) & supra laudatos auctores; & ego quidem laudatorum vestigia premens, omnes Pleuriticos Vermibus obsessos, tanquam ab animata caussa præcipue oriundos felici cum successu tractavi: contra, quæ ab aliis, nullo habito ad vermes respectu, administrabantur, graviter incitabantur Pleuritides, atque in plerisque inducebantur complicationes lethales, quamvis ceterum non malignæ epidemicæ regnarent. Insuper legendus commendari meretur Andry (*i*). Jam in caussam descendens, veritati simul adfixus, non ausim omnes & singulas a vermibus tantum productas pronunciare, nisi alia simul remota caussa concurrat; minus enim

(*h*) *Pharmac. Dogmatic. restitut.* pag. 101.
(*i*) Tom. I. pag. 311--314.

enim congrue proxima cauſſa habetur quæ immediate morbum producit, ſed vero magis ſimilis & conſentanea, *quæ ex concurſu omnium remotarum nata, ſola, integrum morbum ita conſtituit, ut indiſſolubili nexu cum eo cohæreat* (*k*). Et tunc magis in promptu eſt, quare, dum vermes populariter infeſtarunt, tam pauci decubuerunt Pleuritide affecti; niſi ſimul admittatur, aliam etiam adfuiſſe cauſſam, ſive epidemicam in aëre, aut in alimentis, aut in ſex, vulgo dictis rebus non naturalibus, præſertim quoad corporis exercitia, ejusque adminiſtrationem. Enimvero ex epidemica noſtra obſervatione conſtitit, Pleuritides hyeme maxime vagatas fuiſſe, acutiſſimi quidem ſub intenſo brumo frigore 1762. & 1763. ut reſpectu conſtitutionis verminoſæ fuerint ſtationariæ; quoad mitiorem aëris conditionem intercurrentes (*l*). Nam inflammatoriæ & ſuppuratoriæ tunc temporis fuerunt cum vermibus; æſtate rurſus magis ad indolem bilioſam acceſſerunt: adeoque cauſſæ ab invicem diverſæ, effectusque ab eadem determinati. Vermes tamen & in acutioribus, inque mitioribus, inque etiam bilioſis interfuerunt. An igitur a vermibus ſolis? De hoc non ita conſtat, cum & diverſæ fuerint Pleuritides & cauſſæ occaſionali congruæ, ut in quibusdam leviter agitarint vermes, in aliis autem vehementer. Altâ voce doloris vehementiam cum ſputis cruentis, vermibus tantum inducti, clamitantes audivi ruſticos duos, ſolis Anthelminticis ſanatos. Fuerunt itaque Pleuritides, prout una vel altera cauſſa magis

(*k*) Conf. Cel. GAUBII *Inſtit Pathol. Medic.* §. 60.
(*l*) Conf. SYDENHAM ſect. V. cap. I. pag. 257.

gis conſpicua in ſcenam prodivit, in plerisque vero relative ad vermes & lumbricos. Hacque ratione obſcurior aut manifeſtior obſervabatur Diagnoſis.

Si nempe primas partes agunt vermes multa ex GABUCINO allegata obvia ſeſe dabant ſymptomata. Plerumque ego cum aliis deprehendi pulſum inconſtantem ſæpe recurrentem, nunc debilem, alio tempore durum, vere inflammatorium æmulum. Capitis fere ſemper queritabantur dolorem; pupillarum aderat dilatatio; dum urina optimum multoties concurrens ſignum præbuit, videlicet a naturali, quoad coloris intenſitatem, non devia, & hujus coloris turbida, aut tempeſtive ſubſidens cum ſedimento albo leviter flaveſcente. Dolor & febris plurimum circa veſperam augebantur, perſæpe cum ſudore copioſo ſubacido fœtido acritico debilitante. Nonnunquam alvus ſpontanea fuſa, id vero non perpetuum.

Ex cognita igitur animata potentia ab ipſo morbi principio primis viis mederi integrum eſt, quo pacto ſimul & ſemel eradicantur Pleuritis & Vermes. Id præ ceteris animadvertebatur in æſtiva conſtitutione 1761. & 1762. nam febres hæ, critice ſub exordia exeuntibus vermibus, facie bilioſæ ſimplicis decurrebant; atque ſalubri alvi fluxu, benignâ reſolutione ſolvebantur: contra repugnantibus naturæ vel artis moliminibus, interaneorum feris lateris dolor intendebatur, & bilioſarum Pleuritidum in modum infeſtabant. Blanda purgantia & Salia neutra ut & Terreſtria ex Cornu Cervi uſto petita, vehementioribus præſtabant. In ſumma acerbatione ſymptoma urgens debellandum erat; neque in his anxie nimis circumſpiciebatur: plus vice ſimplice unciam ſemis tinct. Aſæ fœtidæ

fœtidæ partitis vicibus ex hauſtu aquoſo exhibui, ſimili modo drachmam integram Cornu Cervi uſti qualibet hora, immo & valide purgans, ſi individuæ notæ eſſent, & blandis obediendi impar exiſterent vermes.

Bilioſæ Pleuritides ſatis frequenter, absque vermibus quoque obviæ ſunt, atque eodem fere modo Laxantium ope curantur (*m*).

SCHOLIUM SECUNDUM.

Male neotericorum quidam, novi morbi titulo *Peripneumonias putridas* inſigniunt, aut earundem fomitem in primis tantum viis ponunt, cum reapſe & multiplici quidem ſpecie notabiles occurrant. Ne autem ab altiore ævo inde uſque repetam, ſufficiat pervolvere FORESTUM (*n*), qui fuſe ſatis de ejusmodi ægritudinibus egit. Enimvero quæ corporibus adjecit hyems, capitis nempe dolores, tuſſim, & quidquid in faucibus, in lateribus, in viſceribus mali contrahitur, dum lentâ pituitâ, vel pravis humoribus ſcatent corpora cachectica, palam eſt, ut pro degeneratâ eorum indole, mutatis ſenſibilibus aëris qualitatibus omnifariam ægritudinem produci debeat. Unde in propatulo eſt, quare Epidemicæ Conſtitutiones adeo diverſas a ſe invicem inducant pneumonicas putridas febres. In abundante enim mucoſo tantum humore, erunt ſub mitioris aëris conditione, cæteris paribus, longe leviores morborum typi, quam

(*m*) Inter alios legi poſſunt Ill. VAN ZWIETEN Tom. III. pag. 40. ad §. 890. & M. MALOUIN *Mem. de l' Acad. R. de Sc.* 1748. pag. 549. & ſeqq.
(*n*) Lib. XVI. obſ. XXXVII. pag. 56.

quam si eadem illa pituita degeneratur tempestate humidâ, impediente insensibilem cutis transpirationem, aut calore corporis inquilino vi morbi alicujus aucto, aut putrescentibus intus lumbricis (*o*), inque alcalinum spontaneum abeuntibus; aut tandem humoribus admodum vitiatis in iis qui carcere diu fuerunt inclusi, longove itinere scorbuticam discrasian contraxerunt: unde multiplices quidem putridæ pneumonicæ febres nascuntur. Eritque vel

1. *Peripneumonia notha* SYDENHAMI & BOERHAVII, quæ in laxis pleurumque sine malo omine decurrit, in rigidis autem aliquando satis maligna, atque fere semper *putrida*. Hæc male a quibusdam cum catarrhali exquisita confunditur, quoniam vix sensibili evacuatione, nisi quæ vesicatoriis elicitur, ut supra ex JOHN BALL (*p*) monui, aut in fine salutari diarrhoeâ, vel copiosâ salivatione; contra notha peripneumonia pulmones præ ceteris obsidet, atque sputis copiosis tenacibus solvitur. Verum quidem est, simplicem catarrhalem una cum vermibus in intestinis sæpe in putridam abire, & tunc pulmones etiam maxime occupare, pessimaque producere symptomata, & maligne admodum afficere.

2. *Epidemica putrida* plerumque *verminosa*, ex annonæ caritate, vel imbecillæ materiæ cibo; maxime autem pravâ aëris conditione, sæpe pluviosâ, insequente calore vel non, orta. Hæcque etiam pro varia anni tempestate vel *inflammatoria putrida*, vel id genus *biliosa* deprehenditur. Ambarum

(*o*) Vide Cel. GAUBII *Institut. Pathol. Medicin.* §. 588. & 589.

(*p*) §. LXI. pag. 242.

barum genus luculenter defcripferunt Medici Gallo-Flandri D. D. DE HENNE, DE CYSSAU, MARTIN, DUEZ (*q*). MARCHAND (*r*). DEPLAIGNE (*s*). BOUETILLE (*t*) &c. quorum recenfum fupra jam egi.

3. *Tandem putrida Scorbutica*, quæ refpectu plurimorum phænomenorum, Rheumaticis & Catarrhalibus obviorum quodammodo analoga eft; aft in eo differt, quod urina pauca coloris bruni vel ignei mittatur, & fanguis de vena miffus refolutus appareat, cum anxietate magna, fudore frigido, viriumque collapfione, atque intermiffione pulfus, antea fortis; dum veficatoria & purgantia prioribus convenientiffima his nocent. Hanc triginta annorum & quod excurrit tempore in Anglia graffantem in praxeos commodum publici juris fecit D. STEVENS (*u*).

Quomodo autem diathefis phlogiftica in fanguine cum putrida humorum diffolutione affimilanda fit, ex laudatorum auctorum cadaverum fectionibus (*v*) cum egregiâ Archiatri Regii differ-

(*q*) Voyez le Detail d'une maladie epidemique qui a regne a feclin & 1756. &c. *Recueil Periodique* &c. Tom. VII. pag. 207.

(*r*) *Le meme livre*. pag. 134.

(*s*) *Le meme livre*. pag. 169.

(*t*) *Journal de Medicine* &c. Tom. X. pag. 27.

(*u*) *A Practical Treatife on fevers*. By Dr. STEVENS. Lond. 1760. pag. 500. vel *comment. de reb.* &c. vol. X. part. IV. pag. 691.

(*v*) Voyez RAULIN *Obferv. de Medicine* Sect. fecond. Artic. IV. pag. 300, 306--309, & 315-319. de même *Recueil Period.* Tom. VII. pag. 60, & pag. 135, & 139 cum 169.

ſertatione (*w*), facillimo negotio perſequi licet.

Ex recentioribus optime de Medicina meriti ſunt modo laudati auctores, quod tam accurate ſingularum ſpecierum Diagnoſin exhibuerint (*x*), ut quædam tantum momenta adhiberi poſſe videantur. Fallere ſcilicet pulſus poteſt juniorem practicum, uti & febris minus intenſe vigens, dum nihilominus vera pleuræ aut pulmonum inflammatio ſub putrida verminoſa febre lateat; ad quod præcavendum, ſi fieri poteſt, in morbi initio venam ſecare præſtat, hacque ratione ſanguinis autopſiâ atque ſymptomatum remiſſione de natura morbi judicium facere integrum eſt; nam brevi a morbi ingreſſu ſanguis miſſus mucidam cruſtam oſtendit, in quibus poſt mortem purulentus latex variis in locis repertus eſt. Pulſus etiam mutationes cum linguæ urinæ atque hypochondriorum conditione multum faciunt ad determinatam diagnoſin acquirendam.

Ut tandem ad ſumma contraham medendi methodum. Hæc aliarum putridarum in modum inſtituenda eſt; & optime quidem monere videtur BOUTEILLE (*y*) quod ab ipſo morbi principio purgantia adhibenda ſint, & parum tantum ſanguinis miſſionibus fidendum. Pulmonibus conſuetis pharmacis proſpiciendum eſt, dum in magno ægrotantium emolumento ejusmodi Medicamenta, qualia ſunt Antimonium Diaphoreticum cum Sale ſuo ſtibiato, Kermes minerale & Oxymel ſcilliticum

(*w*) M. QUESNAY *ſur les vices des Humeurs*, *Mem. de l'Acad. R. de Chirurgie* Tom. I. pag. 30 — 107.

(*x*) Voyez *Rec. Period.* Tom. VII. pag. 207.

(*y*) *Journal de Medicine*, Tom. X. pag. 27.

cum egregie vermibus noxia deprehenduntur, atque variâ formâ necem atque expulsionem eorum agere possunt. Ne de vesicantium eximia facultate iterum morer.

THEOREMATA PRACTICA.

I. Sola pulsus in Pleuriticis exploratio, omissâ oculorum, linguæ atque urinæ autopsiâ, fallacem diagnosin, nec non truncatam medelam post se trahere solet.

II. Quoniam Pleuritis (secundum *Scholium secundum*) sæpe sæpius fundamentum suum primarium in prima officina habet, hinc religiose eandem adtendere, neque solis vasorum inanitionibus fidere convenit.

III. Maxima inde requiritur attentio, utrum epidemice num vero sporadice afficiant, atque pro diversa corporum & tempestatum, constitutione, diversam medendi viam inire necesse est. Neque, ceteris paribus, utilitatis expers Pleuritidis in vernalem & æstivam distinctio apparet.

IV. In Verminosa Pleuritide, cum sanguis plerumque ad vasa potius laxanda, quam diathesin phlogisticam auferendam, detrahatur, hinc inde pluribus simul in locis ejusmodi auxiliis opem ferre necesse est.

V. Præstant igitur, præter oretenus alvi laxantia, similia ano infusa, atque in dissitis locis liberali manu administrata vesicantia, venarum incisioni, quoniam &, præterquam quod materiem morbificam evacuent, revellendique scopum pulchre perficiant, systema quoque nervosum mirabili stimulo, seducere

quasi

quaſi videntur (ſecundum notiſſimum dictum: *duobus doloribus non in eodem loco ſimul obortis*, idem de affectionibus verum apparet, *vehementior obſcurat alterum.*) quo malum exitiale & peſſimas metaſtaſes egregie averti poſſunt.



CAPUT

CAPUT QUARTUM,


SISTENS

SYMPTOMATA NONNULLA INDISCRIMINATIM CUM ACUTOS TUM CHRONICOS VERMINANTIUM MORBOS COMITANTIA.

§. LXV.

Quum ſua morbus quilibet habeat ſymptomata (§. V.), atque animata potentia pro ſua, qua pollet, poteſtate, tanquam cauſſa continens conſideranda ſit (§. XVII.), patet, eandem in ægrotantibus hanc intus foventibus, præter communia ſymptomata, peculiaria quædam per varia morborum genera obvia ſiſtere. Harum plurima ſuis quoque locis ſunt expoſita, inter quæ præcipue occurrunt *Febrium Typi inconſtantes*, viciſſim alternantes, vel duplicatis paroxysmis accedentes, diuque protracti; *Sudores copioſi colliquativi raro critici*; *Aphthæ*; *Exanthemata ferina*; *Hemorrhagiæ ſpontaneæ*; variarum partium *Dolores acerbiſſimi* & *ſpaſtici*, indeque multifarii effectus, qui tot novos fere ex morbis Morbos concitare ſolent. Supereſt adhucdum conſiderare *Capitis Dolorem*, *primarum viarum Degenerationes*, *Urinæ phænomena*, nec non *tortuoſam Stranguriam*, quibus ſociam ſæpe ſe addit *Viſus obnubilatio*.

SECTIO



SECTIO PRIMA,

DOLOR CAPITIS VERMINANTIUM.

§. LXVI.

Individuum fere Verminantium Symptoma, *capitis Dolor* primarium locum vindicat. Hujus autem naturam non admodum dilucide videntur explicuiſſe auctores plurimi, cum eundem a vermibus in capite genitis (z) ortum ſtatuiſſent, ubi plerumque ventriculi ac primarum viarum morbus eſt, illud ſuo jam tempore egregie annotante V. de Taranta (z*). Aggravato enim bilioſâ & viſcidâ colluvie ventriculo, aut primarum viarum abundante ſaburrâ, demortuorum animalculorum liquamine, putridâ, vel vivorum irritatione oriundus, pro cauſſarum complicatione cephalalgiam, cephalæam hæmicraniam, vertiginem, ſtuporem tandemque Apoplexiam inducit: unde diſtincta ejus notio non parum ad deſideratam medelam confert.

§. LXVII.

(z) Confer. Holler. *de morb. intern.* Cap. I. p. m. 2. & Dureti *in ſuam enarrationem annotat.* pag. 21. cum P. Foresti Lib. XXI. obſ. XXVIII. & Lib. IX. obſ. II. ſchol.

(z*) *Philonium dictum*, Lib. I. fol. 2. verſo.

§. LXVII.

Consuetorum Diagnosticis, nusquam quidem non obviis, haud immoror, utpote oris amaritudine, linguæ squalore pulsusque exploratione, a Verminosâ satis internosci potest. Sufficiet specialioribus hujus insistere. Compositæ sæpe indolis est, atque in putridis febribus cum vermibus, inque intermittentibus, pro saburra putrida biliosaque in prima officina contenta, natalem æque iisdem ac vermibus debet. Id quod in Chronicis perinde animadvertitur. Quam ob rem essentialis verminosa cephalagia plerumque citra faciem ægritudinis, quam febre junctâ, observatur, dum in illis leviter tantum in interstitiis folliculorum glandulosorum obsessa lingua est, aut superficialioribus incisuris divisa.

§. LXVIII.

Præsentem autem animatam potentiam non raro declarant oculi nigerrimi cum pupillis amplis, albugineâ interea madore splendente; narium pruritus; tusses sæpe moleste irritantes in summa larynge; oris ventriculi dolores, vel contentio tantum leviuscula circa umbilicum. Animadvertuntur nonnunquam motus convulsivi transitorii in extremitatibus superioribus; immo si vehemens affligat, gravativus magis evadens cum aurium tinnitu ac susurru, sequuntur motus tetanici, aphonia, ceteraque convulsiva & soporosa mala, & tunc proprie contingit, quod in Medicinæ magnum commodum Benivevius communicavit, omni tamen verminosæ cephalalgiæ haud temerarie tribuendum. *Solet interdùm acutus dolor* inquit, *in capite, excitari, quem Græci cephalalgiam vocant, sed*

 talem,

talem, quo caligant oculi, alienetur mens, cietetur vomitus, ſupprimatur vox, frigeſcat corpus & ipſa denique deficiat anima. Rarum eſt videre; nam & nos amicum habuimus, qui cum his omnibus ageretur malis & adventante die ſeptimo, mors ipſa, nullis conferentibus auxiliis, jamjam adeſſe videretur; vi tandem robuſtioris naturæ, vermem e dextri nare palmo longiorem ejecit. Quo propulſo, omnis ſtatim cum eo amotus eſt languor. (*a*). Numne alienus ab illo ſit memorabilis HIPPOCRATIS locus, vehementer dubito: *Qui vero toto capite gravitatem ſentiunt cum oris ventriculi morſu, & ſtomachi faſtidio ii biliofa & pituitoſa rejiciunt. Quibus in caſibus plerumque pueris convulſiones maxime fiunt, eadem etiam mulieribus contingunt, prætereaque obſcœniorum locorum dolores. Grandioribus autem natu & quos jam calor deficit, partium reſolutiones, aut inſaniæ, aut cæcitates.* (*b*). Enimvero revocatis in memoriam quæ ſupra de oris ventriculi morſu (*c*), deque biliofa cum pituita remixtione (*d*) dicta ſunt, rerum gnaro luculenter conſtabit, inertem ejusmodi bilem ſuâ naturâ, neve copiâ, tantos tumultus inducere poſſe, ſin minus alia validior cauſſa ſublateat, quæ plerumque verminoſa obſervatur, & ſimilia ac recenſentur mala excitare conſuevit.

§. LXIX.

Occupat quidem is univerſum caput, ſive frontem, ſive occiput, ſive latera, ſive denique ſummum verticem; neque ideo, prout antiqui credebant,

(*a*) Apud ANDRY Tom. I. pag. 74.
(*b*) *Epidemior.* Lib. I. pag. 948.
(*c*) *Schol. prim.* cap. III. ſect. I. pag. 54. & ſeqq.
(*d*) Cap. III. ſect. III. *Mantiſſa.* pag. 229.

bant, videtur ſtabilis hic norma, ſecundum quam in latere dextro a bilioſa materie, in ſiniſtro melancholicâ, in fronte vero pituitoſâ oriretur: præcipua autem hujus ratio pendere animadvertitur a loco ubi nervos in conſenſum trahunt, vel magnitudine impetûs, quem in eos inferunt vermes; vel ab indole materiei magis vel minus putridæ, quamvis tamen negari nequeat, frontem in univerſum ab illo affici.

1. Vir quidam mihi amiciſſimus, ſeptimanis aliquot, poſtquam abſceſſus ipſi ex Nephritide inflammatoria in inteſtino colo ruptus eſſet, beneque ceterum ſe haberet, exceptis iis quæ ejusmodi mala ſemper comitantur, vertigines leviores ſæpius expertus erat, quæ pungentiſſimo dolore in ſummo vertice, eo potiſſimum in loco ubi venula per foramen in oſſe bregmatis ſinu longitudinali exit (*d**); dum alii ſupraorbitales hos dolores exceperunt, ſæviſſime quoque affligentes per diem unum alterumve; ſubinde motus leviores ſpasmodicos in maxilla inferiore experiebatur. Stupor ſentiebatur in brachio ſiniſtro, & leviores ſubſultus in manu dextra, cum doloris aggravatione in rene ſiniſtro morboſo. Quæ omnia, forſan continuo oleoſorum uſu, fugata ſunt emiſſione lumbrici teretis vivi.

2. Intolerabilem fere capitis dolorem vermium quoque expulſione in piſcatore ſanavi, tanto cum aurium ſuſurru ſtipatum, ut eundem maris agitationi, ſummâ tempeſtate inductæ compararet.

T 2 3. Ma-

(*d**) An & huic ex Nephralgia Hæmicrania, de quibus conſulatur De Sauvages *Noſologia Methodica* Claſſ. VII. Ord. II. Gen. XIII. Spec. 9. cum Ord. IV. Gen. XXV. ſpec. 9? Quamvis ſpeciem quendam præ ſe ferat, probabile tamen ab animata potentia inducti apparent, quoniam in rene & capite poſt fugatos hoſtes ſiluerent dolores.

3. Maniacum tractavi, qui ſtrangulationes magnas in gutture ſubiit, cum aurium tinnitu, vocis amputatione, atque viſus obnubilatione ſub paroxyſmum comitatis, febre tamen vacuum. Acceſſiones aliquando tanto impetu eum prehendebant, ut ipſum timerent cuſtodes, quos ſemel quoque atque iterum in fugam conjecit, campos furibundi inſtar pervagans. Reſtitutus in ſanitatem ipſe mihi narravit, ſe plurimum conſcium fuiſſe quidnam ageret, aſt ingente anxietate preſſum, voce ſimul privatum in ejusmodi acceſſiones fuiſſe incitatum. Debilis hujus conſtitutio Anthelmintica Martialia & Confortantia, interpoſitis Laxantibus, maxime deſiderabat, quæ felici progreſſu intricatum hunc morbum, alvo ramentoſâ fluente, determinarunt.

S c h o l i o n.

Quamvis Epidemicis morbis promiſcue adjungatur *capitis dolor*, omnibusque fere primarum viarum ſaburrâ abundantibus, augetur tamen admodum ſi animata potentia intus ſtabuletur. Quæ, cum fuſe ſatis ſupra tradita ſint (*e*), ſufficient, ne cramben bis coctam apponam, quæ ſuppeditat Epidemia Lipſiæ 1720. graſſata (*f*): *ingruebat* autem hæc *cum immani alias adeo non conſueto capitis dolore*, *ſtupore*, *oculorum obfuſcatione* &c. quin puellæ apud Duretum *acerbiſſimus capitis dolor per duos*

(*e*) Vide cap. III. ſect. II. *ægrot. ſecund. ſchol.* ibidem. *ægrot. octav.* & *decim. ſext.* cap. III ſect. III. *α. ægrot ſecund. quart. ſext.* ad uſque *undecim.* & *Theorem.* I, II, III, IV, VII. & *β. ægrot. tert.*

(*f*) *Act. Phyſ. Med.* vol. I. obſ. I. pag. 1.


duos dies præcesserat. Plurima ejusmodi observata ubivis prostant (*g*), cujus ratio infra expendetur. (*h*). Dum dolor iste, qui ab insectis in ipsa theca ossea oritur, ubicumque in Medicorum monumentis exstat, quem uti minus ad scopum meum pertinentem, silentio transeo.

Theoremata Practica.

I. In dolore capitis verminoso, rubra oculorum suffusio, qualis in hæmorrhagia a vermibus accidere solet, difficilem facit diagnosin. Ex febris vero absentia cum ventris affectione, atque consideratione symptomatum quæ eam comitari solent, signorum vera syndrome acquiritur.

II. Venæ sectio & vesicantia, etiamsi pro tempore allevare apparent, morbum integre tollere nequeunt; quare tamdiu catharticis continuandum, donec omnia per universum corpus disparuerint infestorum phænomena

(*g*) Conf. Forest. Lib. XXI. obs. XXVIII. schol. *Act. Phys. Med.* vol. II. pag. 369. *Journal de Medicine.* Fevrier 1759. Tom. X. pag. 129.
(*h*) Cap. VI.





SECTIO SECUNDA.

VENTRICULI CRUDITATES, NAUSEA, RUCTUS ET VOMITUS.

§. LXX.

Plurimis quoque tam acute quam chronice ægrotantibus evenit *Nauſea* atque *Vomitus*, *Ructusque* edebant nonnulli nidoroſos, ſubpingues, cum mordaci oris ventriculi dolore, quem *cardiogmi* nomine inſignire ſolent (*i*): eundem & a vermibus oriundum ingenue profeſſus eſt J. P. Nenter (*k*), inquiens, *Cardiogmus vero cruditates tantum primarum viarum, flatus & vermes pro cauſſa agnoſcit*, quemadmodum *ex copioſo ſalivæ in os affluxu*, *verminoſum* deſignivit (*l*). Plerumque autem cum copioſâ ſalivæ excretione affligit, ita ut absque vomendi conamine, in quo ſolemnis alias eſt ſalivatio (*m*), moleſte proritetur (*m**).

(*i*) Conf. Holler. *de Morb. intern.* cap. 54. & ibidem Duret. in ſuam enarrationem annotat. pag. m. 566.

(*k*) *Fundam. Medicin.* Tom. II. Tab. CCIX. II. pag. 958.

(*l*) Ibidem III. ſign. 3.

(*m*) *Coacar. prænotion.* no. 566.

(*m**) Confer & De Sauvages *Noſolog. Methodic.* Claſſ. VII. Ord. IV. Gen. XX. Spec. 10.

§. LXXI.

Ructus autem frequentiores erant ſub vernalibus quam autumnalibus febribus, quin Leucophlegmatiâ verminoſa laborantibus quoque familiaris; idque in quibusdam citra faciem ægritudinis. Lingua in multis ex flavo fuſco ſubpinguis erat, maxime autem in chronicis, in quibus tunc acutus admodum vexabat dolor, & pinguis valde materies eructabatur; perinde atque in ſoda laborantibus.

§. LXXII.

Perpaucis ſub vernalibus reſolutio ſtomachi adfuit, unicus modo ægrotus lumbricum per hanc viam excrevit. Autumnalibus jamjam obortis frequens erat verminantibus vomitus. Unus & alter emiſſis vermibus ex morbo convaluerunt: alii vomuerunt absque febre: quibus denique non remittebant ſymptomata, peractâ vomitione, graviſſima mala experiebantur, ut luculenter ſæpius ſupra indicatum eſt. Menſe Octobri 1761. ægrotantium plurimi vomitu rejecerunt vermes; & qui hoc modo ab animata potentia non liberati fuerunt, magnum tamen levamen ſentierunt, ſive expulſione hâcce, ſaburra bilioſa imminuta, aut irritatio a bile corroſiva ſublata fuerit; contrarium etiam aliquando moleſte comperimus (n), quem exitialem quoque eventum habuerunt, qui modo ex Hippocrate (o) allegati ſunt morbi epidemici.

(n) Confer. §. XXXI. *obſerv.* pag. 39. cap. III. ſect. II. *ægrot. ſecund. ægrot. non. ægrot. decim. quint. ægrot. decim. ſeptim.* & cap. III. ſect. II. *a. ægrot. tert.* cum *epicriſi.*

(o) Cap. IV. ſect. I. §. LXVIII.

§. LXXIII.

Quæ §. LXX-LXXII.) etiamsi nihil peculiare præ se ferentia alicui viderentur, accedens hisce syncope stomachica, atque in graviter affectis præcordiorum anxietas, quibus plerumque patentissima diagnosis fit, eadem ita exasperare solent, ut neminem non ad misericordiam alliciant. In hac autem, propter pectoris angustiam, respirandi fere non est locus, ut spiritum ducendo ad se redire cupientes, auram quasi captant, una cum corporis de loco in locum inquieta jactatione; unde sanguinis in majoribus vasis prope cor coacervatio, atque inde sensatio ponderis prementis, eruptio sudoris frigidi, omniumque aggravatio: dum in illa præceps omnium virium lapsus, dissipatione vitalis spiritus, corde in sympathiam male affecto, animadvertitur (*p*): quemadmodum non raro ad strangulationem faciunt (*q*).

§. LXXIV.

Convenientissimam medelam exitialibus istis malis administrare oportet. Sæpe autem a Fragrantibus pharmacis pathemata graviora fiunt, quod ob insignes nervorum conjugationes, vermibus in ventriculum perventis, iisque vim vi opponentibus, mirum non est. In his igitur nonnunquam præstant Oleosa, vel Lac calidum copiose haustum; sed summi usus etiam sunt leniora Emetica;

(*p*) DURET. *in* HOLLERII *de morbis intern. lib.* pag. 566.
(*q*) Conf. cap. III. sect. II. *ægrot. non.*

Emetica; omnium interim plerumque præcipiuntur optime Acida mineralia diluta, parvâ copiâ, ſæpius & frigide ingeſta; inque cardialgia Cornu Cervi uſtum.

§. LXXV.

Quædam quæ hanc rem (§. LXX-LXXIV.) ulterius confirmare poſſunt, ipſis quoque exemplis videre licet.

1. Puella ſeptemdecim annos nata lumbricos binos prægrandes, eosque vivos vomitu rejecit, præviâ nauſeâ & ſummo animi angore. Aſſumto deinceps unico tantum medicamento purgante, convaluit absque febre.

2. Femina triginta & aliquot annorum, ſudore frigido per univerſum corpus, maxime faciem perfuſo, mortis potius quam viventis imaginem referens, ſummâ præcordiorum anxietate tenebatur cum pulſu depreſſo, debili, fereque deficiente. Huic ad vires ſimul reſtaurandas, ſpasmosque una compeſcendos, dabatur per epicraſin larga Tinct. Aſæ fœtidæ quantitas, felici quidem tanto ſucceſſu, ut, poſt ſeptem vel octo lumbricorum vomitionem, increbreſcentibus interea vehementer anxietatibus, quibus vita pariter exſtingui videretur, ex ſummo illo periculo incolumis evaſerit, paucis ceterum remediis indigens.

3. Anus ſeptuagenaria major, omnibus phænomenis ab HOLLERIO (r) recenſitis ut ovum ovo ſimilia ſymptomata patiebatur, quæ nauſea & magna præcordiorum anxietate, una cum intolerabili capitis dolore, binos lumbricos teretes vitâ adhuc

(r) *Lib. citato.* pag. 561.

adhuc gaudentes per nares emisit, & etiam brevi temporis spatio, paucis usitatis antidotis, Divinâ clementiâ, ad vitæ suæ modulum pervenit, atque integris postea duobus annis locupletata est.

4. Summis præcordiorum anxietatibus, omnem ideam superantibus, discruciabatur cementarius, cum repentibus animi deliquiis & sudore frigido corporis cribrum permanante. Robustus & vegetus alias, viribus adeo privatus est, ut ne membrum quidem movere potuerit; profundissima suspiria interea edidit, atque ex imo spiritum ducens, vitam quasi redintegrare, & parili modo ac si cibum capere vellet, majorem aëris quantitatem inspiratione iteratâ pulmones implere conatus est. Huic quidem obtigit occasio ponderandi vim medicamenti morbo, ex sententia insuperabili. Nullum mihi, præter Elixir Vitrioli extemporaneum, ex partibus quatuor Tinct. Cort. Peruviani, duabus Cinnamomi, & singulâ spiritûs Vitrioli, ad manus erat medicamentum; & cum ad opem homini ferendam advocatus essem, pericula erant capienda; cumque, perspectâ Corticis Peruviani & Cinnamomi virtute roborandi, aptâque ad tumultus solidorum compescendos, & Sp. Vitrioli, sive acrimoniam biliosam corrigendi, sive vermes necandi, ex analogia haud incongruum appareret, ipse lecto per bihorium adstans, quâque quadrante horâ, inter syncopen & animi deliquium, triginta guttas ex haustu frigidæ misero propinavi, felici illo eventu, ut de tempore in tempus mitescerent lethalia ista symptomata, & custodibus tuto mandare auderem nostrum. Equidem morbum superavit medicamentum, nam alvus putrida ramentosaque hisce insecuta est, vera critica;

ca; ut ad dies quatuordecim judicatus ſit, cui mors præ foribus erat.

5. Homo robuſtus quadraginta annorum ex ſimilibus enarratis in ſyncopen incidit, pulſus exploratus fere deficiebat, & abſque ſenſibili reſpiratione per minuta aliquot hoc in ſtatu jacuit. A morbi principio corporis moleſtæ jactationes & geſticulationes, atque præcordiorum anxietates magnæ aderant, quas excipiebat comatoſa capitis affectio, noſtrum per triduum tanquam mortis ſimulacrum repræſentans. In qua triſti rerum facie, ſolum Claretum refrigerans, per intervalla datum, debiles hujus vires vitales adeo refocillavit, ut Divinis auſpiciis miraculi inſtar redierint, atque ad neceſſaria peragenda integrum eſſet. Aphthæ leviores inſequebantur, pedumque intumeſcentia; vias tamen publicas intra trium ſeptimanarum ſpatium ingreſſus eſt.

S C H O L I O N.

Suſpectas merito pendendas eſſe ejusmodi affectiones, ſæpeque lethales exſtitiſſe, ſeries obſervationum copioſarum ubique vindicat (*s*). Abſit tamen, magnam ſemper vermium cohortem requiri, ad exitioſa ejusmodi ſymptomata concitanda, quin aliquando ab unico modo lumbrico eadem eveniant. Novit Cel. F. HOFFMANNUS *puellam*

(*s*) Confer inter alios BONETI *Sepulchret. Anatom.* Lib. II. ſect. X. obſ. XXI. & lib. III. ſect. VII. obſ. XIV. §. 1 & 2. & lib. II. ſect. XI. obſ. XXXVIII. F. HOFFMANN. Tom. I. part. II. cap. XI. §. III. *Schol.* pag. 235. & Tom. II. ſect. II. cap. II. §. XIX. pag. 259. cum hujus Hiſtor. cap. III. ſect. II. *ægrot. non.* cum ſuo *ſchol.* & cap. III. ſect. III. *α. ægrot. tert.* cum *epicriſi.*

puellam septem annorum, quæ de immanibus cardialgicis doloribus, convulsionibus continuisque vomitionibus conquesta, tandem grandem per os ejecit vermem, & paullo post defuncta est (*t*). Præter quoque mechanicam vermium irritationem ventriculi tunicis inductam (*u*), videtur & saburra putrida aliave heterogenea, lumbricorum effluvia, eorumque cadavera symbolam suam his conferre, quod vel linguæ squalor, atque emissi ructus putredinosi, indeque fœtentissima anima commonstrant; quemadmodum illud dilucide satis exposuit laudatus Hoffmannus (*v*). Distinguere etiam oportet inter ejusmodi vernales & autumnales molestias. In his autem, ob abundantiorem biliosam materiem, magis in vomitum inclinant affecti (*w*); quemadmodum hanc ob caussam in aperto sunt bina Parentis Medicinæ loca: *Autumnus sua feritate & malignitate interaneorum animalia gignit, & oris ventriculi dolorem, atramque bilem* (*x*): cum eadem sententia (*y*), cui ibidem adjecit, *qui tamen in ejusmodi morbo minus infestus est*: quia nempe tunc temporis copiosiori vehiculo vel sursum vel deorsum expelluntur. Unde auctore Foesio (*z*): *Lumbrici enim suo motu ventriculum petentes, accessionibus quibusdam affligunt, deinde ad inferiora descendunt.*

(*t*) Tom. III. sect. II. cap. VI. §. XXIV. pag. 143. cum *ægroto primo* cap. III. sect. II.

(*u*) Confer Ill. van Zwieten *Comment.* Tom. II. pag. 220.

(*v*) Tom. III. sect. I. cap. II. §. XV. pag. 26. & cap. III. obs. IV. *epicris.* pag. 42. &c.

(*w*) Confer cap. III. sect. II. §. XXXVI.

(*x*) *Morb. Vulgar.* Lib. VI. sect. I. 13. Foes. sect. VII. pag. 1165.

(*y*) *ibidem.* Lib. II. sect. II. Foes. pag. 996. A.

(*z*) *ibidem loci.* F.

ſcendunt. In illis ceu vernalibus, vel ubi non adeo abundat ſaburra biliosa, alia res eſt. Quibus ſimul intelligitur, duplicem dari a vermibus cardialgiam &c. alteram nimirum ſymptomaticam (*a*), idiopathicam alteram; hanc & Aſcaridibus perinde quam Lumbricis oriundam, ſupra (*b*) ſatis abundeque perſequi licet; ambarumque diagnoſin apud egregie de Pathologia animata meritos viros F. HOFFMANNUM (*c*) & BIANCHINUM (*d*). In genere autem præſtat, per inferiora exitum petere animatam potentiam; huc facit immenſæ utilitatis præſagium: *oris ventriculi dolores cum inteſtinorum cruciatu, inteſtinorum animalcula dejiciunt* (*e*). Ad avertendum igitur inſuperabile ſæpius malum, oportet, ad minimam ventris contentionem, vel blandis Enematibus deorſum verſus allicere, vel heroicis educere infeſtos hoſtes, ceteriſque ſymptomatibus pro tempore mederi (*f*). Quæ vero Ructus ſpectant ex Ill. VAN ZWIETEN (*g*) & F. HOFFMANN. (*h*), diſci poſſunt.

THEO-

(*a*) Quamvis illud ex ipſius rei indole ſatis conſtet, haud inutile tamen duxi hic loci allegaſſe F. HOFFMANN. Tom. III. ſect. I. cap. III. obſ. IV. *epicriſ.* pag. 42.

(*b*) Cap. III. ſect. II. *ægrot. quint. ſchol.* pag. 88. & *ægr. decim. quint.* cum *ſcholio.*

(*c*) Tom. I. ſect. I. cap. VII. §. LII. pag. 332.

(*d*) *Loco* modo ad not (*b*) *citato.* confer & ſimiliter quoad Medendi viam DE SAUVAGES *Noſolog. Method.* Claſſ. VII. Ord. IV. Gen. XX. Spec. 10.

(*e*) *Coacar. prænotion.* no. 285. FOES. ſect. II. pag. 165.

(*f*) Confer §. LXIV. & ſeqq. cum F. HOFFMANN. Tom. II. ſect. II. cap. II. §. V. pag. 262.

(*g*) *Comment.* Tom. IV. 717. §. 1365.

(*h*) *Conſ. & Reſponſ. Med.* cent. II. & III. ſect. IV caſ. CLII. pag. 351.


THEOREMATA PRACTICA.

I. Quum, ceteris paribus, ſymptomata admodum aggravantur a vermibus per ſuperiora exitum petentibus, valde quoque periculoſa eſt, quæ ab iisdem in ventriculum delatis oritur cardialgia.

II. Nec multum aliena ab inteſtinorum fabrica cum ea ventriculi ſit, ſymptomatum intenſitatis ratio, niſi in nervorum qui cardiam cingunt abundantia quærenda eſt, qua univerſum corpus in conſenſum trahant; quam ob cauſſam caute eidem mederi oportet, ne medicamentorum ope, vermibus magis agitatis mortis cauſſa acceleretur.

III. Quoniam ſecundum HIPPOCRATEM (*i*), *A Cardialgia cum torminibus; ventris feræ prorumpunt*. Sequitur nonmodo ſalutarem futuram judicatam ejusmodi cardialgiam; ſed curatoriam ſimul indicationem indicat, qua auxiliis omnibus Naturæ opem ferre licet, ne iterum ſuperiora petat infeſta potentia, ſed quantocius ſubigatur.

(*i*) DURETI *Comm. in Coac. prænot.* pag. 162. & FOESII no. 285. pag. 165.



SECTIO

SECTIO TERTIA,

ALVI FLUXUS VERMINANTIUM.

§. LXXVI.

Promiſcue quoque verminantibus *inteſtinorum lævitas* eſt, tam Acutis quam Chronicis, eaque vel critica vel ſymptomatica, ſæpeque colliquativa, quemadmodum noſtris quoque acciderunt, & torminoſæ quidem 1761. (§. XIII.), ut fere obtinet, colliquativis aliquando tantum exceptis. Ponit autem mucum inteſtinalem, bilemve juſto copioſiorem ſecretam, vel vermium excrementa, eorumve in liquamen ſoluta cadavera, vel vivorum irritamenta, quibus ad majorem humorum ſecretionem ſollicitantur ad eandem apta nata organa. Unde pro diverſa vel mixta materie, pituitoſa, cinerea, ramentoſa membranarum inſtar, aut granulata, aut atra putrida excernitur. Quæque Acutis plurimum ſalutaris fuit, chronicis etiam dijudicandis plerumque optimum concurrens ſignum præbuit. Infantibus tamen ſexuique ſequiori, præ maſculo, lentisque & catarrhalibus detentis maxime frequens evenit.

§. LXXVII.

Ut ut ventris reſolutio multiplex ſit, quæ tamen a vermibus cietur vel eosdem comitatur ſuis quoque diſtinctis, ab alia cauſſa oriunda, dignoſcitur ſignis.

ſignis. Bilioſâ autem abundante colluvie nata, vel putreſcente pituitâ ortum ducens, linguæ ſqualorem inducit, nauſeam excitat, indeque oriundas præcordiorum anxietates & capitis gravationem; dum, velut in reliquis, poſt copioſas ſeceſſiones, nondum per inferiora demiſſis lumbricis, torminibus inteſtina torquentur. Hæc fere in putrida obtinent, excepto quod non tantos cruciatus experiantur affecti, ac citius foras ſeſe educi materies ſinat; dum in ea, quæ evocatæ materiæ ſupereſt, fereque vermium irritamentis debetur, omnium maxime memorati tumultus obſervantur, una cum febrilibus acceſſionibus, tuſſi ſiccâ moleſtâ, cordisque palpitationibus, fluore ventris exiſtente aquoſo, mucoſove, nec raro copioſo cruento (*k*). Hacque ratione a prima ſua forma deflectens non raro in dyſenteriam tranſit. Attamen vero, quæ per omnia verminoſorum genera accidit, quoad bilioſam indolem plerumque autumnalis epidemica animadvertitur. Quemadmodum ex inveterata mucoſa labe nata dyſenteria ſæpe in diarrhoeam chronicam curatu admodum difficilem abire conſuevit.

§. LXXVIII.

Aliarum dejectionum in modum hiſce mederi integrum eſt, nam in bilioſa ſatis erit aſſumta ſemel aut bis Rad. Ipecacuanhæ vel ſola vel Rheibarbaræ addita, ventrem ſimili pharmaco purgare, dum ingratis hoſpitibus Terreſtribus ſcabris, interdum Oleoſis, aliquando Mercurio dulci rite ſublimato occur-

(*k*) Juvenis curam geſſi ejusmodi affecti, qui brevi temporis ſpatio bina toralia ſanguine prorſus tincta commaculavit, aptaque adminiſtratione huic tamen ſupervixit. Confer & *Act. Phyſ. Med.* vol. II. pag. 145. obſ. LXII.

occurritur. Critica vero alio modo regenda eſt, neque alia quam quæ viribus ſuſtentandis utilia apparent, in uſum vocanda remedia ſunt; quod Cardiacis non ſtimulantibus, Corticeque Peruviano, ut ſupra in ſingulis ſæpius indicatum eſt, egregie abſolvitur. Putridæ quoque eadem fere ratio eſt, neque niſi vehementer turgeat materies, per ſuperiora evocanda; blanda Laxantia, antiſepticâ ſimul virtute prædita, huic maxime ex uſu ſunt: quemadmodum cruentæ alvi a vermibus reſolutioni, Terreſtria & adſtringentia auſtera, ſimiliaque propter ingentem debilitatem cardiaca. Dyſenteriæ autem mucoſæ tam ſæpe vermibus ſtipatæ alia res eſt. Huic autem raro proſpere ceſſit Cortex Peruvianus, quin & cum illo cui Simaroubæ nomen impoſuerunt fluxum copioſiorem ſuſcitarunt. In quibusdam etiam alvi fluor ab Anima Rhei incitabatur, decantata adeo in Bilioſa dyſenteria. Omnium convenientiſſimæ fuerunt ægrotis noſtris parvæ ſæpeque repetitæ doſes Ipecacuannhæ, ad tria quatuorve grana, addito aliquando pauxillo Laudani opiati, vel Camphoræ, prout morbi natura poſtulabat; aut etiam Tinct. ſimiles aquoſae, quibus mali cauſſæ egregie occurrebatur, ventrisque fluxus compeſcebatur. Acrimoniæ acidæ ſubigendæ Aqua Calcis cum tertia lactis vaccini parte profuit. Torminibus denique alvi lotiones ex Flor. Chamæmeli, lact. vaccin. & G. Arabico, ſimilibusque ex alimentorum genere, nimirum Radic. Salab. deſideratam opem attulerunt: immo Emulſiones analepticæ 1761. omnibus palmam præripuerunt. Quin oſtreorum eſu mirandos effectus in mucoſis inteſtinorum degenerationibus, protractis quidem, fruſtraque variis medicamentis tentatis, plus vice

V ſim-

ſimplici comperimus. Nec eſt quod multa exempla deſiderentur, cum pro diverſa ægrotantium conſtitutione adtemperanda Medicina eſſet.

S C H O L I A.

Ventris fluorem & *Lienteriam* a vermibus eſſe, omnium ſcriptorum obſervatione confirmatur. De natura vero eorundem nonnihil diſputatum eſt. Voluit autem Doct. Moreali diarrhœâm, in ipſis vermibus productam, quo tempore ipſi vermes ægrotant, malignitatis cauſſam in morbis efficere. Inque petechialibus febribus tantum a vermibus excrementorum copiam eſſe ſtatuit, ut exinde fœces hominis, morbo afflicti, cinereæ, argillaceæ, vel virideſcentes evadant. Nervoſe a Doct. Bianchino refutata (*l*), atque exemplo ſectionis gravidæ, maligna febre exſtinctæ, in qua deprehendit vermes, optime ſe habentes, quique cultro ſubjecti, intus excrementa continebant, odore ſuo ab humanis non diſcrepantia (*m*). Quod ſimiliter confirmavit Casp. Deodati Zamponi (*n*), qui materiam hanc quoque inodoram invenit. Eſt autem plerumque materies illa alba mucida in qua vermes ſtabulantur, quæ ſoluta vel degenerata frequentes dejectiones ſuppeditat, quam aliquando adeo copioſam ſecretam, & omni captu majorem animadverti, atque ramentoſam tantam, ut integram inteſtinorum tunicam abſcedere appareret. Dum bilioſarum dejectionum originem cum Cel. Pringle iisdem fontibus, quibus pul-

(*l*) Vide *Comm. de rebus geſtis &c.* Vol. I. pag. 239.
(*m*) *Ibidem Loci.*
(*n*) *Comm. de rebus geſtis* &c. vol. III. pag. 648.

pullulant autumnales putridæ facile tribuendam crediderim (*o*). Unde ſimul intelligitur, frequentem quidem cum vermibus Diarrhœam & Dyſenteriam exiſtere, perraro tamen idiopathicam; quippe plerisque in caſibus, magnæ primarum viarum, atque viſcerum abdominalium degenerationes locum habent, quarum ſymptomata potiſſimum intendere atque aggravare ſolent vermes. Secretorum humorum abundantia id ſatis manifeſtante.

Quæ vero Dyſenteriam ſpectant, multisque novis obſervationibus aucta, perſcrutari non pœnitebit ex egregiis ſcriptis Clariſſimorum BROCKLESEY (*p*), ANDREÆ WILSON (*q*), DONALD MONRO (*r*), PRINGLE (*s*), de quibus maxime etiam quoad mucoſam conſuli poſſunt ROEDERER & WAGLER (*t*). Salvâ tamen tantorum virorum auctoritate dixerim, bilis degenerationem perinde ex morboſa hepatis ſtructura organica, quam a particulis morboſis inteſtinorum oſtiolis reſorptis, perque venam portarum in hepar delatis originem trahere poſſe

(*o*) Multæ enim inteſtinorum difficultates, & alvi profluvia per æſtatem incidunt. HIPPOCR. *de Aëre Locis & Aqua* Foës. ſect III. pag. 283 lin. 54.

(*p*) *Oeconomical and Medical obſervations in two Parts.* &c. by RICHARD BROCKLESBY. Lond. 1764. pag. 166. vel *Comm. de reb.* Vol. XIV. pag. 46.

(*q*) *An account of the Diſeaſes in the Britiſh Military Hoſpitals in Germany* &c. pag. 57. vel *Comm. de reb.* Vol. XIV. pag. 52.

(*r*) *An Eſſay on the autumnal Dyſentery.* Lond. 1761. vel *Comm. de reb* Vol. X. pag. 208.

(*s*) *Obſervations on the Diſeaſes of the Army.* ed. quinta; pag. 246.

(*t*) *De morbo mucoſo.* ſect. I. §. II. V. VI.

ſe (*u*); atque etiam ventriculus idiopathus eſſe ex ſimili glandularum ipſius turgeſcentia, quam a bile tantum corrupta. Unde ſimul probabile fit, univerſum tubum inteſtinalem affici. Nam cum inclytæ famæ Medicus Celeberrimus PRINGLE in diſſecto cadavere dyſenterici puſtulas variolarum ſimiles in craſſis inteſtinis invenit (*v*), memini me ejusmodi in ipſis faucibus anginâ catarrhoſâ afflicti conſpexiſſe; quemadmodum cum BONETO eadem phænomena in inteſtinis hepate & liene deprehendit, atque inteſtina tenuia veluti arte anatomicâ injecta, vaſculis pictis diſtincta, copioſiſſimis punctis parvisque areolis nigris conſperſa obſervavit WAGLERUS (*w*). Quod ex faucium atque oris interni exulcerationibus, atque multiplici linguæ degeneratione ulterius conſequi videtur.

Ex mucoſo denique vitio cum Dyſenteriæ cognatione (*x*) crebre his ejusmodi torminoſas dejectiones eſſe oportet; unde caute iis alvum ducentia exhibenda. In ſexagenario catarrho univerſali, cum lingua alba arida ſcabra, ultra annum affecto, Dyſenteriam cruentam conſecutam vidi a viginti granis Rhei electi, totidemque Salis Polychreſti,. Decocto Simaroubæ nequidem compeſcendam, aſt demum Rhei Animæ protracto uſu ſedatam. Honeſta Mulier cum lingua lata humida inciſa, atque ore ſalivâ copioſâ repleto, oculis lachrymoſis renitentibus, faciei pallore, paucorum purgantium ope ſimiliter in Dyſenteriam inci-

(*u*) WILSON *lib. citat.* pag. 12.

(*v*) *Lib. citat.* pag. 246.

(*w*) *De morbo mucoſo.* pag. 7.

(*x*) Conf. cap. III. ſect. III. *s. ægrot. ſecund. epicriſ.* cum WAGLER. *de morbo mucoſo.* ſect. I. §. V.

incidit mucosam, purulentam, ramentosam, gravibusque comitatam symptomatibus, singultu, febre, sævis torminibus, urinæ mittendi difficultate, atque ardore, locorum muliebrium exulceratione, & cutis fere totius desquammatione, tandemque abortu, diuque ægrotavit: cui parum adjuvarunt Cortex Simaroubæ & Peruvianus, quippe hic fluxum fere auxit, dum ab Anima Rhei methodo ROLFINCII parata omnia aggravata sunt; multum vero profuit pulvis sudoriferus DOUERI, Aq. calcis ostracod. Rad. Colomb. nec non Decoctum Campechense. Quinquagenarius ultra biennium mucoso laborans, cum molesto capitis dolore, primæque officinæ pravâ digestione, atque linguâ humidâ contractâ profunde incisâ, sub felici medela sponte suâ in similem alvi fluorem cecidit, cui non mediocrem opem tuli Tincturâ aquosâ Rad. Ipecacuannhæ, & haustu ex Rad. Colombâ cum spiritu vini & Aq. rosarum conflato. Quales sua, qua pollet, sagacitate descripsit accuratus WAGLERUS (y), harumque cum febribus intermittentibus cognationis rationem docte & concinne tradidit. Videntur & quædam tertianarum indolem spectantia apud Medicinæ Parentem inveniri, hisce quidem verbis: *Intestinorum difficultas, si cessavit, vel abscessum, vel tumorem aliquem pariet, nisi in febres vel sudores vertatur, & urinæ crassæ, albæ & læves apparuerint, vel in* TERTIANAS, &c. (z). Quibus commentatis hactenus in alvi fluorem rite intellectis, quædam HIPPOCRATIS loca minus perspicua alias, quam apertissima evadunt. Hinc *Biliosis alvus perturbata, exigua red-*

(y) *Loco citato* §. VI.
(z) *Coacorum Prænot.* no. 455.

reddens genituræ similia & mucosa, doloremque ad imum ventrem inferentia, urinæ quoque non facile prodeuntes, ad hydropem tendunt ex ejusmodi casibus (*a*). Ex defectu purgationis sufficientis in tanta mucosi humoris secretione, usque adeo depravatâ hepatis structurâ organica, utpote acinosâ, quâ ineptum ad debitâ energiâ præditam bilem secernendum factum est, ut eâdem intestina ad munia sua obeunda sollicitantur, atque heterogenea sibi invicem misceantur; unde obstructione jecinoris hydrops nascitur, humoribus crudis non subactis, neque ad urinæ vias delatis. Nam *aquosum alvi profluvium absque cruditate exortum, initio aquæ intercutem, morbum solvit* (*b*). Quam ob rem *Lienosis difficultas intestinorum non longa, utilis: longa vero mala* (*c*)? Quoniam in primo casu sæpe salutaris morbi solutio fit, dum in altero lienteria in diarrhœam colliquativam mutata mortem tandem inducit. Nonne etiam in aprico? Quare (*d*) *Longis intestinorum lævitatibus laborantes, una cum feris* (ἀμαθηρέοισι) *intestinorum cruciatu & dolore, iis solutis* (λυομένων ἐποιδέουσι· DURETUS (*e*) *cum hæc quieverint* vertit) *intumescant?* quem præsagii phrasem insolentem habuit FOËSIUS (*f*). Attentâ autem medendi administratione docemur, in similibus intestinorum vitiis nihil supra esse Nauseosis atque leviter ejusmodi irritantibus, quibus aliquando, pertinacissimæ diuque protractæ affectio-

(*a*) *Ibidem*. n°. 457.
(*b*) *De rat. vict. in Acut.* Foës. sect. IV. pag. 402. lin. 45.
(*c*) *Ibidem* n°. 466.
(*d*) *Ibidem* n°. 468.
(*e*) *Comm. in coac. prænot. pag.* 336.
(*f*) In hanc prænotionem sect. II. pag. 192. D.

fectiones miraculi instar tolluntur. Dum ex analogia concludere minime absonum videtur, quamdiu stimulis suis natas viscerum obstructiones intestinorum feræ exagitant, tamdiu majores conglomerationes avertere, atque eatenus irritantium artificialium vicem gerere haberi posse, quibus silentibus malum sibi committitur. Tandem cur (g) *Intestinorum lævitates cum spirandi difficultate, & pectoris morsu ad tabem tendant*? Ex pituitæ abundantia, & acrimonia, ejusque ad pulmones delatione, ut supra satis abundeque persequi licet (h).

Verminosam tandem dejectionem characterisatam exhibuit CÆLIUS AURELIANUS (i): „ & aliquibus etiam *fluor ventris* efficitur sine lumbricorum exclusione, aliquando attestante *fastidio* & *debilitate*, & *pallore*, cum tenacitate (extenuatione) corporis: & nunc *tussicula arida* levi ex occasione commota: nunc *solutio* (exolutio), atque defectus corporis & animæ, quem λειποθυμίαν appellant ".

THEOREMATA PRACTICA.

I. Pro diversa Dysenteriæ indole, quæ vel Biliosa, aut Mucosa, aut Verminosa, aut Cruenta existat, convenientissimam Medicinam administrare oportet.


II. Coaca Prænotio (k), quæ *alvi recrementum glutinosum, sincerum, aut album, in vitio* habet, &c. in verminosis minus pertimescenda, quo-

(g) *Ibidem* no. 469.
(h) Cap. III. sect. III. η. *schol.*
(i) *Morb. Chronic.* Lib. IV. cap. VIII. pag. 533.
(k) No. 604.

quoniam plerumque faustum omen infestorum nidi solutionis præbet, ipsorum toto interitu secuturæ.

III. Nemini non convenit, vestigiis magni Hippocratis instare, quibus omnibus disciplinæ est: *Considerandum est ventres quosdam perturbationem facile ferre, quale quid in Posidonia visum est. Quin etiam videnda fuerunt quænam interaneorum animalia inducerent* (*l*).

(*l*) *De Morb. Vulg.* Lib. VI. sect. VII. 6. Foës. sect. VII. pag. 1194.



SECTIO



SECTIO QUARTA,

SEQUELÆ EX PRIMARUM VIARUM MORBOSA CONDITIONE.

§. LXXIX.

Præter hactenus recensita (§. LXVI-LXXIX.) necesse est, etiam pro varia primæ officinæ læsa actione, propter contiguam fabricam, mutuaque officia, multifario modo affici *Linguam* (*m*). Vermes enim raro in intestinis stabulantur, quin mucosum, vel ex mucoso & bilioso compositum vitium, indeque natam mucosam benignam, aut etiam malignam seu biliosam putridam, vel malignam inflammatoriam, tandemque mucosam lentam febrem, comitem habeant: unde etiam pro harum varia intensitate, magis vel minus squalida fieri debet, quemadmodum suis quæque locis (*n*) indicata sunt, ubique recentissimorum observationibus (*o*) consentanea, plurimumque ad determinatam diagnosin facientia. Plerumque tamen genti nostræ multo squalidior lingua observabatur, atro-

(*m*) Cap. III. sect. III. ε. *ægrot. secund. epicris.* pag. 196.

(*n*) Cap. III. sect. I. §. XXVI. pag. 32. §. XXXI. *obs.* pag. 35. sect. II. §. XXXVIII. pag. 72. §. XLI. cum *ægr.* I. VII. VIII. XV. XVI. sect. III. §. XLIX. ib. α. *ægrot.* II. III. IV. β. *ægr.* I. γ. III. ε. III. cum *epicrisi.* & sect. IV. ægrot. V. IX. XI. XIII. XVI.

(*o*) ROEDER & WAGLER *de Morbo mucoso* pag. 45, 53, 63, 70, 79, 84.

atroque fusci coloris, tam in biliosis, quam malignis putridis & inflammatoriis, pariter & soporosis, quas catarrhalium nomine insignivi, profundissimis quoque ibidem, iisque nigris sulca incisuris. Dum symptomata, quæ mucosam benignam comitari solent, quæque vel centies charactere, *Lingua leviter in interstitiis folliculorum glandulosorum obsessa erat*, expressi, sæpissime in obambulantibus sine febre, attamen cum pupillis amplis nigris, conspexi; feliciterque ex iis communiter de vermium præsentia vaticinatus sum. Topicam medelam raro excipit obsessa lingua, cum sæpe subcisâ mali radice in pristinum restituatur, inque saltem valde squalida, vel arefacta, aut sulcata, solita auxilia in usum vocentur.

§. LXXX.

Eodem de fonte *Symptomaticos Sudores* nasci oportet, quemadmodum chronicis non minus, quam acutis morbis detentis perpetui sunt (*p*). In verminantibus autem ob magnam humorum crudorum abundantiam, alvumque perturbatam, atque urinam tenuem crudam, sæpe cum extremorum refrigeratione persistunt, donec, materiâ morbificâ Naturæ vi subactâ, per universum corpus, idque diebus decretoriis & febrem ex toto finientes, salutares acido-dulces prorumpant; unde & intermittentibus cum vermibus, exque iis nocturnâ aut matutinâ febre laborantibus maxime critici observantur. Id quod pulcherrime expressisse videtur Hippocrates, in obscuro Foesio viso

(*p*) Cap. III. sect. I. §. XXV. cum *schol. secund.* pag. 61. & seqq. sect. II. §. XL. sect. III. §. XLIX. *epicris.* sect. IV. §. LXI. & hujus sectionis *ægrot. quint.*

viſo textu, qui ex mea ſententia hac ratione quam clariſſimus apparet: *Pallidis*, autem, *gracilibus & crebra oris ſalivatione laborantibus*, *in ſomnis ſudores boni ſunt. Nempe quidem & horum plurimos ſudore levari non improbandum* (*q*). Ex ſympathia quoque arcta, quæ inter ventriculum & inteſtina cum ipſa cute viget, propter ingentes tumultus, ab animata potentia excitari ſolitos, multa quidem inſueta alias obvia dari, ſequitur (*r*). Quemadmodum petechiæ cum alvo laxa rarius, cum coacta aliquando criticæ exiſtunt. Unde in primarum viarum juſto regimine, multa, quibus Natura in ſalubri ſuo molimine impediatur, poſita ſunt; quin plurima intelliguntur, in præſenti ad forum noſtrum minus facientia, quæ exanthematum adminiſtrationem, quatenus in alvi moderatione conſiſtit, ſpectant.

§. LXXXI.

Congeneres quoque natales Acutis & Chronicis verminantium affectionibus *Somni perturbationes* ſunt, ſedulo ab antiqua ſchola notatæ (*s*). Etenim propter magnam cruditatum copiam, in ambarum genere perinde animadvertuntur, veluti paſſim illud ſupra indicavi (*t*). Frequentius autem nihil eſt, quam quod verminantes de *Terrore in ſomno* queruli ſint, cui ſæpe jungitur moleſta *voci-*

(*q*) *Coacar. Prænot.* no. 271.

(*r*) Confer. de mutua perturbatione F. HOFFMANNI ſect. I. Cap. V. §. XXXI. Tom. I. pag. 315.

(*s*) Conf. ALDROVAND. Lib. VI. pag. 667.

(*t*) Cap. III. ſect. I. §. XXVI. pag. 32. ſect. II. *ægr. octav.* ſect. III. *γ. ægrot. tert.* ſect. IV. §. LXII. no. 2. §. LXIV. *ægrot. quint.*

vociferatio, & periculoſa *Typhomania.* Hanc ex BRENDELIO excerpſit Cel. DE SAUVAGES (*u*), dum illam in Verminoſorum Symptomata retulit CÆLIUS AURELIANUS (*v*). Quemadmodum *Pervigilia* ſimplici mucoſæ pariter quam putridæ febri ſubſunt. (*w*).

Præter alia plura, bina, quæ hanc paragraphum nonnihil confirmare poſſunt, exempla, præ ceteris memorabilia, Me vidiſſe memini.

1. Ruſticum ſcilicet curabam, annos natum circiter quinquaginta, ſpiritibus ardentibus interdum nonnihil deditum; hic ex verminoſa lenta putrida, ſudoribus innatans cum pulſu debili intermittente pertinaces vigilias per ſeptimanas aliquot ſucceſſivas ſuſtinuit, quibus tandem in furorem agebatur, ut e lecto aſſidue diſſiliens prædium huc & illuc transcurrerit, donec, diarrhœâ putridâ ramentoſâ obortâ, prorſus judicatus, ac priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit.

2. Adoleſcens undecim annorum, ephebeo, artibus liberalibus addiſcendis, commiſſus, ibidem loci acute decubuit, ab ipſo morbi principio, vera nempe Typhomia, ſeu comate vigili prehenſus. Medicus iſtius loci, & proximi loci alter, in conſilium vocati ſunt, qui omnibus examinatis præſentem morbum, phrenitidem inflammatoriam habuerunt, eandemque ob cauſſam ſanguinis detractione, ad ſecundam vicem iteratâ, curationem antiphlogiſticam inchoarunt, ceteraque apta auxilia, inter quæ Apozemata antiphlogiſtica, ſimiliaque

(*u*) *Noſolog. Method.* Claſſ. VI. Ord. V. Gen. XXVI. Spec. 4.

(*v*) *Morb. Chronicor.* Lib. IV. Cap. VIII. §. 106. pag. 534.

(*w*) Cap. III. Sect. III. §. XLIX.. & *γ. ægrot. tert.*

que clysmata, atque epiſpaſtica in uſum vocarunt. Sanguis quoque nonnihil inflammatorius prodiit, parum tamen levata morbi vis eſt. Ad filium ejus literis properis arceſſiti parentes, Me & itineris comitem coëgerunt; ægrotulum etiam opportuno tempore convenimus. Diſciplinæ gratiâ in naturam morbi inquiſivi, urinam animadvertens jumentaceam, vel hypoſticam cum albo ſedimento, una cum linguæ ſqualore flaveſcente; pulſumque tangens intermittentem; frequentemque vociferationem auribus accipiens; animatæ potentiæ mihi potius, quam phlogiſticæ in ſanguine diatheſis ſuſpicio incidit; quod anſam dedit de natura morbi cum Medico prius arceſſito blande dicendi: poſtquam vero tempus aliquod in illa re conſumtum fuerit, neque hilum profecerimus, quo dirimi poterat controverſia, ad arbitrium alterius Medici lites erant deferendæ. Deſcendens is in cauſſam, veram menyngum inflammationem pati ægrotulum pronunciavit, atque eidem indicationi inſiſtendum affirmavit. Hiſce ego regerens, metaſtaticam potius apparere affectionem, ſimillimaque ſymptomata frequenter obſervata eſſe in Epidemica conſtitutione, qua vigente apud nos degerat ægrotulus, indicavi; qua de cauſſa petii ut paucæ tantum guttæ Acidi cujusvis mineralis adjungerentur Apozemati: convenimus decem guttas Ol. Sulphuris medicamento addi, quo ſalutifero connubio poſtridie læti conſpeximus magnam vermiculorum copiam, ſub alvum fuſiorem fuiſſe excretam, indeque prorſus ad ſe rediiſſe ægrotulum, ut tribus abhinc diebus plane judicatus viſus fuerit, unaque cum parentibus paternos lares repeteret. Domum vero redux, ſive itinere longo, ſive errore dietæ, ſive truncatâ hactenus medelâ, reci-

recidivas paſſus eſt; nam rediit ſimulatus ſopor, cum delirio comitante, atque inſolitæ vociferationes, ut prætereuntes ædes in via remorarentur; quæ perſeverarunt, donec omnis materies putrida, ramentaque verminoſa, vermesque ipſi expulſi eſſent, alvumque in naturalem evaſerit.

§. LXXXII.

In tanta primarum viarum conditione *Appetitum* quoque *lædi*, omni ævi Medicorum una vox eſt; idque vel duplici modo, nimirum vel exceſſu, vel defectu. Aſt re probe examinata, apparent magis defectu laborare acute decumbentes, ut in omnibus aliis fere aſſolet; e contrario obambulantes, ſeu lenta chronica affecti, exceſſu. Attamen vero interdum ita accidit, ut fame præternaturali acute verminantes fuerint prehenſi. Diſerte autem ſcripſit FORESTUS (*x*): *Fuit & aliquando morbus epidemicus Saraguſæ, quem & famem appellabant, cum omnes ex eo correpti ſaturari non poterant; & cum infiniti morerentur, medicus quidam ſagax propinavit omni mane bolum armenum: verum modo per ſe, modo cum theriaca: quibus per anum infinitos & in orbem coactos vermes dejecerunt; & præter mentem quam plurimi reſtituti ſunt.* Ejusmodi Fames aucta, lienteriæ quandoque proſapia, *Fames canina*, *Bulimia* ſeu βȣλιμ⊕ audit, cujus cauſſam ſpectantia plura apud ANDRY (*y*) perſcrutari poſſunt, quemadmodum ſigna pathognomica apud Doct. DE SAUVAGES (*z*). *Panis* tandem

(*x*) Lib. XXI. obſ. XXVIII. pag. m. 315. Conf. & SCHENCK. *Obſerv. Med. rar.* pag. m. 303.

(*y*) Tom. I. pag. 306. & ſeqq.

(*z*) *Noſolog. Methodic.* Claſſ. VIII. Ord. II. Gen. VIII. Spec. 3.

dem *appetentia*, inter vermium ſymptomata & ſigna pathognomica a Doct. Nentero (*a*) enumerata, perraro obſervare mihi contigit, quanta pericula fecerim: cum dubiæ tantum apparitiones eſſent. Nuper tamen admodum in puero quodam ita res conſiſtit: is nempe tanto panis deſiderio tenebatur, ut præter lac bovinum nulla alia alimenta aſſumere vellet. Male creſcens, crepundiorum faſtidioſus, vitam torpidam degit. Curæ meæ commiſſus, cum omnia in oculis & lingua, atque ventris tormina, & pavores in ſomno, vermes indicarent, a paucis ingeſtis anthelminticis magnam vermium copiam in pilam conglobatam exoneravit; & deinceps aptis aliis uſitatis, ad meliorem vitæ cultum pervenit.

S c h o l i o n.

Quorum ſategit linguæ phænomena ubique enumerare ſummus Medicinæ Parens (*b*), maneat ea cura noſtros nepotes in ſingulis ægrotis ejus conditionem animadvertere. Hæc autem plerumque certiorem nos facit, quæ in intimis penetralibus peraguntur, tam quoad materiam peccantem, quam ejus a naturali ſtatu receſſum; ſæpeque nos de ſalubritate futura criſeos admonere ſolet. Ex prima enim officina plurimorum malorum primaria ſcaturigo emicat, a qua late diffuſa uni-

(*a*) *Fundamenta Medicinæ* Tom. III. Sign. III. a. 7. pag. 950.

(*b*) Præcipua loca adtendi velim quæ inveniuntur *Prædictor.* Lib. I. text. 13 & 20. *Coacar. prænot.* 3. 229—234. & 383. *Hiſtor. Adrophan. Morb. Vulg.* Lib. V. n°. 79. Foës. pag. 1159. G. & *Morb. Vulg.* Lib. VI. ſect. V. text. 13 & 15. pag. 1185.

universa machina contaminatur : id quod in genere adinstar omnium coarguit Magnum illud Germaniæ decus (*c*), deque Animata potentia Pathologiæ Medicinalis facile Princeps omni laude major indicavit (*d*).

THEOREMATA PRACTICA.

I. Quoniam lingua peculiarem primarum viarum statum a naturali devium sensibus sese patefacit, hinc religiose a medicamentis præscribendis, ante ejus debitam inspectionem, vacare præstat.

II. Cum & criseos indoles sæpe sæpius ex bona vel prava illius conditione auguretur, hinc multa discuntur quæ ad hujus molimina regenda, vel perturbationes præveniendas desiderantur.

III. Quanquam encephali perturbationes multifariæ existunt, non ita tamen promiscue eveniunt, quin suæ cuique proxime caussæ determinatæ sint ; ideoque & huic consentanea administratione opus est.

(*c*) F. HOFFMANN. *de Duodeno multorum malorum caussa.* Tom. VI. pag. 188.

(*d*) Cel. GAUBIUS in *Institut. Pathol. Medicin.* §. 588 & 589.

SECTIO QUINTA.

URINA VERMINANTIUM.

§. LXXXIII.

Inter verminantium ſymptomata merito *Urinæ* recenſum ago, quippe quæ plerumque vel *lactea*, *turbida*, vel *limoſa* aut *jumentacea* mingitur; & hujus quidem indolis in mucoſo-verminoſis tam acute quam chronice decumbentibus cernitur; quin aliquando *incocti quid genituræ ſimilis* HIPPOCRATIS (*e*) continens, idque in valde gelatinoſis, quorum ex pituita lenta ſæpe fit tranſitus, atque ejus frequentiſſimum cum vermibus connubium obſervatur. Ubi vero meraciore bile agitantur, & ſuæ quoque cauſſæ determinata animadvertitur (*f*). Fundamentum ſtabilis hujus phænomeni in natura morbi ſimplicis mucoſi quærendum, verminationi fere ſemper aptam occaſionem præbente. Ejusmodi urinas in *Philini uxore* (*g*), inque *Dromeadæ conjuge* (*h*), atque in *Pario quodam in Thaſo* (*i*) indicavit HIPPOCRATES,

(*e*) Confer. Cap. III. ſect. I. §. XXVI. ſect. II. §. XXXIX. ſect. III. §. XLIX. ſect. III. §. LXIV.

(*f*) Cap. III. ſect. III. §. XLIX.

(*g*) *Morb. Vulgar.* Lib. I. *ægrotus quartus.*

(*h*) *Ibidem ægrot. undecim.* confer. & Cap. III. ſect. *Schol. prim.* pag. 54 & 56.

(*i*) *Morb. Vulg.* Lib. III. ſect. III. *ægrotus primus.*

TES, quas cruditatem ſignificare GALENUS (*k*) autumavit, vermesque F. HOFFMANNUS (*l*).

SCOLION.

Phænomena illa (§. LXXXIII.) præcipui de vermibus auctores annotarunt (*m*). Ne tamen omnis urina oleoſa returbata, cujus differentia diſtincte apud FOËSIUM diſci poteſt (*n*), promiſcue pro verminantium habeatur, ſciendum eſt, illam tantum ſpeciem quæ *ex albido turbida* evadat, atque revera *jumentorum lotium* refert, hujus loci eſſe: cujus quidem ratio adeo in aprico eſt, ut ſupervacuum appareat longa enarratione in hiſce morari. Crudorum quippe humorum abundantia, ſolidorum ad pepaſmum debilitata vis vitalis, vermiumque ad criticas perturbationes facientes irritationes, omnium alias intricatiſſimorum phænomenorum rationes quam perſpicuas reddunt. Hinc intelligitur: Cur *in præcipitibus morbis periculum denunciat urina bilioſa, neque aliquantum rubra, & quæ hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis* (ϰ, τ κριμνώδες, *tum ſimilis amylo* DURETO (*o*),) *ſimilia habet ſedimenta alba, & quæ colore & ſedimento*

(*k*) *De criſi* Lib. I. cap. 12. claſſ. 4ª. pag. 130. E.

(*l*) Conf. & *Reſp. Med.* cent. II & III. ſect. IV. caſ. LII. Tom. IV. pag. 351. ut & H. I. REGA *de urinis* pag. 120. H. BUYZEN *over de uytwerpſelen.* §. LXXX. p. 19.

(*m*) Confer. ALDROVAND. Lib. VI. pag. 668 & 689. D. SENNERT. *Oper. omn.* Lib. IV. Part. II. cap. XXIII. pag. 780. Alioque.

(*n*) *Comment. in ægrot. prim.* Lib. III. ſect. III. *Morb. Vulgar.* cum illis quæ ad *ægrot. undecim.* & *duodecim.* Lib. I. inveniuntur.

(*o*) In *Coac. prænot.* pag. 498.

mento variat. —— *& quæ ſedimentum habet divulſum,* —— *& aliquantum liveſcens & limoſum?* (*p*). Quam ob rem *Mala etiam quæ ante rigorem oleoſa redditur* (*q*). Quin *alba qualis in veterino genere redditur*, *capitis dolorem denuntiet* (*r*)? Qua de cauſſa etiamſi citam, albam & lævem hypoſtaſin habeant urinæ verminantium, ſuſpecta ſæpe pendenda ſit critica ejusmodi evacuatio? Ob vermes intus inhoſpitantes, levi de cauſſa vel optima critica molimina perturbantes; hinc & propriam expulſionem perinde quam mucoſorum & bilioſorum degeneratorum humorum pepaſmum curare oportet (*s*). Minime tamen huc ſpectant quælibet albidæ hypoſtaſes, cum & calculoſorum, arthriticorum & podagricorum ſedimenta albeſcentia, quorum non minus egregia proſtant obſervata, quæ ſuis propriis pathognomicis ſignis dignoſcuntur.

THEOREMATA PRACTICA.


I. Uromantia, quâ Medicaſtri abutuntur, vel quæ ab altera parte juſto nimis negligitur, immenſæ utilitatis in Medicina eſt, quoniam hujus ope de Natura Morbi, deque hujus futura conditione, deque demum præſentis regimine, quam proxime admonemur.

II.

(*p*) *Coac. prænot.* n°. 578.
(*q*) *Ibidem* n°. 579.
(*r*) *Ibidem* n°. 582. cum FOESII & DURETI *Commentariis* in eadem.
(*s*) Supra Cap. III. ſect. *ſchol.* II. pag. 65.

II. Attamen vero, etiamſi naturam morbi individui declaret, ſoli huic non ita fidendum, quin neceſſariis aliis evacuationibus, eorumque juſto regimini adtendendum.

III. Lacteſcenti turbidæ limoſæ atque jumentaceæ verminantium urinæ optime infeſtorum foras expulſione, aliquando Cortice Peruviano mederi convenit.



SECTIO

SECTIO SEXTA.

STRANGURIA VERMINANTIUM.

§. LXXXIV.

Hoc quoque in verminantibus, quod multos invasit mares pariter atque feminas, juniores & provectiores ætate, idque tam in dolorificis ventris torminibus, quam iisdem vacuis, commune symptoma *stranguria* (*t*) observabatur; aliquando cum dolore ischiadico comitata (*u*): ventris vero dolorificæ perturbationi præ ceteris frequens.

Binorum infantum curam gessi, deinceps & alterius, calculosos prorsus æmulantium (*v*), quorum unus, ab experientissimo Medico verus calculosus habitus est, variaque huic malo opposita Medicamenta assumsit, absque sensibili levamine, cui non mediocrem opem attuli illinitione alvi anthelminticâ.

Puellam tractavi quatuordecim circiter annorum, cum febre biliosa: subbiliosa vomuit, ingrediente paroxysmo, atque etiam lumbricos tres vomitu excreverat, cum urina jam tertio a principio hypostatica esset, cum torminum abdominis remissione; nihilo tamen minus per biduum molestam ac dolorificam stranguriam sustinuit, quâ

(*t*) Cap. I. §. XIV.
(*u*) Cap. III. sect. III. §. *ægrot. undecim.*
(*v*) Cap. III. sect. III. §. XLIX.

quâ ſublatâ, curatoriam indicationem ſequi integrum dabatur.

Dignoſcitur ejusmodi ſpaſmodica ſtranguria ab idiopathica, atque ab ea quæ rigore critico inducitur, duratione mali, propriisque vermes in inteſtinis nidulantes indicantibus ſignis, ut & ſublatione cauſſæ efficientis ſeu proximæ.

Quæ & ſpasmodicis vermium irritationibus debetur optime quandoque Balſamicis reſolventibus medetur, quam in finem in febre liberis magna cum euphoria exhibui Mixturam quandam ex Balſ. Copaivæ cum æquali portione Liquor. anod. min. Hoffmanni, a XX. ad XXX. gutt. vel majorem quantitatem, ſi opus eſſet, ex vino albo Gallico, ſive ſimplici vehiculo aquoſo, vel ſedativo, pro ut res ſeſe habebant. Faciunt & illuc Oleoſa quævis blanda, quæ ſimul quoque necem animatæ potentiæ inferunt; quin omni commendatione ſuperiora Acida mineralia diluta, quæ & acute febricitantibus tuto propinari poſſunt.

S c h o l i o n.

Renes frequenter vermibus obſidi, ideoque ſi quando inferiora petant, vel ipſi adhucdum pelvi vel ureteribus inhæreant, propter continuatam fabricam ſtranguriæ veræ cauſſam exiſtere, notiſſima res eſt; minus tamen ſortis noſtræ negotium. Symptomaticam tantum tradens non poſſum non verbo monere, quod ſæpius miratus ſim tam parce mentionem fieri, de ſymptomate adeo crudeli & frequentiſſimo; ubi Medicinæ Parens ſimilem in ileo animadvertit & damnavit: Etenim *ſtranguria ileo ſuperveniens; ſeptimo die perimit: niſi oborta*

oborta febre urina fluxerit cumulate (*w*): quemadmodum vice verſa a *ſtranguria vomitus obſervatur* (*x*). Videor tamen mihi videre ſimilem ſymptomaticam affectionem diſertis verbis in Epidemicis enarrationibus occurrere. *Plerisque etiam circumflui non ſine dolore humorum affluxus contigere, bilioſi, aquoſi, ſtrigmentoſi, purulenti, & qui urinæ difficultatem facerent, non ex proprio aliquo renum vitio, ſed quod iſtis alia in aliorum vicem ſuccederent. Præſertim cum mox iis ſubjunxerit: Vomitiones pituitoſæ bilioſæ, & crudorum ciborum eductiones, ac ſudores, atque omnibus undiquaque diffluebat humiditas multa. Multis autem hæc fiebant, quæ erecti & ſtantes a febribus erant vacui, plerisque etiam febre correptis, de quibus mox ſcribetur. In quibus vero deſcripta omnia deprehendebantur, ii jam quidem ad autumnum & ſub hyemem non ſine labore tabidi evadebant. Febres erant aſſiduæ, atque eorum paucis quibusdam ardentes, diurnæ nocturnæ, ſemitertianæ, tertianæ exquiſitæ, quartanæ, erraticæ* (*y*). & paullo inferius. *Accidit vero plurimis urinæ difficultatem potiſſimumque his ætatibus fieri, itemque aliis multis qui etiam in morbis erecti obambulabant* (*z*). Quæ, tametſi de pure urinæ permiſto intelligi queant (*a*), videntur tamen, ex analogia iſtius conſtitutionis epidemicæ, mucoſo bilioſæ febri admodum conſentanea, commode de pituitoſis explicari poſſe, ſiqui-

(*w*) *Coacar. prænotion.* n°. 475. confer. & Cap. III. ſect. III. *a. ægrot. ſecund.*

(*x*) Confer. G. COOPMANS in latina verſione A. MONROI *Tractat. de Nervis* &c. pag. 149. not. *a.*

(*y*) *Morb. Vulgar.* Lib. I. ſect. II. FOES. pag. 943. E.

(*z*) *Ibidem* pag. 948. A.

(*a*) *Aphoriſm.* Lib. III. 22.

ſiquidem inter morbos autumnales ſtranguriam retulerit (*b*). Sed quemadmodum urina a vermibus eorumque progenie ſæpenumero reſtitat, ita etiam nonnunquam moleſte & continuo ad matulam ſtimulatur (*c*); quemadmodum eodem ex fonte aliquando inſatiabilis coëundi cupiditas obſervata fuit, frequentesque nocturnæ pollutiones in ſimiliter affectis obviæ ſunt (*d*). Quomodo autem diverſi adeo a ſe invicem effectus ab una eademque cauſſa oriri poſſint, non alia ratio eſt, quam eodem irritamento inteſtinorum interceptionem & præter modum eorundem reſolutionem animadvertere, inque extremitatibus crudeles convulſiones, vel cum motûs abolitione paralyſin.

THEOREMATA PRACTICA.

I. In ſtranguria verminoſa ad ventris cruciatus & primarum viarum ſaburram adtendere oportet.

II. Quæ vero critice reſtitat urina, ex prægreſſo rigore cognoſcitur.

(*b*) FOESIUS *ibidem loci* E.

(*c*) Confer. F. HOFFMANN. Part. II. cap. XI. §. 3. ſchol. Tom. 1. pag. 235.

(*d*) *Idem Diſſert. de Anthelminticis.* §. IX. *Oper. Supplem.* pag. 665.



SECTIO



SECTIO SEPTIMA.

AMAUROSIS SUBITANEA ET PUPILLARUM MAJOR JUSTO DILATATIO.

§. LXXXV.

Omnium memoratorum frequentiſſimum ſymptoma *Pupillæ dilatatio*, de qua ideo toties mentio facta eſt, ut in omnibus & ſingulis ejus familiaritas appareat. Aderat autem verminantibus noſtris, præſertim junioribus, cum febre, vel ſine eadem obambulantibus; nec tamen ita huic ætati proprium, quin in quinquagenario, ſolo hocce indicio, diu ante prædixerim vermibus eum laborare, qui flocci illud pendens apta his adverſa auxilia reformidabat, donec deinceps ex prægreſſa vertigine animi deliquium ſubierit, ad quod tollendum cum ego advocatus eſſem, Anthelmintica purgantia, ſedatâ ſyncope, ſtatim imperavi, quibus novem, poſteaque plures lumbrici expulſi ſunt, atque ad priſtinam ſanitatem reſtitutus eſt. Præ ceteris tamen frequentior erat in debilibus & Leucophlegmaticis (*e*). Paucis tamen amauroſis vera obſervata fuit, niſi aliquando veſpertino tempore, etiamſi amplæ admodum, eæque nigerrimæ pupillæ eſſent. Plerumque cum albuginea-

(*e*) Confer. Cap. III. ſect. III. *&c.* *Theorem.* III.

ginearum ſplendore & renitentia animadvertebatur; ut lachrymabundi plurimum apparerent oculi; ſimiliter cum lingua, elevatis pupillis, ſubaphthoſa; quæ cum reliquis verminantium phænomenis ſymptoma illud ad infeſtorum genus determinarunt, atque ab alia cauſſa oriunda amauroſin diſtinxerunt.

S c h o l i o n.

Neque admodum dilucide videntur annotaſſe Auctores plurimi adeo frequens verminantium phænomenon; unde ſumma animi voluptate delectabar, cum Parentem Medicinæ evolvendo prima vice memorabilis locus in oculos inciderit, ubi memorata ſymptomata (§. LXXXV.) diſtincte enarrantur: *Nocturnæ autem cæcitudines ac nyctalopicæ affectiones firmæ ac ſtabiles erant, velut quæ aliis ex cauſſis ortum habebant eæque pueris maxime fiebant. Oculorum vero nigra aliquantulum varia erant, eorum quidem qui pupillas parvas habebant. Atque in totum niger ut plurimum oculus erat. Magnos potius quam parvos oculos habebant*, (*f*). Qualia, quamvis minus perſpicua, oculorum ſymptomata in Epidemicis perinde proſtant.

Simili modo annotarunt pupillæ dilatationem veteres Medici, eamque duplicem ob cauſſam, nempe ſiccam & humidam, dilatari ſtatuerunt (*g*), atque in vigiliis diuturnis, febribus, inque pueris maxime obſervarunt (*h*), & puerperis (*i*); quæ egre-

(*f*) *Morb. Vulg.* Lib. VI. ſect. VII.

(*g*) Confer Galen. *de ſymptomat. cauſſ.* Lib. I. cap. 2. 3tia claſſ. fol. 14. cum D. Sennerti Tom. III. Lib. I. Part. III. ſect. II. cap. XXVI. pag. 214.

(*h*) D. Sennert. *in loco citato.*

(*i*) P. Forest. Lib. XI. obſ. XXVII. *Schol.*

egregie quidem cum laudatis Epidemicorum locis collineant. Ad verminum vero ſymptomata phænomena illa non retulerunt.

In genere quidem *oculos concavos* & *tranſlucentes* annotarunt, non ita pupillarum mutationes.

Ita CÆLIUS AURELIANUS tantum habet: *Item totius vultus paulatim nimia inſinuatio*, (velut in ſinum excavatio) (*k*).

PAULUS AEGINETA (*l*): *oculi apparent* ὀφθαλμοὶ κοῖλοι φαίνονται, id eſt, *oculi cavi apparent*. Legit quidam alius ὀφθαλμοὶ ὕφαιμοι φαίνονται, id eſt, oculi apparent ſubcruenti, quam lectionem quidam ſecuti in catologo ſuo recenſerunt. Similiter AETIUS (*m*): *quidam autem oculos ſanguine ſuffuſos habent*.

ALEXANDER BENEDICTUS veronenſis Medicus & Philoſophus ſuo tempore egregius de puella in creta, quæ octo diebus muta fuit, *rigentibus oculis* refert (*n*).

Verum PETRUS FORESTUS magni nominis Medicus *oculorum ſuffuſionem & ſugillationem* commemorat (*o*).

DANIEL SENNERTUS autem tantum *oculos concavos* (*p*), perinde etiam ANDRY (*q*) *des jeux allumés & etincelans*.

Propius multo acceſſit F. HOFFMANNUS *guttam ſere-*

(*k*) *Morb. Chronic.* Lib. IV. cap. VIII. pag. 534.
(*l*) Lib. IV. cap. LVII. cum ALDROVAND. Lib. VI. pag. 668.
(*m*) Apud ALDROVAND. *loco citato*.
(*n*) Lib. V. cap. XV.
(*o*) Lib. XXI. obſerv. XXVIII. Schol.
(*p*) Tom. IV. Pract. Lib. III. Part. II. ſect. I. cap. V. pag. 419.
(*q*) Tom. I, pag. 376.

ferenam temporariam per confenfum a vermibus inductam demonftrans (*r*).

Omnium vero proximus, faltem quantum ad cognitionem meam pervenit, Cel. G. Koopmans (*s*) qui *fcilicet diu obfervaverat in illis hominibus Pupillam effe dilatatam, qui Vermibus* (fecunda editio etiam habet *vel materia pituitofa acri pungente*) *in ventriculo vel inteftinis laborant, & fi non pro figno pathognomico, faltem pro Syndrome five Symptomatum concurfu & optima diagnofi haberi poffe afferit.*

Ejusdem etiam phænomeni mentio fit apud Clar. van Zwieten ex relatione Jaquin; quamvis non diftincte exprimatur, utrum pupilla fuerit dilatata, an modo *clari* fuerint *oculi* & *flavefcentes* (*t*).

Tandem occurrit idem phænomenon apud Doct. van Phelsum (*u*); nec tædeat, ob fummam quam inde habet Medicina utilitatem, ipfiffima auctoris verba, quibus & fuas animadverfiones in proprias obfervationes adjecit, recenfere, quæ ita fonant: *De bovengewoone wydte der oogappels word by veelen voor een genoegzaam kenmerk van in de Darmen fchuylende wormen gehouden; egter diende men, alwaar dit kenmerk ontbrak, niet terftond te befluyten, dat 'er geen wormen inwendig fchuylden, want het tegendeel is my meermalen gebleken, en zal aan ieder oplettend Geneesheer (zoo ik geloove) dikwils*

(*r*) Sect. I. cap. V. §. XXXII Tom. I. pag. 315.

(*s*) *Anatom. contract.* Cel. Monroi *de nervis* pag. 39. & edit. alter. pag. 151. eftque igitur propria editoris obfervatio non vero illa Monroi. conf. Ill. van Zwieten Tom. IV. §. 1368. pag. 721.

(*t*) *Ibidem loci.*

(*u*) *Natuurkundige Verhandeling over de Wormen &c.* pag. 166. in not.

wils blyken, dat 'er mogelyk wormen of aarsmaden in de Darmen eens lyders ſchuylen, zonder dat de oogappels eenigzints wyder als behoorlyk zyn, ik meene zelfs eenmaal het tegenovergeſtelde in een wormagtige lyder gezien te hebben; een myner goede Vrienden omtrent 30 Jaaren oud zynde klaagde my, dat zyn gezigt zeer verzwakte, en verzogt my om eens te zien, of 'er ook eenig ongemak uytwendig in zyne oogen te beſpeuren was, ik zag dat de oogappels zeer nauw waaren, zoo zelfs dat zy nauwlyks meer dan ½ lyn diameters hadden; ſequitur nunc Hiſtoria morbi cum ſymptomatum & curationis enarratione. Ab aſſumto autem catarčtico oleoſo quatuor lumbricos teretes cum magna aſcaridum copia, excrevit; quo facto ſtatim in melius mutatus eſt viſus. Terque iterum reiterato eodem medicamento, binos alios teretes & alteram magnam aſcaridum quantitatem exoneravit, atque in integrum reſtitutus eſt ægrotus, pupillis ad priſtinum ſtatum redactis. Unde Cl. auctor: *ik moet bekennen niet de minſte gedagten gehad te hebben op diergelyke Gaſten, om dat ik nimmer diergelyke vernaauwing der Oog-appels in wormagtige Ziektens vernomen, nog ooit van dezelve geleezen hadde, maar wel het tegendeel.* Copioſæ quoque me docuerunt obſervationes meæ, non omnia ſimul & ſemel in conſpectum prodire vermium ſymptomata; quapropter ſi quædam ſigna non compareant, non ſtatim de abſentia infeſtorum animalculorum concludere licet, quemadmodum ipſa pupillæ coarctatio hujus quoque loci eſt. Etenim in quatuor ægrotis diſtincte animadverti, pupillam fuiſſe admodum coarctatam, in aſcarides intus foventibus (*v*), quibus etiam poſtquam foras expulſi eſſent, ad conſuetam amplitudinem redi-

(*v*) Confer. & cap. III. ſect. II. *ægrat. decim. quint.*

redibant pupillæ. Quamobrem dubitare cœpi, num illud phænomenon, Ascaridibus proprium esset, quemadmodum pupillæ dilatatio Teretibus. Inopia tamen copiosarum observationum nil determinare malo, ast potius veris Asclepiadeis ulteriori scrutinio permittere. Supersunt tamen quædam, a præjudicata opinione libero animo perdigna. Enimvero docet nos attenta rerum contemplatio, sævos admodum dolores in ano ab Ascaridibus excitari, similesque in ventriculo & intestinis; immo maligniores aliquando quam a Teretibus, quemadmodum & auctor noster similiter compertum habuit (*w*): accuminatiore autem proboscide instructi, tenerrimas intestinorum membranas, easque morbosas factas sensilissimas, ferire valent, ut instar veneni rodentis (*x*) oculos afficiant. Simile quid videtur manifestum in experimentis a Cel. Petit institutis (*y*), quorum crudeli sectione constitit, non semper dilatatam fuisse pupillam in canibus; nam unicum modo exemplum prostat, in quo vivâ illâ sectione dilatata evaserat pupilla; contra in plerisque contractior observabatur. An & ideo a vividiore affectione Ascaridum pupillæ coarctatio, quemadmodum multa lumbricis communia symptomata sunt, propria quoque singulæ speciei quædam? Dies doceat.

Sed

(*w*) „ Apparet hinc Ascarides pejora sæpe mala quam
„ lumbricos sævioresque turbas excitare; unde & mulier-
„ culæ nostræ in infantum morbis multo magis minutio-
„ rum vermium excretionem timent, quam tremendæ
„ magnitudinis lumbricos. *Histor. Physiolog. Ascarid.* pag.
„ 209. "

(*x*) Conf. cap. VI. §. C. n°. 6—10.

(*y*) *Histoire de l'Acad. R. de Sc.* 1727.

Sed & obſervaverat Cel. COOPMANS & a materia pituitoſa, acri, pungente pupillam fuiſſe dilatatam. Similiter adduxit Ill. VAN ZWIETEN caſum quendam a ST. CLAIR obſervatum (z) in quo *puer quatuor annorum ſtomachi dolores patiebatur, narium aderat pruritus, pervigilia, terrores in ſomnis, & tunc ſubito cum ſubſultu evigilabat; poſtea nares perfricabat perpetuo, ſive, vigilaret, ſive dormiret; ſequebantur convulſiones, quibus ſexto die periit, incaſſum tentatis pluribus, ſecundum artis præcepta, remediis.* Aderant huic plurima vermium ſymptomata, *nullus interim apparuit vermis; ſed inveniebantur unciæ circiter binæ ſubſtantiæ, gelatinæ inſtar, circa jejuni inteſtini principium.* De quibus tamen non admodum tuto concludere licet de potentiæ animatæ abſentia, cum ſimilia ſupra ex Cel. BIANCHINI vidimus (*a*), ubi nudis oculis non prodibant vermes, armatis vero quidem.

Sed pituitæ abundantia verminationes fere ſemper comitatur, unde & mirum non eſt frequenter adeo cum animata potentia dilatatam animadverti, ſiquidem oculorum ſplendor abundantem humiditatem teſtatur, atque eandem ob rationem ſolâ hâc cauſſâ dilatari pupilla poterat (*b*), niſi indubitatis obſervationibus conſtaret, ſimiliter ampliorem fieri, ubi non adeo renitebant oculi, neque tantus humorum eo verſus affluxus erat, ut in ejusmodi caſibus facultate ſeſe conſtringendi, vel ad eam ſatis parata, orbata perinde eſſet (*c*); quod multoties in verminantibus obambulantibus com-

(z) Comm. Tom. IV. §. 1368. p. 721.

(*a*) Cap. III. ſect. I. *Schol. prim.* & *Lettere Medico* &c. pag. 215 & 216.

(*b*) Vide ſupra not. *g.* hujus Scholii.

(*c*) Confer. §. LXXXV.

comperi, nullo alio indicio inter futuros ægrotantes ponendis: Quemadmodum a narium pruritu perinde dilatata cernitur (*d*). Præſtat tamen, ſi fieri licet, plura ſimul vermes indicantia ſigna colligere, ut eo certius Diagnoſis conſtet; quemadmodum pluribus in locis reliqua verminantium ſymptomata, quatenus in conſpectum prodibant, indicavi. Prolixitati huic, Cel. Coopmans verbis colophonem hiſce imponam, quod magis ille mereatur de orbo literato, qui receptam opinionem & probabilem confirmat, quam qui omnes evertendo nullam amplectitur (*e*).

Theoremata Practica.

I. Quæ Verminantium Diagnoſticis inſervit, Pupillæ Dilatatio, cum pluribus animatæ potentiæ indiciis comparari debet.

II. Hinc ante omnia requiritur ex linguæ autopſia de primarum viarum conſtitutione certiores fieri, ut rite conſtet de idiopathica vel ſymptomatica affectione, nec immerito inteſtinorum animalcula culpentur.

III. Quibus (II.) multum faciunt veſpertinæ acceſſiones, conſuetis infeſtorum ſymptomatibus conjunctæ.

(*d*) Confer Cap. VI. §. XCIX. I. γ.
(*e*) *in Præfatione l. c.*



SECTIO OCTAVA.

DE CETERIS VERMINANTIUM SYMPTOMATIBUS.

§. LXXXVI.

Superſunt, fateor, plura, & quis omnia enumerabit, ſymptomata, ſola ab hacce infeſta potentia oriunda, ſua minime utilitate deſtituta. Cum vero etiamſi ordine quodam ſyſtematico in propriis obſervationibus conſcribendis uſus ſim, extra illas tranſire nolui. Superſunt quidem memorabiles Reſpirationis & Cordis a vermibus læſæ actiones, quæ tamen ſub articulo de potentiæ animatæ Diagnoſi diſtincte ſatis traditæ ſunt (*f*). Verminantium autem *Tuſſis* ſtabili ſuo charactere feriens, indubitabile ſemper ſignum ſenſibus ſeſe manifeſtat. *Pulſus* vero *arteriarum*, quanquam magnas mutationes ab animata potentia ſubit, atque ejus a naturali ſtatu alienationes ſedulo a verminantium affectionum ſcriptoribus notatæ ſunt, conſtanter tamen non ita obſervantur, ut primâ ejus exploratione, tam certo de verminoſa ſymptomatica ejus conditione conjicere liceat. *Debilis*, *deficiens*, *ſerratus* aliquando, plurimum vero *intermittens* (*g*), tangi ſolet in ejusmodi ægrotis; dum varietates arteriarum diaſtolûm, pro diverſo ac mul-

(*f*) Confer. Cap. VII.

(*g*) Confer. Cap. III. ſect. III. §. XLIX.

multiplici Naturæ conamine, majores vel minores obſervantur; & intermittens quidem pro altiore vel inferiore in abdomine affectione frequentius vel tardius intermittere obſervabatur; ita quidem ſæpiſſime, malo circa præcordia hærente, ad decimam diaſtolen defici ictum tetigi; inferiora autem verſus pellecto, atque exitui proximo, ad 4, 3, & ſecundum.

SCHOLION.

Intermittens Pulſus, nonmodo inteſtinorum affectionibus in genere competit, ſed etiam animatæ potentiæ morbificæ (*h*). Nec mirum eſt tot & tantas mutationes pulſus obvias eſſe, cum multfariè per cutim, per renes, per vomitum, perque alvum Natura moliatur, tantisque tumultibus ab animata potentia inductis, obnoxia ſit, in ſalubri ſuo opere perficiendo. Accuratiſſimas mirasque SOLANI de LUQUE & J. NIHELL obſervationes, quas ſæpius ſtupendâ admiratione veritati omnino conſentaneas deprehendi, adtendi velim, quippe præcipua continent, quæ vel de pulſu verminantium ſymptomatico in medium proferri poſſunt.

THEOREMATA PRACTICA.


I. Quanquam ſymptomata ſola quibusdam videantur minus ſufficere ad ſtabilem Diagnoſin formandam, præcipuam tamen ejus partem conſtituunt.

II.

(*h*) Cel. GAUB. *Inſtitut. Pathol. Medicin.* §. 782.

II. Horum tamen primarius rei cardo vertitur in debita inter ſymptoma cauſſæ & ſymptoma morbi diſtinctione, quoniam hujus ope genetica tantum, illius vero ſpecifica notio acquiritur.

III. Hinc (II.) quæ individuis notis characteriſticis morborum nititur, ſpecificam ejus eſſentiam exprimat, atque diſtinctam diagnoſin exhibeat, neceſſe eſt.





CAPUT QUINTUM,

ANIMADVERSIONES QUASDAM IN MEDICAMENTA ANTHELMINTICA DICTA SISTENS.

§. LXXXVII.

Vermibus medendi methodus Monita quædam ex instituti mei ratione desiderat. Tot variis casibus, medelam etiam variam adcommodare oportet. Considerantes enim vastum Anthelminticorum catalogum merito mirari debemus, Adorandum rerum Conditorem multiplicia adeo, adversus infestos Humani generis hostes, eaque diversæ ita a se invicem indolis, auxilia suppeditasse, ut indiscriminatim uti iisdem non liceat. Illud suo jam tempore pulchre indicavit Aetius Amidenus inquiens: *Ceterum cura ipsorum alia communis est, & cum ea quæ febricitantibus convenit coincidens. Alia vero eis proprie conducit. Quum igitur ambigua adhuc affectio existit & rationabilis quidem suspicio adest, incerta tamen, neque plane comperta mitioribus sane remediis uti oportet. Ab acrioribus enim febres magis exacuuntur, si affectionem falso habuerimus suspectam: ubi vero constans ac evidens cognitio contigerit, ad tempora morbi animum adtendere oportet. Ad eos enim qui circa primas horas nascuntur, acrioribus remediis est utendum, & magis utique si juxta declinationem totius morbi apparuerint. Eos vero qui vigente morbo apparent mitius curabimus: atque ideo magis,*

magis, si inflammationes & intensiones viscerum concomitentur. &c. (*i*). Nec minus nervose inculcavit F. HOFFMANNUS, *errorem hic Medicorum vulgarem propemodum notandum esse, quod sine distinctione temporum & individuorum plerumque statim, ad expellendos ingratos hospites, acria purgantia, vel etiam calidiora alia propinent, cum sæpissime inde fiat exasperatio, tantum abest, ut auspicatus effectus inde sequatur* (*k*). Nam longe alia via videtur incedenda, si nido adhucdum suo inhæreant, vel vagabundi intestina perreptant, aut in ipsum jam ventriculum si pervenerint, vel morborum vi agitati, criticisve moliminibus, idque aliter in lentis aliter in acutis.

§. LXXXVIII.

Hinc & ab eodem Medicamento diversi tot effectus, ut eadem Pharmaca vera specifica habita, alio tempore subve aliis conditionibus data, vix vel nihil specificæ ejus virtutis exseruerint, & tanquam inania rejiciantur. Illud præ ceteris de Fragrantibus verum reperitur, deque Mercurialibus aliisque pluribus. Nam peculiaris Morborum ac Symptomatum natura, quæ vel Putridis, Inflammatoriis, Mucosis, Biliosis, aut Spasmodico-convulsivis proxime accedit, singularem & sibi privam nonnunquam administrationem postulat. Sed & Constitutiones Epidemicæ, etiamsi in verminationes admodum pronæ, non semper eidem me-

(*i*) *Tetrabiblion.* III. Serm. I. pag. 530. cum similib. pag. 431.

(*k*) Tom. I. Part. II. Cap. XI. §. VI. pag. 236. cum Tom. II. sect. II. Cap. II. §. V. pag. 262.

medendi viæ parent. Ita quidem conſtitit in Epidemia Beniventis: *Etenim cum multi morbo quodam ignoto e vita decederent, tandem Medicos hoc morbo interemptum incidiſſe, & in ejus cerebro inveniſſe vermem rubrum, brevem: quem cum medicamentis multis vermes occidendi vim habentibus occidere non poſſent, tandem fruſta raphani inciſa in vino Malvatico coxiſſe. Quo medicamento vermis occidebatur; atque hoc remedio poſtea ſimili morbo, quaſi epidemico affectos omnes curaſſe* (*l*). Tale quid ex Epidemia Saraguſæ, quam ſupra ex eodem auctore (*m*) allegavi, videtur manifeſtum, exque illa apud Seguſianos graſſata (*n*). Aetate quoque noſtra, in Epidemia nimirum Culemburgenſium 1741. eximiæ fuerunt virtutis Terreſtria abſorbentia addito Rheo, quæ in Conſtitutione noſtra 1760, quibusdam obeſſe videbantur, ac detrimenti plus, quam adjumenti adtuliſſe: poſtea vero catholicon fere evaſit Medicamentum in tantum non omnibus primarum viarum morboſis a vermibus affectionibus, cum evacuationibus nimiis, tum ſpasmodicis tumultibus.

§. LXXXIX.

Sors fere eadem Mercurii Præparationum eſt, ſpectatæ alias in necem infeſtorum virtutis. Paucis tamen Mercurii dulcis uſum ſalutarem deprehendi, aſt plurimum, cum WAGLERO (*o*), ubi

(*l*) Vide P. FOREST. Lib. IX. obſ. 2. in ſchol. pag. 255.

(*m*) Cap. IV. ſect. IV. §. LXXXII.

(*n*) BONET. *Sepulchret. Anatom.* Lib. IV. ſect. I. obſ. LVIII. §. 3. pag. 227.

(*o*) *De Morbo mucoſo.* pag. 49.

ubi modo febris juncta erat, noxium; bis ex paucis tantum granis magnam salivationem secutam animadverti. Quorum ratio forsan in abundante humorum mucoso vitio, scorbuto perquam proximo (*p*) quærenda videtur: quemadmodum in febrilibus conaminibus salutares motus intendere, ac morbi vi proportionata molimina hac ratione perturbare valent. Unde simul intelligitur, cane & angue pejus ejusmodi auxilia in usum esse vocanda, ubi vitæ vires fractæ jam fuerint. In genere quoque præstat nunquam seorsim dari Mercurium dulcem saccharo tantum subactum, ast potius purgantibus nubere & ad vim ejus infringendam camphoram ipsi addere. Nec multum juvaminis percepi a Decoctione Mercurii crudi famigerati inter Medicamenta vermibus adversa antidoti. Facultates hujus Anthelminticæ ex præcedentis seculi Medicorum observatis brevi congessit DIEMERBROECKIUS (*q*); quamvis ex aliorum periculis de indubitata ipsius virtute merito quis ambigere poterit. Exemplum enim DIEMERBROECKII nihil certi demonstrat, cum Mercurii infusioni Syrup. de Limonibus & Ol. Vitrioli ad gratum acorem addiderit; solisque Acidis alibi (*r*) fiderit. Ostendit quoque laudatus Jo. BAPTISTA BURSERIUS (*s*), effectus fuisse eosdem, datis duabus quatuorve drachmis Mercurii vivi contra vermes, de quorum præsentia convictus fuit,

(*p*) *Ibidem.* pag. 25. sect. I. §. VII.

(*q*) *Observat. & Curat. Med.* Cent. obs. XCI. in subnect. annot. pag. m. 120.

(*r*) *Ibidem.* obs. XXI. pag. 21.

(*s*) *Epistola de Anthelmintica argenti vivi facultate* ad PETR. BALANTERIUM Faventiæ 1753. conf. *comm. de reb. gest.* vol. V. pag. 416.

fuit, quam in iis, qui Mercurium vivum non assumserant. Lumbrici nimirum prodierunt vivi fere semper, clysmatibus & Emollientibus illecti, raro mortui. Plurimi dantur casus, brevitatis caussâ non recensendi.

§. XC.

Oleosorum quoque electus fiat necesse est, neque promiscue usurpanda; quod suo loco, quantum Constitutionem nostram attinet, simul indicavi. Interim tamen in alvinis doloribus, inque aliarum partium spasmodicis constrictionibus adque vermes ipsos necandos, eximias virtutes esse, nunquam non affirmaturus sum, modo casus, debita quantitas & usus continuatus adtendantur. Nam inficias nemo ibit, talem oleosarum virtutem veteribus minime ignotam fuisse; sed a longinquo eandem exploratam habuisse. FORESTUS adolescenti octodecim annorum summa cum laude Oleum Olivarum cum succo Granatorum exhibuit, de quo refert *Reginam Galliæ hoc remedium pro arcano adhibuisse in pueris suis* (*t*): & RIVERIUS de eo tanquam de domestico remedio loquitur, *quo mulierculæ cum vino utuntur* (*u*). Mirum quoque casum fortuitum (*v*) hæc ætas suppeditavit. Nec mirum igitur, neque inefficax remedium. Epidemicas autem observationes tradentem, præ ceteris harum eventus enarrare oportet. Plurimi Oleosa reformidabant, alii in usu

(*t*) Lib. XXI. obs. XXVII. pag. 350. confer. ejusdem de Oleo nucum comment. ib. obs. XXXII. 357.
(*u*) *Oper. omn.* Lib. X. cap. IX. pag. 310.
(*v*) *Philosophical Transactions* vol. L. Part. II. pag. 518. cum 836.

usu continuato persistere nolebant, nonnullis etiam, propter ingentem pituitæ copiam, de quibus infra (§. XCIII.), absque necessario effectu propinata sunt.

§. XCI.

Plerisque itaque, cum intermista febris esset, atque alius generis morbi, communis curatio adhibenda erat, simplicioraque auxilia in usum vocanda. De quibus tamen non possum non verbo monere, quod inter ejusmodi remedia potentissima deprehenderim Acida Mineralia, diluta, correcta. Sic casu fortuito accidit, ut egregias facultates Elixiris Vitrioli in summo periclitante (*w*) experiri licuerit, quo solo a mortis limine restitutus est; quodque deinceps in multis casibus similes virtutes exseruit: nec mirum videtur catholicon istud medicamentum adeo universale vermibus obsessis prodesse, quoniam plurimi ad putredinem inclinant, in qua mirabiles hujus aliorumque Acidorum effectus graphice descripsit Ill. VAN ZWIETEN: *Patet simul ratio*, inquit, *quare quandoque in febribus acutis continuis & putridis acidi illi spiritus ex sale marino, nitro, sulphure, vitriolo, igne expressi adeo prosint, qui tamen omnes sanguini misti coagulum inducunt. Putrida enim humorum dissolutio per similia tollitur & futura cavetur* &c. (*x*). Extemporaneum Elixir Vitrioli ex Spir. Vitrioli, Tinct. Cort. Peruviani & Cinnamomi optimo usui inserviit subitaneæ debilitati, languori, pulsusque vacillationi, ceterisque putridorum spasmodicis affectionibus, ubi mire adeo præstare solet Cortex Peru-

(*w*) Confer. §. LXXV. n°. 4.

(*x*) *Comment.* Tom. II. pag. 423. §. 730.

Peruvianus. Sed & incomparabilis ſimul Acidorum eſt uſus in verminantibus: præter enim Veterum Acida Vegetabilia adhibendi morem, Oleum Vitrioli cum fructu uſurpavit DIEMERBROECKIUS cereviſiâ dilutum in infante tympanitico (*y*). Similiter de Acidis judicium tulit RIVERIUS: *Acida enim omnia vermes necare, notiſſimum*, inquit, *eſt. Hinc ſuccus Limonum ad hanc rem utiliſſimus eſt. Et in potu ordinario aqua Spiritu Vitrioli acidula reddita, in hoc affectu mirabilis eſt* (*z*). & paullo inferius: *Non minoris forte efficaciæ eſt* (mercurio, ſc. crudo) *aqua fontis cum Spiritu Vitrioli aut Sulphuris guttis aliquot acidula reddita: ſunt enim acitoſitates illæ ſpecifica materia, qua moriuntur vermes. Aqua vero, prout puer eſt grandior magis vel minus acida eſt efficienda* (*a*). ut C. J. LANGIUM (*b*), F. HOFFMANNUM (*c*), aliosque ſilentio tranſeam. Dabatur ad triginta ad ſummum guttas, ex vehiculo aquoſo ſimplici, vel ſedativo, vel & diſcutiente aliquando: & in ſummo quidem angore omni quadrante hora, alias omni hora, quin tribus quibusvis horis. —— Auxilium plerumque attulit, ubi convenientiſſima alias antidota, nullum

(*y*) *Loco citato.* Obſ. XXI. *in not. ſubnexa* ubi valdopere eum collaudat, inquiens, „ Oleum Vitrioli dicto „ modo exhibitum, non modo putredines omnesque cor„ ruptiones tollere, verum etiam lumbricos ventriculi & „ inteſtinorum enecare ac conſumere & talibus malis in„ feſtatos ægros, etiam deſperatos, ſæpe præter expecta„ tionem reſtituiſſe videbimus. "

(*z*) *Lib. citato.* pag. 309.

(*a*) *Ibidem.* pag. 311.

(*b*) *Oper. omn.* Part. III. Diſput. XXII. §. XXIV. pag. 290.

(*c*) *De Morb. infant.* cap. X. §. II. Tom. III. pag. 492.

lum vel debilem effectum præstabant. Sic v. g. anxietatibus febrium biliosarum autumnalium egregie inservit Spir. Mindereri usus, quam tamen Acidis mineralibus multo inferiorem viribus deprehendi, si vermes socios hisce sese adderent.

§. XCII.

Quoniam & ex natura Morborum Verminantium bilis fere semper peccabat (*d*), hinc & blanda eccoprotica copiosam bilem depravatam, ac pituitosam materiem evacuantia, imperanda erant. Quem in finem creberrimi ac felicissimi fuit usus Mixtura ex Sale polychresto, Rad. Rhei electi & Valerianæ Sylv. (*e*) vel pulveres tantum per se, mane ad pondus drachmæ unius, vel minori quantitate sæpius de die, devorati. Unde sæpius miratus sum, egregios viros WAGLER. (*f*) & VAN PHELSUM (*g*) perpaucarum virtutum Rheum exi-

(*d*) Cap. III. sect. II. *ægrot.*
(*e*) *Ibidem* §. XLVII.
(*f*) *De Morbo Mucoso* pag. 59. „ Rheum, *inquit*, nisi „ refracta dosi pro nausea exhibeatur, vel aliis addatur, „ sine fructu porrigitur: remedia enim bili analoga facile „ naturæ bilis depravatæ assimilantur, adeoque saburram „ biliosam, huic morbo faventem, augent. *Atque adeo* „ *male panchrestum nostri ævi remedium, laudatur & ægrorum* „ *cubicula rhabarbaro resonant.* "
(*g*) *Verhandeling over de Wormen* pag. 184. alwaar Hy zegt: „ ik telle hier de Rhabarber niet by, om dat de- „ zelve (zoo verre my voorstaat) genoegzaam door nie- „ mand in de Wormziektens zeer geprezen wordt, want „ de meeste schynen met geweld of sterke middelen de „ Wormen te hebben willen bestryden, dog dit zagte af- „ gang verwekkende middel, zoude niet als schadelyk „ kun-

existimare, immo vel ejus usum noxium habuisse, dum a longinquo specificam quasi hujus medicamenti vim plurimi experti sunt. FORESTUS hanc radicem Agarico prætulit: *Valet & Agaricus sua amaritudine, non tamen*, inquit, *ut* Rhab. *cujus* ℈j. *vel* ij. *necat vermes & expellit, juxta* Gatenariam, *idque sua amaritudine, licet auctores de Rhab. id non dicant* (*h*). Simili modo DURETUS: *Rhabarbarum purgat chylosum excrementum & tollit materiem, cui vermes qui feruntur in morbis, sinistri judicii metum afferunt: sed qui vi medicamenti deturbantur, nihil metus afferunt* (*i*). Quemadmodum & huic non minus nervose principatum dedit RIVERIUS: *At vero inter purgantia præstantissimum est Rhabarbarum, quod etiam præsenti alvi fluxui & febri convenit* (*k*). Raro enim ad tantam acrimoniam adscendit in ægrotis nostris bilis ut eadem a Rhabarbaro magis depravari potuerit, quin ejus continuato usu blande simul eliminaretur. Dantur tamen casus in quibus ego perinde ac laudati viri eundem minus commodum deprehendi, quosque & suo loco (*l*) indicavi. Hisce exceptis, catholicon fere tam in Mucosis, quam Biliosis & Verminantium Morbis, evasit Medicamentum; & ad alvum ducendam satis validum. Attentioribus autem

„ kunnen zyn, indien 'er by toeval een sterke zamenkrimping in de Darmen (of mogelyk een Kink) was, ik zwyge hier tans van de bovengenoemde Middelen, nadien dezelve in zodanig geval genoegzaam voor volstrekt dodelyk zyn te houden."

(*h*) Lib. XXI. obs. XXXII.

(*i*) In HOLLER. *de morb. intern.* inque suam enarrat. annotat. ad cap. 54. pag. 568.

(*k*) *Oper. omn.* pag. 310.

(*l*) Cap. IV. sect. III. §. LXXI.

autem Practicis notum eſt, parvam repetitamque Rhei doſin copioſe ventrem ciere, ut ejus uſus aliquando interponi debeat. In frigidis ac valde pituitoſis mixturæ huic jungebatur Tinct. Aſæ fœtidæ & Oxymell. Scillitic. ex Aquis Still. Abſynthii, Cochleariæ, Raphani ſimpl. &c. Et ſi hujus medicamenti baſis rationi morbi conſentanea adjuvetur & accommodetur, univerſale inde ſatis medicamentum conflari poteſt. Minus interea ægrotis noſtris profuit Medicamentum ſecundum mentem Cel. Stork. ex Pulv. Rad. Jalappæ Valerian. Sylv. & Sal. Polychreſti ana drachm. cum unciis quatuor Oxymell. Scillitici (*m*); vel Cortic. Winter. & Vino addito: dum ægroti qui primum medicamentum aſſumſerant in continuos vomitus agitabantur, & alterum (*n*) quoque ad libras duas datum in colica pituitoſa frigida abſque ſperato ſucceſſu exhibitum fuit, in qua palmam præripuit præbium modicum Gratiolæ Germanorum ſeu Centauroidis. Quod vero perparum ferre poterant oretenus ægroti noſtri Oxymel Sciliticum ingentis erat utilitatis in clysmatibus, una cum Tinct. Aſæ fœtidæ, ex Decoct. Cort. Peruviani, Herb. Abſynthii, Scordii, Tanaceti, prout hæc vel illa indicatio poſtulabat. Initio autem Conſtitutionis & jam ad maturitatem majorem perventa, in nonnullis decumbentibus tempus fruſtra terebatur, in conſuetis Enematibus ex ſpeciebus demulcentibus & carminantibus, etiamſi oleoſis nuptis, exhibendis. Summa enim vigente putredine efficaciora auxilia in uſum erant vocanda, quibus ſymptomatum vi occurri poterat, quod aliquando magna Acidorum Mineralium quan-

(*m*) *Ann. Medic.* pag. 103.
(*n*) *Ann. Medic.* pag. 228. *ſecund.*

quantitate, lotionibus iſtis juncta, egregie perficiebatur.

§. XCIII.

Attamen vero ſunt caſus ſpeciali differentia non indigentes v. g. Pleuritides Verminoſæ, quæ ſimplici purgante medicamento, non habita incidendi ratione (*o*), feliciſſime curantur, ſilentibus poſt emiſſos lumbricos pleuritidis ſymptomatibus. Ita etiam animadvertitur in Diarrhœa verminoſa, præter terreſtria cum Rhei vel Corticis Peruviani tantilla quantitate, vix alia deſiderari. Neque harum ratio altius repetenda, cum ejusmodi ſymptomata, ut plurimum, a vermibus nido ſuo remotis concitentur; qui minus apte tunc pharmacorum purgantium, aliorumque in necem datorum vi reſiſtere poſſunt, quam ſi nido ſuo mucoſo inhæreant. Atque hinc mihi apertum videtur, oleoſa nonnunquam nihil ſuæ virtutis anthelminticæ exſerere, promptiſſima alias ad inſecta tracheis occludendis necanda, niſi præviis acrioribus incidentibus inteſtina ſtimulando cogantur, atque eo pacto nidus ſolvatur, vermesque inteſtina perreptantes occidantur.

Nam mucus ille, quem omnes obſervant, copioſus ſæpenumero adeo eſt, ut captum illorum, qui variis verminantibus haud interfuerunt, excedat; in quo ſepulti jacentes ſuffocantem oleoſorum vim non experiuntur vermes, ſin minus incidente & purgante medicamento turbati fuerint: ſed tunc ſimul indicio ſunt validioris medicamenti propinandi. Hinc etiam intelligitur quantum verminantibus prodeſſe poſſint Nauſeoſa & leniora Emetica? Quoniam ſcilicet potentiſſime iis-

(*o*) Cap. III. ſect. IV. *ſchol. ſecund.*

iisdem inteſtinorum animalcula, modo non ad ſuperiora alliciantur (*p*), exagitari, atque inteſtinorum contractionibus e loco ſuo apte moveri queunt, purgantibus poſtea foras educenda. Parili modo iis infeſta apparent quæcunque quæ vel titulo medicamenti validioris, vel animi pathematum, ſenſiles atque irritabiles abdomini partes afficiunt, ut potius vi ſua, quam ſpecifica virtute, agant. Ita & fortiora purgantia, a ſuperiori memoria egregia anthelmintica habita ſunt. Numeratos effectus ab animi pathematibus aliquoties comperi, puerperasque, graviditatis tempore fruſtra multis agitatis, levi negotio ab ingratis ſuis hoſpitibus, edito partu, liberatas obſervavi. Num & purgante tantum, an toxicâ virtute operetur *Arcanum* HERRENSCHWANDII, ſine occultatoris communicatione perpenſum & exploratum haberi nequit. Interea tamen conſtat, Medicamentum hocce ordine quodam, præmiſſo pulvere Salino, & Olei cochleari, animatæ potentiæ obnoxiis dari, & nonnunquam turbas violentas excitare, atque eatenus cum obſervationibus in genere hacce in paragrapho traditis convenire.

§. XCIV.

Sic & duplici poteſtate quædam medicamenta agunt, nimirum ſolvendo & purgando, quæ proprietas præſertim Aloë ineſt, aliisque pluribus, idcirco a longa memoria ad turbandos & expellendos lumbricos uſitata: quemadmodum ad arbitrium cujusvis variæ formulæ, multifariam incidendi, necandi & expellendi vim habentes, peculiari morborum & ægrotantium conditioni &

(*p*) Cap. IV. ſect. II.

& ætati adcommodatæ, conflari poſſunt; quæque in Pilulis HOFFMANNIANIS, aliorumque, uſu quotidiano probatis compoſitionibus, quam clariſſime elucefcunt. Faciunt huc Extracta Vegetabilium amara, Gummata ferulacea, & inter hæc potentiſſime Aſa fœtida, Salia quævis incidentia, Vitriolica, Metallica, Metalla ipſa, Anthelminticis ſpecificis, purgantibusque nupta; atque uno quaſi impetu inteſtinorum animalcula foras extrudentia. Eſt & quorundam minime vituperandus mos, poſt aſſumta fortiora purgantia, magnam aquæ frigidæ copiam imperare, quod & ſecurius adhuc aquis mercurialibus, vel exſtinctionis Metallorum, ſi idoneis viſceribus propinantur, fieri poteſt. Sed ejusmodi adminiſtrationem unusquisque non æque facile tulerit, magnamque Medici curam deſiderat. Expediunt etiam multis quidem in caſibus externa, ſub varia forma, applicata auxilia. Quin ruſtica Medicina, comedere Radices Dauci vulgaris, jejuno ſtomacho, nonnullis infantibus facili ſaluti fuit (*q*).


§. XCV.

Attamen vero interdum ita accidit, ut vel medicatiſſimæ res induſtriam exercitatiſſimorum Medicorum fruſtrare valeant, quod perinde mihi ac Medicis conſummatiſſimis moleſtum evenit. Illud, præter multiplices cauſſas, de quibus ſupra (§. XCIII.) dictum eſt, inde fit, vel quod inteſtinis firmiter inhæreant vermes, vel tunicas eorum perforaverint, vel duplicaturis ventriculi aut inteſtinorum inſideant; diſtantiam quoque loci a ven-

(*q*) *Act. Phyſ. Med.* vol. I. obſ. II. pag. 449.

ventriculo, utpote in cavitatibus inteſtini coli, cauſſam aliquando eſſe, acutiſſime indicavit BAGLIVIUS (r) *Lumbricos frequenter abſcondi in cavitatibus inteſtini coli, ad quas, cum interdum difficulter perveniant medicamenta; idcirco nil mirum, ſi non raro ex optimis quibuscunque remediis optimos ſucceſſus non habere?* Quod pariter ego in triguribus inteſtinum cœcum obſidentibus (s), aliquando comperi. Caveant igitur juniores Practici, ſingulari tantum formulæ, utut decantatæ, nimis fidere; vel eadem omnibus & ſingulis verminantium ærumnis mederi velle. Harum enim natura portentoſa nimis eſt, quam ut ſimplici medicamento, quoad metaſchematismos ſuos oppugnari queat. Judicio autem opus eſt, quo debitus fiat, inter tot numeroſa pharmaca, ſelectus, ac cum ægroto, ejusque ætati, ſexui, vitæ generi, atque idioſyncraſiæ peculiari, tum anni tempeſtati & morbis publice graſſantibus convenientiſſima ſimul etiam & prudentiſſima adminiſtratio.

(r) Götting. Gel. Anzeig. ſt. 25. 1761.
(s) *Prax. Med.* pag. m. 60.





CAPUT SEXTUM.

QUORUNDAM VERMINANTIUM SYMPTOMATUM RATIONEM EXPONENS.

§. XCVI.

Ex hactenus recensitis, plerorumque verminantium, quatenus originem suam abundanti præter naturam humorum copiæ, eorundemque depravatæ indoli, atque viscerum secernentium vitiatæ structuræ organicæ debent, symptomatum ratio nemini accurate perspicienti non constare potest; quæque certo respectu ad Glutinosi & Alcalini Spontanei genus pertinet (*t*), primarium tamen, si proprie loqui volueris, in cognitione lati diffusi morbi mucosi, & bilis multifaria a statu sano alienatione, fundamentum habet, ac hisce rite enucleatis præcipua phænomena quam perspicacissima evadunt (*u*). Nec opus est ad terribilia hæcce symptomata producenda, vermium ova in sanguinem delata effingere (*v*). Communis enim, quum omnibus unus idemque fons, prima nimirum sit officina, natalis scaturigo (*w*) sponte indicatur, quemadmodum de singulis ad quæ-

(*t*) Cel. van Doeveren *Lib. citat.* pag. 61.

(*u*) Ex putredine nata symptomata indicavit Trincavell. *Lib. citat.* pag. 731. Acutorum vero Cel. Kloekhoff. *Lib. cit.* pag. 44. &c.

(*v*) Andry pag. 345.

(*w*) Cel. Gaub. *Instit. Pathol.* §. 588, 589.

quæque ſua capita dictum eſt, ſupervacuum adeo ea repetere. Satius erit, quæ ex humorum corruptela, vermium ſuctu, reptatione, atque cadaverum eorum putrido liquamine, partibus ſenſibilibus atque irritabilibus inducuntur affectiones, verbo explicare.

§. XCVII.

Quod, ut miſſis ambagibus, rite aſſequar, ex ſtâbili Phyſiologico principio, quamvis modum haud ſemper aſſequi liceat, univerſum corpus animatum ſuppono; neque hujus loci eſſe intricatiſſimorum phænomenorum, quod fruſtra in ſe ſuſceperunt ſtupendæ eruditionis viri, cauſſas enodare exiſtimo. Præcipua vero ſenſûs ac motûs organa cum nervi ſint, quibus conſenſus late diffunditur, illorum ad partes, quas mutuo commercio afficiunt, decurſus, & cum aliorum ramis majoribus minoribusque conjugationes, præ ceteris indicare oportet.

§. XCVIII.

Accurata turbarum contemplatione, quæ univerſo corpori, maxime vero faciei & toti capiti contingunt, non niſi in ejusmodi nervo, qui illis cum partibus mutuum commercium alit, quærendas eſſe docemur. Ille *magnus ſympatheticus* ſeu *intercoſtalis* dictus, ſæpius litigandi cauſſam (x) ſup-

(x) Conf. Ill. HALLER. *de Vera Nervi intercoſtalis origine. Diſput. Anat. Select.* Vol. VII. pag. 940. & *Oper. minor.* Tom. I. pag. 503.

ſuppeditavit, aſt feliciore noſtra ætate certiorem demum originem nactus (y), a ſexto & quinti paris ramo ſecundo, ſeu Vidiano profundo oriundus,

(y) Vide Cel. MECKEL. *de Quinto pare Nervorum cerebri* Gott. 1748. §. LXV. pag. 53. & Tab. Fig. I. litt. v. ξ. π. & Fig. II—VI. & *Memoir. de L'Acad. R. de Berlin* 1749. pag. 87. §. V. cum HALLERI not. p*. ad §. xij. *oper. min.* pag. 510.

Omnes tamen apparitiones ſubinde circa nervulos vulgo radices nuncupatos, vel & fictitios ramos (MECKEL. *lib. cit.* §. XXXVI. pag. 25. cum §. LXV. pag. 53.) obſervatæ, detectioni huicce non ita refragari videntur, ut ſimiles nunquam in conſpectum prodiiſſent (HALLER. in *loc. citat.* §. X. & ſeq.); quin de abigendis ſurculis ex primo ramo quinti paris, ophthalmico dicto, adhuc dubitent. Auctores apud HALLERUM citatos non attingo. Cel. vero P. CAMPER, cui tunc temporis probe innotuerant, quæ circa originem intercoſtalis ex ramo Vidiano profundo ex MECKELIO allegavi, ſymptomata colicæ Pictonum a Cel. DE HAEN in peculiari *diſſertatione* (Hagæ Comitum 1745. pag. 35-41.) propoſita explicaturus, pergit, „ Nervus in„ tercoſtalis cum ramo ophthalmico cohæret in origine a „ ſexto pari." (*Nervorum Anatome contracta* Cel. MONROI *latine reddita* a Cel. COOPMANS pag. 57 & 60. ed. alter. pag. 180, 182.) & mox infra: „ ſi jam colligamus in „ ſummum, nervum intercoſtalem conjungi cum ſecundo „ ramo quinti Paris, cum primo ramo probabiliter." Immo poſt primam MONROI editionem 1754. latinam evulgatam. A°. 1756. in Theatro Amſtelædamenſi ramum inſignem cum quinti paris ramo ophthalmico ſeſe jungentem demonſtravit, quod pluries a ſe obſervatum fuiſſe Cel. COOPMANS (*lib. citat.* ed. alt. pag. 119. a.) indicavit. Quin veſtigia Magni Præceptoris premens Cel. mihique amiciſſimus Amſtelædamenſium Anatomiæ Profeſſor F. SNIP, in eodem Theatro publico in cadavere feminino A°. 1765. in dextro latere eandem communicationem indicavit, quod ob rei dignitatem humaniſſime mecum communicare voluit. Quid-

dus, toti fere faciei, oculis, naſo, auribus linguæque illatas ex abdomine moleſtias impertit, atque viciſſim iis laceſſitur.

Demonſtrant hoc

I. Fortuitæ læſiones in homine veluti ex notiſſima obſervatione STALPARTI VAN DER WIEL (z), conſtat.

II. Experimenta PETITIANA de induſtria in animalibus inſtituta (*a*).

III. Similia experimenta a dexterrimo MOLINELLIO (*b*) & Nob. A BRUN (*c*) capta.

Liga-

Quidquid hujus rei ſit, docuerunt iteratæ ſectiones MECKELIUM, VAN DOEVEREN & CAMPERUM, Nervum Vidianum ſemper elargiri ramulum, variationibus quidem, ipſi ſurculo intercoſtalis a ſexto; adeoque manifeſtam cum quinto conjunctionem ſtabili lege vindicant. Utrum vero intercoſtalis principium ex novis detectis quinti paris radicibus invertendum ſit, ut quibusdam viſum fuit, in Pathologicis nihil ad rem facit, cum affectiones viceverſa contingant. Audiamus in hiſce Solertiſſimum Obſervatorem: „ Hiſce ita „ poſitis, *inquit*, ſit a quacunque cauſſa vitalis intercoſta„ lis nervi ramulus læſus, pergit irritatio; & uti in ſen„ ſationi omni, ſpiritus ad cerebrum deferri probabile eſt, „ ſic & eos ramos nervi quinti paris in conſenſum trahet „ irritatus intercoſtalis ramus, quibus ille originem ſuam „ debet. Propagatur vero & in omnes ramos nervi quinti „ paris hæc irritatio, varie quippe inter ſe anaſtomoſibus „ confluentes. Sed viceverſa irritato ramo nervi quinti „ paris, qui intercoſtalis radicem exhibet: hæc irritatio „ facile toti nervo intercoſtali, & hinc omnibus nervis „ corporis cum quibus communicat intercoſtalis, conciliari „ poterit." MECKEL. *de nervo quinti par. cereb.* §. XII. pag. 107.

(z) Cent. I. obſ. XXXI.

(*a*) *Mem. de l'Acad. R. des Sc.* 1727.

(*b*) *Comm. Inſtit. Bon.* Tom. III. pag. 290.

(*c*) *De ligatur. Nervorum.*

Ligatura paris vagi, ejusve abſciſſio, fruſtra iis, quæ oculorum experimenta ſpectant, objicitur: cum nulli ramuli vel horum propagationes ad oculum perveniant. Reliqua de Nervo intercoſtali ſuperſedeo, dum ex Recentiſſimorum deſcriptionibus neceſſaria indicabo.

§. XCIX.

Hinc (§. XCVII, XCVIII.) intelligitur

I. *Cur aliquando citra febrim, atrox capitis dolor, vel ſolus, vel una cum pupillæ dilatatione & narium pruritu percipiatur?*

A. Præter ſaburram morboſam in ventriculo ſubterque præcordia contentam (*d*).

B. a mutuo membranarum conſenſu nervorum ope communicato; nimirum

α. Diſtributione rami frontalis per frontem (*e*).

β. Conſenſu nervorum ciliarium, & ganglii ophthalmici, ut & rami naſalis iridem petentium (*f*).

γ. Naſi pruritus, ex affectione nervorum cum primi tum ſecundi rami quinti paris, per totam ejus capacitatem diſtributorum. Sed naſi

(*d*) Cap IV. ſect. I.

(*e*) Vid. EUSTACH. Tab. XVIII. n°. 2. litt. *aa*. MECKEL. *Lib. citat.* §. XXXVIII——XLIV. & *Hiſtoire de l'Acad. de Berlin.* Tom. VII. pag. 40. §. XXIX. la Planche litt. I. &c.

(*f*) MECKEL. *de Nerv. quint. par. loc. citat.* ZINN *de oculo.* cap. IX. §. VII. & VIII. Tab. VI. Fig. I. litt. hh. y. z. & n°. 1, 2, 3, 4. Fig. 2. oo. p. q. Confer. & MONRO *lib. cit.* p. 103. unde *Sternutationis* cauſſam, de qua infra fuſius, quærit C. A. DE BERGEN in conſenſu uveæ cum nervis muſculi diaphragmatici. Vid. ejus *Diſſert. de Nervo intercoſtali* §. XLI. pag. 47. vel *Diſſ. Anat. Select.* HALLER. Tom. II. 901.

nasi pruritus aliquando pupillæ dilatationem insequitur, eo quod ramus nasalis primi rami quinti paris radices porrigat ganglio ophthalmico, a quo nervi ciliares proveniunt (*g*), qui vicissim affecti quoque patiuntur. Quid hic dubitandum, licet quo fiat nos lateat modus; dum splendens lumen pupillam coarctando, tam prompte sternutationem producit, quam sternutatio immodica ipsam amaurosin; & eodem momento sternutationis pupilla dilatatur, ipso radiante sole (*h*).

§. C.

Cui consensui (§. XCVIII.) etiamsi nervorum ope dictis partibus inducatur, regeri tamen posset, exinde non sequi eundem vermium irritatione fieri. Quamobrem operæ pretium est, pro materiæ dignitate, quæ inde ad Pathologiæ certitudinem profluit, hanc quæstionem accuratius paullo expendere.

Facile mecum convenient, nullam H. C. partem tot nervis, ac tam artificiose esse intertextam, quam mirabilem oculorum structuram, sive fabricam ejus spectes, sive eam, quam cum aliis partibus, mediantibus numerosis ramulis colunt, societatem respicias; atque eandem ob caussam nullibi frequentiores obvias esse morbosas sensationes molestas. Sed ipsam hanc sympathiam attenta rerum observatio docet non promiscue cum iis communicari; ast quodam respectu a caussa afficiente pendere. Etenim

1. Ab-

(*g*) ZINN *in loc. citat.*
(*h*) C. A. BERGEN *loc. citat.*

1. Abſciſſo in homine nervo intercoſtali cæcitas inſecuta integra eſt (*i*). Taceo experimenta Cel. PETIT (*k*) in animalibus de induſtria facta.
2. Colicam Pictavienſem comitatur Amauroſis (*l*).
3. Scotomia, caliginis ſpecies, a ventriculo depravato proficiſcens, dimidium pupillæ in oculo utroque obſcurans, per horæ quadrantem reddit viſum hebetem & imperfectum, capitis doloribus ſubſecutis, tandemque ſolubilis fit (*m*).
4. Quænam in Hypochondriacis, Hyſtericis, Hydropicis, ut & Tabe ac Venere conſumtis, oculorum mutationes contingant, omnes Practici norunt (*n*). An & hic læmas & viſûs obnubilationem, aliaque ab HIPPOCRATE (*o*), in Acutis deſignata, tantum topice conſiderent, minime crediderim.
5. In homine, cujus cor & pulmones ſectione anatomicâ poſt mortem ſuppuratione & gangrænâ affecta reperta fuerunt, triſtes & lachrymoſi erant oculi. (*p*).
6. Acriora quædam medicamenta ſubvenenoſa, imo venena ipſa, longe alia phænomena producunt, ſpaſticis magis contractionibus congrua. Quorum ut prolixam nimis recenſionem

(*i*) STALP. VAN DER WIEL *loc. citat.*
(*k*) *Hiſtoir. de l'Acad. R. des Sc.* 1727.
(*l*) DE HAAN *de Colica Pict. Diſſert.* pag. 36.
(*m*) C. A. DE BERGEN *loc. cit.*
(*n*) Conf. REGA *de Sympathia* cap. 18. pag. 238.
(*o*) *Prænotion.* Lib. FOËSII sect. II. pag. 37. lin. 13, 22.
(*p*) *Recueil Periodique* 1755. Decemb. pag. 458. vel *Comm. de reb.* &c. Vol. VIII. Part. II. pag. 209.

nem præſcindam, ea quæ D. SENNERTUS (*q*) de *Napello*, de *Opio*, deque *Cicuta*, *Serpente Aſpide*, *Ceraſte*, *Dryino* & *Rubeta* ſeu *Bufone* & *Scorpione*, quatenus oculos afficiunt, exhibuit, brevitatis cauſſa tranſeo. Recentiſſima digito leviter attingam.

7. Coarctatam pupillam efficere *Solanum furioſum*, quin oculorum rubores & viſus hebetudinem, quotidiana praxi certum eſt. (*r*)

8. Inter varia ſymptomata aperti erant oculi & fluctuantes a *Semine Hyoſcyamo*. (*s*).

9. Torvi vero obſervabantur cum delirio feroci a *Stramonio*. (*t*).

10. *Spigelia* ſeu *Radix Anthelmia* ad minimam doſin data, brevi poſt aſſumtionem, vertiginem ac dolorem in oculis, excitat, una cum irregulari muſculorum abductorum & adductorum motu; reliquis oculorum muſculis intactis manentibus. (*u*).

11. Nulla tandem contigit iridi mutatio ex irritamentis externis (*v*), promptiſſime radiis lucis mobili.

12.

(*q*) Lib. VI. Part. VII. Cap. I, III, IV, VIII. & Part. VIII. Cap. III, IV, XI, XIV, XXII.

(*r*) Confer. LAMBERGEN *Ephem. perſanati Carcinomatis* pag. 15. GATAKER. *on the internal uſe of the Solanum* &c. 1751. pag. 8.

(*s*) *Commentar. de rebus* &c. Vol. VII. Part. I. pag. 81.

(*t*) *Ibidem* pag. 82. & *Hiſtoire de l'Acad. R. des Sc.* 1756. pag. 72. 4°.

(*u*) *Comm. de reb.* &c. Vol. V. Part. I. pag. 69.

(*v*) Confer. SPROEGEL *Diſſert. ſiſtens experimenta varia cum venenis in viv. anim. inſtituta.* Gotting. 1753. vel *Comm. de reb.* &c. Vol. III. P. III. pag. 443. & DAVIEL *Comm. eoſd.* Vol. XII. Part. IV. pag. 657.

12. Lumbrici vero, ſaltem teretes, quos præ ceteris ego periclitatus ſum, plerumque iridem dilataverunt; ut ad minimum tertiam conſuetæ amplitudinis partem ſuperaret lumen.
13. In valde pituitoſis, præter pupillarum dilatationem etiam ſingularis oculorum ſplendor & mador viciſſim animadvertebantur. (*w*).

Adeoque multi ab invicem diverſi apparent effectus, attamen vero cauſſæ ſuæ efficienti adæquati.

§. C I.

Quæ phænomena (§. C.) in oculis obſervata, præſertim (n°. 12.) Lumbricos teretes ſpectantia, ſponte ſermonem dirigunt ad quæſtionem, num vero Pupillarum dilatatio vermibus inducta, ad paralyticam affectionem (*x*) pertineat, nec ne? Revera plurima verminantium ſymptomata, vel ſpaſmos ſæviſſimos concitant, vel paralyſin inducunt; quod vel in extremitatibus tam ſuperioribus quam inferioribus quotidiana obſervatione verum reperitur: Atque eo modo eadem de cauſſa eventus perquam diverſi naſcuntur. Ex phænomenōn autem apparitione in verminantibus liquet, viſûs facultatem dilatatione pupillarum prætermodum non tolli, niſi in quibusdam tantum caſibus tranſitoriis (*y*); quod ſi perſeveraret, ex paralytica nervi optici affectione colligi quidem tunc poſſet; ſed cum ejusmodi obſervationes in paucis

(*w*) Cap. IV. Sect. VII. §. LXXXV.

(*x*) Confer. F. HOFFMANN. *Hiſt. Corp. Human.* ſect. III. cap. IV. §. XX. *Oper. Supplem.* Tom. II. part. III. pag. 74.

(*y*) Cap. IV. ſect. VII. §. LXXXV.

paucis modo animadvertuntur, ad ſingulos non poteſt caſus extendi (z). Quam ob rem vero magis conſentaneum videtur, ſingulare illud phænomenon, peculiari ſympathiæ fibrarum tenuium primi rami quinti & tertii paris inter nervum opticum & uveam (*a*) deberi. Siquidem ex conſenſu, qui neceſſario datur inter oculum & membranæ internæ narium nervos ex primo ramo quinti paris ortos (*b*), major humorum & lachrymarum affluxus datur (*c*); & hac ratione majori quoque ſecretorum humorum copiâ dilatari & ampliores reddi pupillæ poſſunt, quod etiam in pueris & ſucculentis, citra morboſam conditionem cernitur, ut & defectu virium in langueſcentibus, atque egregie recentiorum obſervationibus conſentit. (*d*).

§. CII.

Hæc (§. XCIX, C.) quæ fuſius pauliſper quoad oculi conſenſum deducta ſunt, reliquorum baſi inſerviant. Enimvero ſimili conſenſu apertum fit.

II.

(z) Habetur & mira obſervatio cæcitatis periodicæ, qua demum æger ſub corticis uſu, diarrhœa cum febre continua correptus intra paucos dies extinguebatur. Vide *Medical Obſervations and Inquiries*. Vol. I., Art. 13. pag. 111. vel *Comment. de reb.* &c. Vol. VIII. Part. II. pag. 307.

(*a*) ZINN *in loc. citat.* cum MONRO *l. c.* pag. 102. & ſupra §. XCIX. γ.

(*b*) MONRO *ibid.* pag. 103.

(*c*) *Ibidem* pag. 104. cum Experimentis Cel. PETIT collatis.

(*d*) Confer. W. PORTERFIELD *on the Eye*. pag. 168. vel *Comm. de reb.* Vol. VIII. Part. III. pag. 404. ZINN. *de oculo*. pag. 102. aliosque.

II. *Cur Facies in verminantibus ſæpius ſuffundatur rubore, alias pallida?*

A. Irritatione nimirum arteriarum & minimarum arteriolarum faciei, qui ubique fere nervulos, maxime ex ſecundo ramo quinti paris cerebri, comites habent. (*e*).

B.

(*e*) Peculiarem ſententiam quam de habenis arteriarum communicaverat Ill. HALLERUS (*Diſſertat. de Nervorum in arterias imperio. Oper. min.* (XVII. pag. 513.) quam etiam amplexus fuit Dexterrimus MECKELIUS (*de Nervo quinti paris cereb.* §. CXI—XIII. pag. 106. & *Mem. de Berlin.* Vol. VII. pag. 28.), eam tamen candide dein repudiavit ipſe auctor (*Memoire ſecond ſur les parties ſenſibl. & irritabl.* pag. 238. & *Reponce generale aux objections* pag. 36.). Tacitum igitur argumentum pro ipſarum irritabilitate: quemadmodum illud ex fluido electrico in majoribus arteriis & venis prope cor, etiamſi abſciſſis, idoneisque argumentis (*Specimin. Med. inaug. de vivis H. C. Solidis* pag. 35. not. *w.* & Exper. IX.) demonſtravi, quæ minime apte refutavit laudatus auctor. Quare de refricando vulnere reticere nequeo, quamvis hæ pagellæ Obſervationibus Clinicis tantum deſtinaviſſem. Doleo enim Illuſtr. HALLERUM minus recte experimentum meum X. quoad irritabilem arteriarum naturam ſequenti modo interpretatum fuiſſe. „ *Si l'on a cru „ voir de l'irritabilité aux arteres, on a pu voir dans le tronc „ de l'aorte, frapé de l'étincelle électrique* (*) *une contraction „ forcée par le poiſon chemique, que j'ai ſouvent obſervée, „ mais qui n'a rien de commun avec la vie, & qui ſubſiſte „ après que tout ſentiment & tout mouvement Vital eſt éteint.*" (*Reponc. gen.* ſect. II. pag. 89.). An igitur una eademque contractio eſt, quæ poſt mortem ab acri chemico obſervatur, quam quæ vita adhuc vigente fit, & a fluido electrico

(*) M. VAN DEN BOSCH, convient de cette verité Exper. 9. & il avouë, que le Scalpel ne produit aucune contraction dans les arteres Exper. 10. il a vu comme moi, que les arteres des Grenouilles ne ſe contractent pas. Exp. 11.

B. Arteriis femet pariter nervuli infinuant, quam ut illas amplectantur, tunicasque penetrent, fic

trico aortæ inducebatur? Enimvero in arteria aorta, de corde diffecta atque electrico effluvio irritata (*Spec. citat.* pag. 36. & *Exper.* X.), easdem ofcillationes, Diaftolen nempe & Syftolen, diftincte ita animadvertimus, perinde ac fi arteria cordi unita effet, atque ab irruente fanguine dilataretur, vel ex mente HALLERI mechanicâ fuâ contractione in priftinum niteretur. Quod nunc illa phænomena tanquam perceptiones facultatis vitalis arteriæ infitæ confideranda erant, exinde nobis conftitit, eandem arteriam, eodemque ftimulo electrico, exfpirato cane vexatam, non amplius ad contactum crifpaffe. Parili eventu accidit juniori cani *Exper.* X. ac minus vitæ tenaci, qui crudeles fectiones non ita fuftinere valuit. An fibi paralela utrorumque, HALLERI fcilicet & Noftra experimenta? An idem calculus fubducendus iisdem ab acri chemico poft mortem, vel fluido electrico vita gaudentibus animalibus? Illud nunquam in mortuis agere animadverti; hoc vero quidem, & manifefte in cellulofa, quæ fecundum hanc normam perquam irritabilis exifteret. Sed Ill. HALLERUS mechanicam hactenus contractionem arteriæ tantum conceffèrat, neque talem quæ fibris mufculofis aliarum partium competit, atque in loco fupra citato de ejusmodi contractione verba facit, quæ vi veneni chemici producitur, & nequidem cum vita communis eft, aft fubfiftens poftquam omnis fenfatio & motus exftincti funt: phænomena vero in noftris experimentis, efflato fpiritu, ceffarunt.

Simili modo minus apta videtur conclufio, quando Ill. auctor ideo arteriarum irritabilitatem refutare annititur, eo quod fcalpellum ad ofcillationes edendas non cieverit arterias minores; vel quod ego fcripferim, Ranarum arterias ahenei inftar oleo vitrioli intectas a me vifas effe: id enim indicio tantum fit, me fedulo tradidiffe quæ experimenta repetita circa has res docuerant, non obftante virum oculatiffimum BAKER contrarium animadvertiffe. Neque jufto ratiocinio confequi videtur, imperitiam mihi magis

ſic ramus memorabilis nervi intercoſtalis, mollis

magis imputandam eſſe, quam in illis experimentis in quibus Ill. auctori aſſentierim, cum annotaverim, veluti cum D. WOLFSEN Medicus nunc Daventrienſis in cane animadverteramus, canem in cutis ſectione nulla doloris indicia exſeruiſſe, peritonæo vero cultri cuſpide percuſſo, etſi leviter tantum, animal vehementer clamitaſſe. Nonne ambo diſtinguere potuimus peritonæum a fibris muſculoſis?

Sed redeo ad fluidum electricum. Nonne illud in vicem aliorum irritamentorum facit? Magnam Ranarum copiam experimentis noſtris ſubjecimus unâ cum D. D. BIKKER & E. P. VAN VISVLIET; neque alio modo effectus ſuos edidit quam, durante vita. Scintilla quippe electrica ſpinalem medullam verſus dirigebatur, vel ad pedem divulſum, ſi quando ab acri mechanico vel chemico non amplius ad contractum ciebantur, quo tempore, quæ vitâ privatæ apparuerant partes, denuo ex ſe redire & agitari viſæ ſunt: quod aliquamdiu eodem eventu iteratum cum eſſet, tandem ceſſavit; neque unquam, utut vigeret electricitatis vis, diſſipato vitæ pabulo, ſi ita dicere fas ſit, reſuſcitari potuit. Eſtque itaque ſtimulus electricus in eandem irritamentorum claſſem recipiendus, ad quam reliqua externa auxilia ad irritabilem ſolidorum naturam indaganda, pertinent. Nemo autem Ill. HALLERO facile aſſentietur, nec vel ſibi ipſi Illuſtris auctor, illam tantum partem irritabilem eſſe, quæ ab injuriis ſcalpelli pungentis, vel veneni inſtillati rodentis ad contactum criſpatur; quoniam illo laceſſitæ, perpaucæ modo partes & ſolæ tantum fibræ muſculoſæ rubræ, hoc vero & vitâ privatæ, irritabiles eſſent. Nonne flatus adhibuit, & ſcintillam quoque electricam CALDANI (*Mem. ſur les part. ſenſib. & irrit.* Tom. III. pag. 135-137.).

Nec minus miratus ſum, eundem auctorem ſcripſiſſe vaporem ſulphuris ſenſibilitatem deſtruxiſſe absque detrimento irritabilitatis. Contrarium enim ſtabili lege ſemper mihi conſtitit, quod vel experimento meo XIII. ſufficienter demonſtrari poteſt. Solus ego hæc pericula feci, atque omnes ranæ, quasquas vaporibus ſubmiſi tempore 5 & 7 minutorum cum vita omnem irritabilitatem amiſerunt. Vaporum carbonum & terebinthinaceorum diutius aliquantiſper ceteris paribus vitam ſuſtentarunt.

mollis dictus, totus quantus arteriæ carotidi externæ, seu faciali ramo (*g*) implantatur.

C. Minimas quoque arteriolas nervulis donatas invenit dexterrimus MECKEL, quod ipsissimis observatoris verbis hic loci recensere juvat. *Tous les nerfs de la face, quoique d'une extreme petitesse, lorsque on les reguarde au microscope, se montrent accompagnés d'une arteriole, qui se repand uniquement dans la tunique du nerf, en sorte que tout le nerf paroit exterieurement rouge, si on peut par une injection subtile en remplir, jusqu'aux moindres vaisseaux.* (*h*).

COROLLARIA.

His (§. CII.) ita positis, facillimo negotio mente consequi posse videtur.

1. Quam ob rem verminantes *Erysipelati* (*i*) adeo obnoxii sint, si ad biliosam ipsorum cacochymiam, & frequentissimas in facie, & auribus irritationes adtendamus.
2. Ex eodem nervorum in arterias imperio manifestæ fiunt *subitæ*, sine alia caussa manifesta, *sensorii communis alienationes*; veluti *terrores in somno*, *vocisque involuntariæ exclamationes*, *aliæque ad caput metastases*; quæ etiam si nervorum primariam in sensoria affectionem haudquaquam excludunt, præcipue tamen sanguineorum vasorum ope non paucis in casibus induci animadvertuntur.

3.

(*g*) MECKEL. *Memoir. de l'Acad. R. de Berlin* 1752. Vol. VII. §. CXIII. pag. 109. & Tab. no. 308.

(*h*) *Ibidem* §. XXXI. pag. 42. cum §. CV. p. 102.

(*i*) Cap. III. sect. III. *δ*.

3. Simili modo explicari poſſunt *vacillationes inconſtantes* (*k*) *pulſuum*, *incertique febrium paroxyſmi* (*l*), quippe ex eodem gremio oriundi.

4. Neque albo cauſſarum iſtarum facile eradendæ *irritationes topicæ inflammatoriæ*, quæ fauces, thoracem, atque varia abdominis viſcera, parteſque extremas occupantes. Nam conſideratâ nervi intercoſtalis cum vago communicatione, qua per univerſum corpus perceptiones partibus imprimit, data problemata demonſtrata fere haberi poſſunt: præſertim ſi eandem mirabilem nervorum ſuper vaſa decurſum aſſervemus. Specioſum autem illud factum animadvertimus in arteriis Cœliaca & Meſenterica ſuperioribus, dum ex plexu ſemilunari magnus numerus tenuiſſimorum nerveorum filamentorum exit, ut ſe extendat per ſuperficiem omnium ramorum harum duarum arteriarum, ut facile videri poteſt, quando arteriarum quædam ſunt expanſæ, diſſectione vero neutiquam; & ita *Hepar*, *Veſicula fellis*, *Duodenum*, *Pancreas* *Splen*, *Jejunum*, *Ileum* & magna pars *coli*, nervos ſuos habent a magno *Solari Ganglio*, vel *Plexu* miſſos (*m*). unde *Icteri ſpasmodici* ratio etiam evidens eſt (*n*).

5. Nonne ea lege veroſimiliter rationes Hæmorrhagiarum ſpontanearum, narium, uteri & ad ora venarum conaminum, conſtant? Dum auctus ſtimulus facilius ibidem, quam in aliis cor-

(*k*) Cap. IV. ſect. VIII.
(*l*) Cap. III. ſect. III. §. XLVIII.
(*m*) MONRO. *l. c.* 146.
(*n*) COOPMANS *ibid.* not. a.

poris partibus, propter peculiarem vaſorum conditionem, easdem efficit. Quid, quæſo, STHALIANORUM ſpaſmi, quid colica hæmorrhoïdalis, quidnam denique ſanguinis congeſtiones ſibi volunt, niſi quod eandem natalem, illatos nempe ſtimulos, agnoſcant. Et, colicam hæmorrhoïdalem vaſorum plethorâ abſolutâ ſemper oriundam eſſe, minime crediderim, quoniam vermium irritamentis per quam familiares ſunt. (*p*).

III. *Unde aurium tinnitus, inſequente ſurditate majore minoreve, narium ſimul pruritus, vocisque amputatio?*

A. a conſenſu chordæ tympani, tertio quinti paris ramo, linguali dicto, inſerto (*q*): & idem ille ramus (*r*) qui guſtui quidem præeſt, motum ſimul producit, inſignesque anaſtomoſes facit cum nono, linguæ pariter dicatæ. (*s*).

B. Conjugatione nervi ſuperficialis Vidiani cum portione dura ſeptimi paris (*s**), quemadmodum ſecundus ramus hujus nervi ad faciem excurrens anaſtomoſes facit validos cum ramulis ſecundi nervi quinti paris foramen orbitarium externum egreſſi (*t*), in quo ramo maximus viget conſenſus: unde etiam in promtu eſt, quare narium pruritus & auditûs affectio, ſæpe una exiſtant; quoniam chorda tympani parte ſuprema hujus rami exit.

C. Fa-

(*p*) Cap. III. ſect. II. *ægrot. decim. ſchol.*
(*q*) MECKEL. *l. c.* §. C. pag. 92. Fig. 1. litt. x. no. 70, 71.
(*r*) *Ibidem* no. 70, 80.
(*s*) *Ibidem* no. 91, 92.
(*s**) *Ibidem* litt. κ, λ.
(*t*) *Ibidem* no. 84, 87. litt. w, i, m.

C. Facit & illuc omnibus nota ſympathia Nervorum recurrentium (*u*), quos ligatos vel læſos in animalibus GALENUS jam obſervavit Aphoniam inducere.

Eodem pacto etiam intelligitur

IV. *Undenam Salivæ præter modum excretio, nec non Maxillæ inferioris motus tetanicus?*

A. Tertius ramus quinti paris ex oppoſito (III. A.), lateri illi, ex quo dederat cum nono communicantes, ramulos aliquot gracillimos extrorſum emittit, atque unum alterumve in glandulam ſublingualem (*v*): ſimili modo ex ganglio maxillari (†) ejus ramuli in glandulam maxillarem (‡) inſeruntur.

B. Præterea totus nervus tertii rami quinti paris maxillæ inferiori impenditur. Conſenſus autem per omnes ramos nervi quinti paris ſupra (§. XCVIII.) demonſtratus eſt.

C. Admodum probabile eſt, & ſuam quoque ſymbolam hiſce afferre, acrimoniam bilioſo-verminoſam (*w*): ſiquidem F. HOFFMANNUS ſalivationem a ſale ſtimulante glandulas, & ſic majorem affluxum ſanguinis ad ſalivam ſecernendam procurando; vel ob ſpaſmum venas comprimentem & refluxum ſanguinis impedientem, derivavit (*x*). Cel. vero MONRO, a contractione convulſiva muſculorum maxillæ inferioris, ore involuntarie clauſo (*y*). Revera qui-

(*u*) *Ibidem* no. 77.
(*v*) COOPMANS *l. c.* pag. 131. a.
(†) *Ibidem* no. 74.
(‡) *Ibidem* no. 75. ſeq.
(*w*) Cap. III. ſect. III. §. XLIX.
(*x*) *Hiſt. C. H. Anatom.* ſect. III. cap. IX. *Oper. Suppl.* II. Part. III. pag. 80.
(*y*) *l. c.* pag. 110.

quidem magna humorum difcrafia verminantibus contingit, quemadmodum in ejusmodi valde cachecticis copiofum falivæ effluxum confpeximus (z); ficuti & fpafticæ maxillæ contractiones familiares quoque funt. Salva tamen tantorum virorum auctoritate, limitatio quædam hifce videtur interponenda. Spafmodica enim maxillæ inferioris contractio præ ceteris obtinet in motibus convulfivis tetanicis & Epilepfia verminofa, in quibus potiffimum glutinis inftar tenax faliva ore extruditur: contra plerumque aperto & libero ab omni motu præternaturali ore, neque valde aliquando humorum vitio obnoxii falivant; ita ut ejusmodi in cafibus, copiofa falivæ excretio nervis ftimulantibus deberi videatur. Iisdem etiam ex fontibus intelliguntur.

V. *Gingivarum ardor* (*a*) & *linguæ dolorificæ phænomena.*

VI. *Quare aliquando Hemicrania, & fummus verticis dolor, ex cervice oriundus, aut cum fupraorbitali junctus.*

A. Ex conjunctione portionis duræ nervi auditorii cum omnibus ramis nervi quinti paris cerebri (*b*); vel ramulorum ex profundo externo & fympathetico parvo illius nervi laterales & pofticas capitis partes petentium confenfu (*b**).

B. Con-

(*z*) *Loca* ad litt. w. citata.

(*a*) Cap. III. fect. III. §. XLIX.

(*b*) MONRO *Lib. citat. pag.* 124 & 125. cum elegantiffima Cel. MECKELII Tabula *Mem. de Berlin* Tom. VII. pag. 112. &c.

(*b**) MECKEL *lib. citat.* Tab. n°. 118. A 130. &c.

B. Conjugatione eorundem (VI. A.) cum secundo cervicali (*c*).

C. Ipsorum cervicalium cum intercostali unione (*d*), quorum ramus posterior nervi secundi paris, cum ramo adscendente tertii paris Nervorum Medullæ Spinalis, insigni facta anastomosi inter se, adscendentes supra occiput ad verticem capitis, innumeros ramos super musculum quadratum & epicranium communicant. (*e*).

VII. *Quænam ratio Tussis siccæ magis vel minus violentæ.*

A. a distributione paris vagi sola (*f*), vel

B. Ex arcta nervi intercostalis cum octavo unione, mox ab egressu capitis, in infimam usque pelvim, a quo octavo paris nervo, *recurrens* dictus oriundus summæ laryngi variis surculis inferitur, atque idem ille recurrens nervus iterum cum intercostali conjungitur (*g*); adeoque irritatione nervorum laryngis & bronchiorum originem ducit. Experimenta autem HALLERI, quæ irritando, scalpendo, vel veneno acri, internam asperæ arteriæ vel bronchiorum membranam, aut diaphragma, aut nervum recurren-

(*c*) MONROO & COOPMANS *l. c.* pag. 125.

(*d*) Intercostalis ab omnibus cervicalibus insignem ramum aliquando duplicem recipit. conf. P. CAMPER *Demonstr. Anatom.* Lib. I. cap. II. §. 2. pag. 10. Tab. I. Fig. I. no. 7, 10. cum ASCHI *de Primo pare Nervorum Med. Spin.* Tab. III. Fig. III. μ. ξ. χ. & Fig. IV. Σ. 2.

(*e*) ASCH *l. c.* Fig. V. no. 4. 7. 8. 9.

(*f*) MONRO *lib. cit.* pag. 135.

(*g*) EUSTACH. Tab. XVIII. litt. q. RAYMUND. VIEUSSENS. *Neurogr. univers.* Tab. XXIII. litt. p. q. f. Confer. & COOPMANS p. 131.

rentem ad tuſſim excitandam, inefficacia fuerunt, æque minus apparent decretoria (*h*), quam ea quæ ſupra quoad iridem ex SPROEGEL eundem in finem adducta ſunt. (*i*).

C. Sed ipſe etiam nervus phrenicus cum intercoſtali jungitur (*k*). Quemadmodum ex unione phrenici cum octavo (*l*), & octavi cum intercoſtali, hujusque cum cervicalibus

VIII. *Singultus in ventriculi & inteſtinorum affectionibus* facile explicatur (*m*); ut &

IX. *Sternutationes protractæ vermibus inductæ* (*n*); nec non

X. *Riſus involuntarius* (*o*).

XI. *Unde Reſpiratio obpreſſa, cordis palpitationes, anxietates ingentes, dolores intra ſcapulas, perque dorſum & lumbos, vomitu & nauſea aliquando ſtipatæ?*

A. ab eadem paris vagi diſtributione. (*p*).

B. Ex univerſali connexione & communicatione, quam nervus intercoſtalis, cum harum partium nervis habet (*q*).

Docuerunt evidenter experimenta Cel. PE-

(*h*) conf. J. F. SCHRIBER *Almageſt. Med.* Lipſiæ & Vienn. 1757. pag. 395.

(*i*) §. XCIX. no. 11.

(*k*) KRUGER *de Nervo Phrenico* Lipſ. 1758. pag. 19. 25. & Tab. ſubnexa. Cel. CAMPER. *Demonſtr. Anat.* Lib. I. Cap. II. §. 3. Tab. I. Fig. I. 17, 22.

(*l*) P. CAMPER. *l. c.* §. 3. pag. 10.

(*m*) MONRO *l. c.* pag. 161.

(*n*) *Ibidem* pag. 161. a. & COOPMANS ibid. a.

(*o*) *Ibidem* pag. 162. a.

(*p*) *Ibidem* pag. 135. ſq.

(*q*) *Ibidem* pag. 149. ſq.

PETIT, vomitum plerumque fuiſſe inſecutum, cum reſpiratione impedita; ut & cordis palpitationes, & vocis amputationem. Adeoque præter multifarias cauſſas, præcordiorum anxietatem inducere ſolitas (*r*), vel saburram abundantem, vel obpreſſionem ſyſtematis venæ portarum, cum abſolutam, tum reſpectivam, hujuscemodi affectione fieri videmus: atque nonnunquam ita ſubito, ſine memoratarum cauſſarum præſentia; ut nulla alia quam nervorum affectio culpari poſſit.

C. Conſenſu viſcerum a ſe invicem (*s*).

XII. *Stranguriæ* (*t*) ratio ſimili modo in promptu eſt. Nimirum a communicatione nervi intercoſtalis cum lumbalibus, unde nervus pudendus originem ducit. (*u*). Nec minus illa,

XIII. *Doloris nempe iſchiadicum æmuli*, conſtat. Nervus autem iſchiadicus, qui ex lumbalibus & ſacris fit, inſignes iterum ramificationes cum intercoſtali facit, quæ, ut Cel. CAMPER verbis utar, ſi *brachialium nervorum plexum cum iſchiadico comparamus, magnam inter utrumque convenientiam comperimus: nam quemadmodum thoracis bini ſuperiores, ſe cum cervicalibus ad brachiales formandos, ita inverſo ordine lumbalium duo imi cum ſacris ſe conjungunt ad formandum*

(*r*) Conf. Cel. GAUBII *Inſt. Path.* §. 686—691.

(*s*) Conſenſus hoſce luculenter adeo expoſuit Cel. CAMPER ut omnibus numeris abſoluti ſint, ad quem L. B. relego, prolixa nimis quam ut hiſce inſeri queant, nec excerptiones permittunt. Vide ejus *Dem. Anat.* Lib. II. cap. III. §. VII. pag. 8. ſq.

(*t*) Cap. V. ſect. VII.

(*u*) Cel. CAMPER Lib. II. Tab. I. Fig. I. & II.

mandum Ischiadicum, qui clunibus, femoris posteriori parti, cruri ac pedi nervos largitur (*v*). Eodem modo intelligitur.

XIV. *Quam ob rem in transitoriis motibus convulsivis pollicis & digiti indicis &c. musculi cieantur?*

A. Ex consensu plexus brachialis cum intercostali; nam cum brachialis constanter duas series, priorem & posticam (*w*) formet, omnesque brachiales cum intercostali uniantur, maxime vero series postica (*x*), unde radialis (*y*), qui perspicua unione (*z*) cum intercostali sympathiam haurit (*a*), ac ceteris paribus, hunc nervum magis reliquis affici, necesse est; quia majorem cum intercostali affinitatem habet. Idcirco

B. Si jam secundum ramorum distributionem consensus propagatur, ex intercostali in abdomine irritato, diversus erit effectus in diversis brachialibus, nimirum in scapulari ut duo, in radiali & scapulari ut quinque: crassities similiter effectum augebit. Summa igitur in ratione composita numerorum & quadratorum diametrorum, ramorum ex intercostali progrediuntium. (*b*).

Qui-

(*v*) *Demonstr. Anatom.* Lib. II. cap. III. pag. 7. Tab. I. Fig. II.

(*w*) *Ibidem* Lib. I. Cap. II. §. 1. pag. 9.

(*x*) *Ibidem* Tab. I. Fig. I. s. t.

(*y*) *Ibidem* Tab. I. 100, 101, 102, 103. Tab. II. Fig. I. a. ξ. Tab. I. Fig. III. &c.

(*z*) *Ibidem* Tab. I. Fig. I. litt. d, 7. e, 11. r, s.

(*a*) *Ibidem* §. 9. pag. 13.

(*b*) *Ibidem* Lib. I. Cap. II. §. 1. pag. 10.

Quibus debite intellectis, patet tandem

XV. *Cur & totum corpus, iisdem ex caufis, fæviffimis convellatur convulfionibus?*

A. Ex eadem nervorum agendi ratione (XIV. B.).

B. Quod ulterius Cel. CAMPER verbis abfolvam: *fi jam colligamus in unum*, inquit, *Nervum intercoftalem conjungi cum fecundo ramo quinti paris evidenter: cum primo ramo probabiliter; cum octavo & nono, ubi cranium exeunt; cum omnibus cervicalibus; cum recurrente octavi paris; cum omnibus dorfalibus & cum octavo pari ad plexum cardiacum efficiendum; in plexu mefenterico itidem cum octavo, ubi id ventriculum deferit; cum lumbalibus omnibus; cum ipfis facris & coccygæis nervis, a quibus mufculi ani & Erectores penis nervis profpiciuntur. An mirum eft, hoc nervo in abdomine affecto, totum corpus convelli? An mirum eft brachia magis affici & crura? Nonne ab irritatione vermium in primis viis fæpiffime brachia convelluntur* (c). unde & tandem minime mirandum.

XVI. *Mortem fubitaneam & inexfpectatam vermium fymptomata, cauffam tam crudelem potentemque infequi.*

A. Etenim fi enumerata tot fymptomata, ut & Syncopes, Apoplexiæ, immo Mors fubitanea ex fola fequantur nervi quinti paris affectione (c*); quidni contingant a laceffito ganglio magno folari, aliisque in ventriculo & inteftinis reperiundis nervis?

B. De-

(c) Confer ejus annotationem in MONROO *l. c.* pag. 182.


(c*) MECKEL. *de Nervo Quinti paris Cerebri* §. CIV. pag. 108.

B. Debilis tantum caussa, quosdam modo faciei nervos ciebat in virgine honesta, cujus historiam supra exhibui (*d*); mors tamen subita insecuta fuit.

C. Omnis igitur, si ad omnia phænomena (§. XCIX. I–XV.), & quæ ab aliis (*e*) ea de re pluribus exposita sunt, adtendamus; atque insuper nervorum affectorum agendi modum (XIV. B.) consideremus, evanescet admiratio, impetus hosce formidandos mortem insequi subitam; sed e contrario, nos quibus miranda nervorum, qui arctissimam cum omnibus corporis partibus societatem (XV. B.) inirunt, structura cognita est, stupebimus, non sæpius illud, quin etiam quotidie fieri.

(*d*) Cap. III. sect. III. δ. *ægrot. quart.*

(*e*) Inter alia conferatur concinna plerorumque analysis apud F. HOFFMANN. *de consensu partium generatim.* Tom. I. pag. 315. & sq.





CAPUT SEPTIMUM,

DE QUIBUSDAM CIRCA VERMINANTIUM DIAGNOSIN MOMENTIS.

§. CIII.

Quicumque animo, modico tantum, Divinæ in miſerum Humani Genus Clementiæ, ſummæque in fabricando artificioſiſſimo microcosmo Sapientiæ, cultu imbutus eſt, mecum lubenter mirabitur, quemadmodum, de multiplicibus infeſtorum Remediis ſupra (§. LXXX–VIII.) vidimus, opulenta etiam, ad malum adeo truculentum dignoſcendum, tanta dari indicia! Quanti ſignorum catalogi ubivis reperiuntur! Quam ob rem plerumque a cauſſa nobismet ipſis inſita, quâ ſæpius minus appoſite vera & falſa dijudicamus, ambigue dicuntur, quæ, recognitis omnibus, diſtincte ſatis nobis ſe ſiſtunt. Verminantibus quotidie Medicinam faciens, ſenſim aſſueſcebam complicatioribus eorum ſymptomatibus, ut æque ac in aliis morbis pertractandis firma mihi eſſet Diagnoſis; & paucos mihi potui repræſentare caſus, in quibus fefellit Me opinio mea, qui tamen poſtea ſemet magis in conſpectum dabant.

§. CIV.

Nec rei conſentaneum, ut ſupra (§. V.) diſtincte perpendimus, uberrimum adeo ſymptomatum morbum propriis ſuis orbatum eſſe diagnoſticis

ſticis ſignis. *Neque profecto exiſtimandum eſt, illud quo homines ab hominibus in ſtatu ſano diſcrepant, morborum naturas pervertere, aut turbas, quæ in morboſis affectionibus ſe produnt mutuam cauſſarum effectuumque relationem poſſe abolere* (*f*). Peculiare igitur, quod vermes comitatur, eadem lege hic, quam alibi, efficit, quod in Semeioticis *Pathognomicon* audit. Quemadmodum reſpectu plurimorum verminantium ſymptomatum, individua quoque dantur phænomena; dum parvi tantum conſilii res eſt, ſymptomata ſola non ſufficere ad ſigna pathognomica elicienda, quoniam præterquam quod Semeioticis præcipuam partem tribuant, *ex ſyndrome ſymptomatum, quibus ſtipatur* (morbus); *haud minus certo eundem internoſcere, ſuumque ad titulum referre licet* (*g*).

§. C V.

Demonſtrativa, quæ vocant, ſigna, & noſtra in Epidemia eadem obſervata ſunt; ea tamen lege, ut *non omnia quidem in omnibus, ſed plura in pluribus*, quod omnes affirmarunt. Unusquisque interea, qui vel ſemel, ea, qua par eſt, cura, lentam putridam cum vermibus tractavit febrem, facile mihi conſentietur, ſe peculiare quid, quoad linguam, oris halitum, ſudorem ac pulſum, nec non ſubita circa veſperam oborta ſymptomata, frigusque extremorum animadvertiſſe, nec facile alibi reperiundum. Solus fere intranti cubiculum Medico incurrens fœdus ſufficit odor, qualis excercitato in hiſce BRASSAVOLO (§. V.) pathognomico ſigno egregie in-

(*f*) Cel. GAUB. *Inſt. Pathol.* §. 835.
(*g*) *Ibidem* §. 836.

inserviit. Insuper refert BALLONIUS, *Castilium Mercatorem febre continua laborantem*, cui *apperuerunt symptomata terrifica; præter rationem & morem febris. Desperata omnia. Medici nesciebant quo referrent caussam tam sævorum symptomatum. Advocatus Gorræus quo judicio valebat, præsentit id a vermibus fieri. Contra vermes pugnatum. Cessarunt ea symptomata* (*h*). Similia ex Epidemicis observationibus supra annotavi. Quænam, quæso, quam infantium Tympanitides cum universali marcore individua magis resonant symptomata? Quid ipsorum aliorumque Tussis sicca summas fauces moleste irritans de terminatius? Nonne & suæ caussæ adæquata verminosa Pleuritis, quin pleræque etiam complicatiores species; ut capitis & colicos dolores, inflammatorio excepto, diarrhœam verminosam, aliosque propriis suis titulis recensitos effectus silentio transeam. Quam egregie congruerunt datæ observationes inde usque a Parente Medicinæ in *Coacis Prænotionibus*, inque *Epidemicorum libris* mandatis, ad hodiernas recentissimas deductæ! Quam firmam in medendo streverunt viam! Nonne igitur, quæ tot seculis sese iisdem individuis manifestarunt phænomenis, eodem jure *Pathognomica* vocanda, quam quæ inflammatoriis, aliisque idiopathicis morbis competunt.

§. CVI.

Ast vero objiciet forsan quis, eandem rationem, haud semper constare posse, quippe plerorumque Vermium signa per consensum nervorum patent; dum, quæ vitiosorum abundantiumque humorum signa

(*h*) Tom. I. pag. 161.

ſigna prodeunt, præſentem nequidem declarant animatam potentiam; quoniam, ipſo præëunte *Magno* MORGAGNO (*i*) ea nervorum eſt diſcrepantiæ, *ut fruſtra quærantur connexiones, quæ alio tempore quaſi ſponte ſemet prodeunt, nec minorem inveniri quoad numerum & connexiones nerveorum ramorum — quam in vaſis ſpermaticis?* ideoque nec decretoria, neque individua eſſe poſſunt. Attamen vero quod Pathologica attinet, non minus regeri poſſe videtur.

I. Dari quidem peſſimas complicationes, ad quas enucleandas, oculatiſſimi non minus Medici, quam Tirones cœcutiunt; aſt longe minus, quam plurimorum circa has fert ſententia: dum e contrario complicati ſatis apud auctores inveniuntur caſus, quos tamen in partem affirmativam dijudicarunt. *Denominatio igitur deſumitur a potiori*

II. Quamvis negaverit nemo, eosdem nervis contingere, quam vaſis naturæ luſus, tanto magis emolumento eſt, arctas adeo, mutuasque ramorum & ramulorum conjugationes eſſe, ſæpeque nervis iisdem iteratas, ut & iisdem ſufficienter potentiæ animatæ præſentia declaretur. Quantane oculis, nervi intercoſtalis ope, cum 5, 6, 7, 8, 9. nervorum cerebri, triumque præ ceteris, omniumque alioquin cervicalium paribus, cum phrenico, cum brachialibus, totque in thorace inque abdomine inſignibus plexibus, communicatio, quò ſingularis rami aberratio, non tantum inferre poteſt diſcrimen, quo minus origo ex aliis ducatur ſimilibus.

III.

(*i*) *Adverſar. Anatom.* II. *Animadv.* XXXVII. pag. 76.

III. Verum quidem eſt; degeneratos Pituitoſos & Biliofos humores animatam potentiam ex ſua natura haud indicare, quanquam ſæpius cominus infeſtant, vermium tamen in putridum magma liquamen, diſtinctum humoribus, quemadmodum ſudores, urina & lingua oſtendunt, characterem imprimit, exercitato praxeos indubitatum.

IV. Nec denique omnibus ſignis opus eſt, cum paucæ aliquando ſufficiant. Plus ſemel ſola pupillæ dilatatio ſatis erat in obambulantibus, vel linguæ autopſia & uromantia in acute decumbentibus. Capitis affectiones metaſtaticæ ex anamnæſi, vel præſentibus motibus convulſivis, vel pulſûs exploratione ſæpe ab aliorum affectionum indole dignoſcuntur. Dum infantium voce adhuc deſtitutorum, terroribus in ſomno, oculorum & palpebrarum phænomenis, vel ſuctionis imitatione, &c. manifeſtantur animata pathemata.

V. Ergo etiam, quamvis ſeorſim a pluribus exhibeantur vermium in inteſtina ſtabulantium ſigna, vel etiam aliquando, non junctâ magni momenti febre, ſeparatim prodeant, indolem ſuam haud ita deponunt, quin variis a ſe invicem morbis ſub eandem conditionem compareant; id quod ceteris paribus, ad febrium reverſiones, vel maxime omnium ad dies decretorios, tempus veſpertinum, & tam acutis quam chronicis ad lunæ phaſes cum primis animadvertitur.

§. CVI.

§. CVII.

En L. B. quæ de Epidemica Conſtitutione vel evolvendo auctores, prout commodummihi videretur collegi, omiſſis iis quæ ſæpius jam expoſita eſſent, vel ex propriis obſervationibus addere non inutile duxi. Nemo vero exiſtimet velim, me eadem ad lites viris de Medicina optime meritis movendas, vel cavillandi cauſſa, unguibus & roſtris defendenda meis ſubjunxiſſe annotationibus; pacem amo, ſed ſimul iteratis experimentis convictus veritatem amplector. Initio tamen hæcce ſcribenti haud quaquam animus fuit, eas quas in proprios uſus conſcripſeram obſervationes publici juris facere; unde veniam magis quam laudem peto: ægrotantium interea ſalus & verum Medicinæ incrementum, quemadmodum debitum Viri honeſti officium eſt, calcar hiſce addiderunt. Neque etiam is ego ſum, qui crediderim, ea quæ tali de materie conſcripſerim, omnibus numeris abſoluta eſſe, neve aliorum lucubrationibus augeri poſſe. Tenuitatis enim meæ conſcius pergaudebo, ſi errores mei naſutiores excitare valeant, ut problemata, difficilia & obſcura adhuc uberius explicent, cujus etiam ſpes mihi creſcit maxima, dum junctis viribus indies magis firmatur ac locupletatur, eximia, & humano generi ſalutifera Medicorum Scientia; Neminem etiam in hoc morborum genere, BAGLIVII obſervatoris in multis excellentiſſimi præcepta ſecutum fuiſſe pœnitebit. *Utinam*, inquit, *ſinguli morbi, duo vel tria ſigna infallabilia haberent, prout nuper recenſiti. Utinam inquam, hanc ſignorum provinciam quovis ſeculo nonnulli ex Medicis locupletare tentaſſent; certo me-*

medendi ars a multis jam retro ſeculis perveniſſet, ad ſtatum, ſaltem, quantum patitur Mortalium conditio (*i*).

(*i*) *Prax. Med.* Lib. II. Cap. VIII. §. 4.



LECTURIS MONITUM.

Quæ vel typothetarum imperitiâ, vel nimiâ festinatione hocce in Observationum Fasciculus deprehenduntur vitia, loci, ubi typis comissus fuit distantiæ, qua ultima sæpius defuit lima, benevole tribuatis.

E M E N D A N D A

Calamo prius corrigenda, quam libellus in usum trahatur

Pag. XIV.	*lin.* 30.	suppāratoriæ.	*lege*	suppuratoriæ.
—— XV.	— 12.	*ATMOSPHÆRÆ*,		dele,
—— XVI.	— 7.	febres	*lege*	febris
—— XX.	— 5.	sequuntur.		dele.
—— 53.	— 7.	orbo	*lege*	orbe
—— 58.	— 30.	quum	——	quam
—— 76.	— 12.	horr	——	hora
—— 77.	— 6.	præcibus	——	precibus
—— 83.	— 7.	interprætatus	——	interpretatus
—— 84.	— 19.	πορετὸς θηριώδες	——	πυρετὸς θηριώδεις
—— —	— 22.	θηριάδεες	——	θηριώδεις
—— —	— 25.	constit	——	constitit
—— 92.	— 24.	ex asæ fœtidæ	——	ex asa fœtida
—— 99.	— 25.	quererem	——	quærerem
—— 101.	— 7.	passâ	——	passa
—— 102.	— 18.	sedatus	——	sedatis,
—— ——	— 27.	operaret	——	operaretur
—— ——	— 30.	sunt	——	sint
—— 103.	— 13.	*Aphthæ*	——	*Aphthis*
—— ——	— 14.	*hæmorrhagia uterina*	——	*hæmorrhagiæ uterinæ*
—— ——	not. (*t*)	*s. ægrot. decim.*	——	*s. ægrot. tert. scholion.*
—— 104.	*lin.* 17.	(*y*),	——	(*y*);
—— ——	— 19.	animadverterim	——	animadverti
—— 105.	— 27.	anxietates	——	anxietatum.
—— 106.	— 4.	cœperint	——	cœperunt
—— ——	— 28.	quæ	——	quod
—— 108.	— 7.	reperiisse	——	reperisse
—— ——	— penult.	claudebatur	——	clauderetur

Pag.

EMENDANDA.

Pag. 109. *lin.* 21. defixo	*lege* de fixo
—— —— — 27. expulſi	—— expuli
—— 110. — 19. expulſit	—— expulit
—— 111. — 3. abſumerat	—— abſumſerat
—— 112. — 4. attendendum	—— attendendam
—— —— — 8. proficiens	—— proficiens,
—— —— — 32. præcibus	—— precibus
—— 113. not. (*b*) pag. 6.	—— 202.
—— 117. *lin.* 25. καυσω	—— καύσῳ
—— 121. — 3. a nudio nunc tertio	—— nudius nunc tertius
—— —— — 28. repetere	—— repeterem.
—— 123. — 10. Repitis	—— Repetitis
—— —— — 7. jecit	—— jacuit
—— 124. — 3. lavoravit	—— laboravit
—— 128. — 18. affectas	—— affectos
—— 141. — 1. prodierunt	—— prodierint
—— 142. — 24. ſe	—— illum
—— —— — 29. ſopiatur	—— ſopiretur
—— 152. — penult. cieunt	—— cient
—— 154. — 8. ſubiit	—— ſubierit
—— 155. — ult. huic	—— hoc
—— 165. — 3. pregnationi	—— prægnationi
—— 170. — 4. erat	—— eſſet
—— 186. not. (*t*) *lin.* 1. affectum	—— aſſertum
—— 189. *lin.* antep. Præcibus	—— Precibus
—— 190. — 10. ſupicio	—— ſuſpicio
—— 206. — antepen. aggravatua	—— aggravata
—— 225. — 4. ſymptomatibus	—— ſymptomata
—— 276. — 23. errore	—— errore diætæ

—— 367. — 4. Articulus C ita legendus: Minimos quoque nervulos arteriis donatos invenit dexterrimus Meckel, quemadmodum viciſſim horum tunicis inſeruntur.

—— 381. — 3. diſcrepantiæ *lege* diſcrepantia.